




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
6 F
13






ANTONII RICCOBONI

DE VSV ARTIS RHETORICÆ ARISTOTELIS COMMENTARII VIGINTIQVINQVE,

QVIBVS DVPLEX RHETORICA strictim explicatur, altera, quæ præcepta tradit persuadendi, altera, quæ re ipsa persuadet: & præcepta cuiusque oratoriæ quæstionis in vnum conducuntur ad vsum accommodate, ac in operibus veterum oratorum perpenduntur: interiecta etiam suis in locis doctrina Hermogenis ex libro de statibus: & adiuncto compendio eiusdem artis Rhetoricæ Aristotelis.

QVIBVS ACCESSIT EIVSDEM ANTONII Riccoboni à Io. Mario Matio Brixiano dissensio de quibusdam locis Quintiliani probantibus Rhetorica ad Herennium esse Cornificij.



M. D. XCV.

Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest. ad sexennium.

FRANCOFORTI,

Apud Andreæ Wecheli heredes, Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.







CLARISSIMO VIRO, LAVRENTIO MASSÆ, SERENISSIMÆ Reip. Venetæ à Secretis



ANTONIVS RICCOBONVS S. D.



IRARI *satis non possum, Laurenti Massa, illorum factum, qui, cum aliquod volumen conscripserint, id alicui vel Principi, vel alij dicant, cuius de eo aut nullum, aut certe non idoneum esse iudicium possit; immo qui non solum ad iudicandum minus aptus esse, sed ne illud quidẽ, quo de agitur, satis intelligere videatur. Quorum vestigiis ne insisterem impressis ad imprudentiæ notam sempiternam, delegi te virum doctissimum, & disertissimum, cui plures meas de eloquentia lucubrationes dicarẽ, formatum à natura cum ad alias plurimas, maximásque virtutes à me alibi celebratas, & perpetuo celebrandas magnum, & excelsum, tum ad sapientiæ, & eloquentiæ laudem admirandum, ac prope diuinum, qui splendore vtriusque familiæ ornatus, tum paternæ, tum maternæ, cum vniuersum prope liberalium disciplinarum orbem expleueris: præcipue tamen in rationẽ*

dicendi excellere existimaris. Ac in te quidem elucet familiæ Carisiæ, seu Carisinæ, in qua natus es, claritas, & Antonij Carisini, fortissimi, ac clarissimi parentis tui, decus, qui de serenissima Rep. Veneta insigniter, ac diuinitus meritus est, tunc cum in Principatu Petri Landi Naupliæ à Turcis obsessæ, non semel, atque iterum, sed vndecies bene instructa naui maximo suo cum dispendio, & vitæ periculo subsidiũ tulit, tantaque sua cum laude, atque hostium admiratione se gessit, vt ipse Solimanus Turcarum Tyrannus maius prope sibi negotium fuisse cum vno Antonio, quàm cum vniuersa Rep. Veneta confessus sit, & post eum in bello fortissimo mortuum, immo vero potius immortalitatem, quàm mortem, & pro breui vita diuturnã memoriam assecutum, Imperator quãuis barbarus, suo ad serenissimum Venetum senatum Legato de pace misso mandauerit, vt nihil cum ipso senatu conficeret, priusquam superstitibus Carisinis, siqui existerent, cumulate satisfieret. Tam generoso, & magnanimo parente natus in maternam præclarissimam gentem, quæ tua etiam naturaliter erat, ab auunculo tuo per adoptionem receptus es; & quidem in eam gentem, quam originem traxisse à familia veterum Masonum Romanorum, vbi floruit C. Papirius C. F. Maso Pont. C. Papirius L. F. Maso decemuir sacrorum, & Papirius ille Maso, qui consul fuit cum M. Pomponio Mathone, & de Corsis primus in monte Albano triumphauit, proque aurea corona, cum alicui spectaculo interesset, myrtea vsus est, quòd Corsos in campis myrteis superasset, vetera monumẽta testantur. Primum enim dicti sunt Masones: inde Massones: postremo Massæ; ex quibus Venetias trãslatis

latis

latis Nicolaus Massa suorum temporũ Philosophus, ac Medicus celeberrimus, non tam, quod esses sororis suæ filius, quam quod maximum cursum tuum, ac prope incredibilem progressionem ad omnẽ bonarum litterarum excellentiam ab ineunte ætate tua admiratus esset, nihil antiquius habuit, quam vt te sibi filium adoptaret, seque adoptatum bonorum suorum heredem fecit. Cum igitur, quæ præclara videri hominibus, atque eximia solent, clarissimorum parentum, & præstantissimorum maiorum ornamenta in te eniteant: hoc tamen in tuis maximis laudibus ponitur, quòd plurimarum, & maxime insigniũ disciplinarum maximam notitiam habeas. Et vero non solum Latinis, atque iis, quas sibi Etrusci nunc vendicant, litteris summe doctus es: sed etiam Græcis, immo vero etiam Hebræis, quarum ita intimos sensus nouisti, tuæque cognitionis ea documenta dedisti, vt non defuerint quidam ex præcipuis Doctoribus Hebræis, quos appellant Rabbinos, qui publice confessi sint, & prædicauerint, magis tibi cognitã esse linguã Hebræam, quàm sibi ipsis, & aliis, qui eam in nobilissimis ipsorum Gymnasiis, præcipueque Thessalonicensi, profiteantur. Cumque omnem antiquitatem scientia, & memoria comprehenderis, omnesque Philosophiæ partes penitus cognoueris: Theologiam quoque tam studiose persecutus es, eiusque penetralia peruestigasti, vt vel ipse Antonius Massa, si reuiuisceret, Theologus præclarissimus ordinis Minorum, is, qui pro Nicolao V. Pontifici Max. Nuncij Constantinopolitani munere functus est, tibi cessurus esse videatur. Cuius notitiæ præstantia viros Græcorum sapientissimos rationibus, & veritate ipsa de fide

Christiana conuicisti, & non esse ἀδύνατον ostendisti Ecclesiam Orientalem cum Occidentali, à qua illa tantopere dissidet, conciliare, atque coniungere. Cum quo Theologiæ studio præclarissimum legum studium iunxisti, atque Antonium Massam Gallæsium iuris Cæsarei, ac Pontificij scientia clarissimum egregie imitatus dignum te reddidisti, cui supremum legum munus in hac serenissima Rep. tibi deferretur; quod quidem viginti abhinc annos præclarissime obiuisti, non solum ipse egregiam operam nauans, tamquam iuris Veneti consultor primus, sed etiam publicæ vtilitati mirabiliter per eos seruiens, qui leges Venetas à te didicerunt, vt nihil de illis sciri propemodum existimetur, quod singulari sapientia tuæ acceptum non referatur, & non modo multi, qui viuunt, sed etiam nonnulli, qui vitam cum morte commutarunt, per te vnum iuris Veneti peritissimi facti sint, totaque à te pendeat Venetiis tam multos abhinc annos, legitima disciplina. Quid commemorem tuam in arte Medica excellentiam, quam præcipue professus es, ad quam in primis incubuisti, in qua natus, altus, & educatus es? de qua plura dicerem, nisi ea, quæ possum dicere, omnia, quamuis plurima, ac prope innumerabilia, ita omnibus nota, atque explorata essent, vt mea non egeant commemoratione. Sed pro me dixerunt Capiuaccei: pro me dixerunt Argenterij: pro me dixerunt Saxoniæ, Gauassetij, Rudij, alij quàmplurimi illustres Medici, qui te, tamquam Medicum præcellentissimum celebrarunt, non minus maiores tuos illustrantem, quàm à maioribus illis illustratum, in quorum sapientissimis animis ipsa Medicea scientia & omnis doctrina visa est domicilium habe[re], Nico-

lao

lao Massa, Boccaccij auctoritate celebrato, & altero Nicolao, auunculo tuo, & parente adoptiuo, vtroque singulari Medicæ facultatis laude clarissimo, Antonioque patre Apollonij, Medici quidem non vulgaris, doctissimo & clarissimo viro. Quantum vero excellas in arte poetica, in qua ad Virgilij, Catulli, Tibulli, ceterorumque excellentium veterum poetarum imitationem excellenter te effinxisti, satis declarat specimen illud pulcherrimum carminum tuorum, quod iam in adspectum hominum, lucemque prolatum est, quodque indicat, quid a te in hoc etiam genere sperari, atque expectari posse videatur. Itaque vniuersum prope liberalium doctrinarum orbem complexus es: solam tamen laudem ex eloquentia, & elegantia dicendi, atque scribendi fuisti quodammodo consectatus; vt & tuis scriptis nihil purius, nihil elegantius, nihil enucleatius meo quidem iudicio reperiatur: &, qui de aliorum scriptis cum ad alia omnia, tum ad eloquentiam pertinentibus iudicare melius queat, existimem esse neminem. Quæ in primis caussa fuit, cur & inter illos, qui à secretis sunt serenissimæ Reip. Venetæ, in alto dignitatis gradu sis collocatus, alioqui fide, labore, diligentia, studio, officio, pietate in patriam, aliisque virtutibus clarissimus, ob quas etiam tua dignitas altiori sane sita esset loco, nisi magis virtutis semper, quàm honoris studio incensus fuisses: & ad publica eloquentiæ munera obeunda, principesq; quandoq; in funere laudandos adhibitus fueris: & tam multa dederis præclara eloquentiæ documenta, vt, quin merito de eloquentia, & de vsu artis Rhetoricæ Aristotelis Commentarij tibi, tamquam optimo iudici, dicati sint, dubita-

turus sit nemo. Te igitur selegi, qui hos labores meos iudicares; cum præsertim res indigeat sapientissimo iudicio, quæ adhuc à paucis fuit cognita, & à nemine certe demonstrata, ut, quomodo utendum sit arte Rhetorica Aristotelis ad orationes conficiendas, & quo artificio tot præclaræ veterum orationes confectæ sint, facile cognoscatur. Rhetoricen Aristotelis nomino: quia ceteras ad hanc imperfectas arbitror; quã multi quidem sunt, qui studiosissime persequantur: sed, si orationem velint conficere, nesciunt sæpe, quid agant, unde incipiant, quid proponant, quid dicant, quem dicendi finem sint habituri; ut necessarium esset notare capita quædam, quibus animo perlustratis, & ex arte in qualibet materia pertractatis perfecta conficeretur oratio. Quod artificium nec ab interpretibus Rhetoricæ, nec ab explicatoribus orationum fuit satis mea quidem sententia obseruatum, & declaratum. Illi enim Theoriam complexi oratoriam, Praxim minime explicarunt: hi vero, tantum abest, ut muneri suo satisfecerint, ut alia omnia fere egerint, quàm illud ipsum, quod præcipue agendum esse videbatur. Aliud enim est, cum epistola, vel historia aliqua, vel aliud quidpiam eiusmodi explanatur: aliud, cum artificiosæ oratorum caussæ explicantur. Illic satis est, ut & res, & verba perspicua reddantur: hic maxime requiritur, ut & rerum, & verborum artificium omne, quod oratores adhibere consueuerunt, aperiatur. Quamobrem, cum alij singula prope verba enumerent, atque interpretentur, aliisque verbis circumscribant: alij ea præcipue obseruent, quæ ad historiam pertinent: alij loca corrupta emendent, variasque notent lectiones: nobis potissimum oratorium

rium artificium à dicendi magistris & in primis ab Aristotele non solum Philosophorum, sed etiam Rhetorum coryphæo, traditum nostris Commentariis perpendendum duximus: nec propositum habuimus, vt mēda ex libris tolleremus, sed vt dicendi artem commonstraremus, & Theoricen ad Practicen applicaremus. Vt enim illud non contemnimus, quod fecit Franciscus Hotomanus, fecit Paulus Manutius, fecerunt & alij, vt menda ex veteribus scriptis tollantur: sic in eo rem oratoriam minime consistere putamus; cumque id ab aliis factum sit, & vtinam quandoque non factum (nonnulli enim tanta arrogantia, & temeritate sunt ducti, vt multa potius deprauauerint, quàm correxerint) nos illud præcipuum habuimus, vt artificium oratorium obseruaremus. Ac verum quidem est illud, quod scripsit Hotomanus, eos, qui tropos quosdam, & figuras Græce aliquot in locis nominant, scripturam autem qualemcunque offenderint, relinquunt, neque de mendo vllam mentionem faciunt, non dissimiliter facere videri, ac si quis in Apellis Tabula, quæ cœno, & maculis contaminata esset, pictoris solertiam, atq; artificium ostentaret, neque prius labes, ac maculas, quæ operis gratiam, ac venustatem obscurarent, elueret: sed verum quoque illud est, satius esse labes, & maculas nō eluere, quàm eluendo magis fœdare, & inquinare, ac pristinum nitorem diminuere. Vtcunque sit, nobis consilium non accidit loca corrupta emendare: sed locorum emendatorum artificium ostendere, vsumque Rhetoricæ quasi digito commonstrare. Neque vero ab ipso Hotomano dissentio de illis orationum explicatoribus, qui magno cum errore præclare suo se mu-

nere perfunctos arbitrantur, si aliquot in locis figuras Græce nominarint: nam ex doctrina Aristotelis τὸ περὶ τὴν λέξιν δοκεῖ φορτικὸν εἶναι, καλῶς ὑπολαμβανόμενον, καὶ ἄλλα ἔξω τοῦ ἀποδεῖξαι περίεργα ἐστίν, *id, quod pertinet ad elocutionem, videtur esse importunum, & insolens, si recte existimetur, & alia præter demonstrationem superuacanea sunt.* αἱ γὰρ πίστεις ἔντεχνον ἐστὶ μόνον: τὰ δ᾽ ἄλλα προσθήκη, καὶ ἔξω τοῦ πράγματος, *fides enim sola, & solum enthymema continet id, quod artificiosum est: alia vero additamenti sunt loco, & extra rem. Et Cicero confitetur, ornamenta verborũ, sententiarumque rem esse infinitiorem. sed cum viro doctissimo in eo consentire non possum, quod videtur parum obseruare artificium, quod docuit Aristoteles, & ponere vim omnem artis Rhetoricæ in exordiorũ, & epilogorum præceptionibus: cum tamen scriptum reliquerit Aristoteles,* φανερὸν, ὅτι τὰ ἔξω τοῦ πράγματος τεχνολογοῦσιν, ὅσοι τἄλλα διορίζουσιν, οἷον τί δεῖ τὸ προοίμιον, ἢ τὴν διήγησιν ἔχειν, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον μορίων: οὐδὲν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἄλλο πραγματεύονται, πλὴν ὅπως τὸν κριτὴν ποιόν τινα ποιήσωσι: περὶ δὲ τῶν ἐντέχνων πίστεων οὐδὲν δεικνύουσι: τοῦτο δ᾽ ἐστιν, ὅθεν ἄν τις γένοιτο ἐνθυμηματικός, *Apparet ea, quæ sunt extra rem, illos præcipere, quicunq; in aliis rebus versantur, vt, quid oporteat procœmium, aut narrationem habere, & aliarum vnamquanque particularum: nihil enim in ipsis aliud tradunt, nisi quomodo disceptatorem cuiusdam modi efficiant: de artificiosa vero fide nihil demonstrant, hoc est, vnde aliquis fieri enthymematicus possit. Itaque Hotomanus scribit sic;* „ *Cum hoc tempore* „ *forensis illius disciplinæ (quà quidem ad intimum il-* „ *lud artificium, atque vt Cicero appellat,* μυστήρια *Rhetorum*

torum pertinebat, quales sunt exordiorum, & epilogorum præceptiones) aut nullus, aut certe pertenuis vsus esse videatur: nunquam equidem puerorum ingenia tam multis obsoletarũ præsertim, & inutilium rerum præceptis condiscendis occupanda esse iudicaui. idemque iis semper accidere existimaui, qui in docendis istiusmodi Hermogenis, aut Quinctiliani præceptis consenescunt, vt si qui hodie artem histrionicam domi laboriosissime traderent, discipuli vero quamuis longo, & magno labore instituti, nunquam in forum, atque in publicum prodiret: sed & ille stultissime docendo, & hi inutiliter perdiscendo operam suam infeliciter inanissimis in rebus collocarent. Habeo præterea huiusce consilij mei auctorem Asconiũ. ‹‹

Hactenus vir litteratissimus. Vbi primum videtur decipi, quod intimum artificium Rhetoricæ appellat exordiorum, & epilogorum præceptiones, quæ tamen ex doctrina Aristotelis additamenti sunt loco, & extra rem. Deinde, quia videtur sic argumentari; Rhetoricæ in foro, aut nullus, aut certe pertenuis est vsus: ergo Rhetorica in foro nõ est vtendũ: potest enim negari antecedẽs, quod si Rhetoricæ nõ est vsus circũforaneis proclamatoribus, & rabulis, &, vt appellat Cicero, forensibus anseribus, & canibus, & imperitis, & indoctis propter rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem, quàm Cicero dicebat esse caussam miræ eloquentium paucitatis: at certe est peritis, & doctis, qui ex ea percipiunt maxima adiumenta. Sed, vt etiam illud daretur, quod antecedit: neganda tamen esset consequentia; quoniam, si nullus sit vsus alicuius artis, vel quia nondum sit inuenta, vel quia non perfecte cognita, non idcirco sequitur

eam, cum fuerit inuenta, vel cognita, esse contemnendam; vt Rhetoricam Aristotelis, quam vnam absolutissimam, & perfectissimam merito appellamus, adhuc parum fuisse cognitam, maxime quod attinet ad eius vsum, arbitramur: non tamen esse spernendam contendimus, si talis vsus demonstretur, sed propter magnitudinem vtilitatis summopere complectēdam. Non igitur obsoletæ sunt Rhetoricæ præceptiones, nec inutiles, sed in vsu, atque tractatione, si non ignorantium caussidicorum, at certe magnorum oratorum; tantaque cum vtilitate coniunctæ, si ad vsum traducantur, vt nihil iis vtilius, nihil ad tractandas caussas accommodatius reperiatur; nec positæ sunt in solis exordiis, & epilogis, aliisque orationis partibus pueriliter conformandis, sed in rebus cuilibet materiæ insitis perpendendis, in omnibus quæstionibus tum infinitis, & vniuersalibus, tum definitis, & singularibus probabiliter, atque ad persuadendum accommodate instruendis, in controuersiis, & statibus caussarum commonstrandis, in argumentis inueniendis, in morata oratione constituenda, in ratione ostendenda affectuum tum concitandorum, tum cohibendorum, in exquisito elocutionis genere declarando, in omnibus idonee collocandis, & disponendis, in vnaquaq; parte orationis non ex communibus, sed ex propriis locis, & ex vberrimis quibusdam fontibus, quos in primis indicauit Aristoteles, deducenda: nec in solis caussis forensibus versantur, quas potissimum respicit Hotomanus, sed & demonstratiuis, & deliberatiuis, & qualibet quæstione. Accedit, quòd, tametsi vir eruditissimus prauam eorum consuetudinem egregie notat, qui in docendis, aut discendis Hermogenis, aut

Quincti-

Quinctiliani præceptis consenescunt, nec vnquam in forum, atque in publicum prodeunt: non tamen illud potest conficere, oratoria præcepta non fore vtilia iis, qui velint perdiscere, vt ipsa ad vsum reuocent, ad publica certamina, ad puluerem, ad clamorē conuertant, ad actiones oratorias, & ipsas orationes accommodent. Atqui, si darem, multa ab Hermogene, multa à Quinctiliano, multa etiam ab ipso Cicerone, & ab aliis quibusdam fuisse tradita, magis puerilibus rudimentis, quàm virili scientiæ accommodata, & fortasse magis trita, & peruulgata, quàm vt in eis magnum studium ponendum esse videatur: non tamen id concederem de Aristotele, qui τὸ σῶμα τῆς πίστεως spectauit, & nihil nisi abstrusum, nisi reconditū, nisi se ipso dignum docuit. Neque vero est, quòd ille mihi Asconium nominet, qui fuit magis historicus, quam Rhetor, nec illud in suis propositum habuit Cōmentariis, vt oratorium artificium patefaceret, nec debet esse canon, & regula Commentariorum in orationes conficiendorum, cum illa prætermiserit, quæ debent esse præcipua in orationibus explicādis. Quāquam nō prorsus est verum, quod notat Hotomanus, nullas esse in Commentariis Asconij oratorias obseruationes, qui si non alia, at certe genus orationum obseruauit, & statum caussarum, & nonnulla huiusmodi, quæ satis declarant, non fuisse eum imperitum Rhetoricæ facultatis, nec omnino alienum ab obseruando artificio oratorio. Sed, vt talis fuerit, debebitne idcirco eloquentiæ studiosus ab eo perdiscendo abhorrere, quod aliquis explicator vel propter inscitiam suam, vel propter negligentiam, vel propter odium artis, vel propter aliam caussam non attigerit? Nonne

ſatis conſtat, nec præcepta oratoria ſine obſeruatione orationum, nec orationes ſine obſeruatione præceptorum oratoriorũ poſſe ſatis recte cognoſci? Nonne ars, & artis opus ſe inuicem ſpectant? Et quiſquam erit, apud quem plus valeat Aſconij, vel potius Hotomani auctoritas, quàm ipſa veritas? Equidem aſſentior Paullo Manutio, viro noſtri ordinis clariſſimo, non ,, eſſe ſatis cognitam interpretandi rationem. Exire vi- ,, demus, inquit, quotidie à poſtremi ordinis hominibus ,, factos, ſpecioſis, magnaque pollicentibus titulis inſi- ,, gnes, minimi pretij commentarios: quos non modo qui ,, ſcribunt, falſa de ſe ipſis opinione decepti, verũ etiam ,, qui typis impreſſos edunt, iis, qui hoc de genere iudica- ,, re poſſunt, inconſultis, quodammodo deformant præ- ,, clara ſtudia litterarum. Sed ita aſſentior, vt ne eius quidem rationem in Ciceronis orationibus interpretandis ſatis probem. Cum enim profiteatur ſe verum interpretem fore orationum, penetralia tamen Rhetoricæ artis non attingit, nec quidquam notat, quod pertineat ad artificium oratorium, niſi ore omnium contritum, & peruulgatum, nec doctrinam Ariſtotelis quamuis egregiam, & præclaram vnquam adhibet ad ſuas interpretationes, vixque ſignificat ſe vidiſſe libros Rhetoricos Cornificij ad Herennium, & Ciceronis de inuentione, ex quibus quædam excerpit vel pauca, quæ tamen inchoata, & rudia eſſe, maximè ſi cum aliis Ciceronis de ratione dicendi operibus, vel certe cum arte Rhetorica Ariſtotelis conferantur, notius, atque exploratius eſt, quam vt pluribus probandum eſſe videatur. Ego vero duce in primis Ariſtotele in meis vtor Commentariis, & eatenus Ciceronem, Quinctilianum, Hermogenem, alioſque ſe-

quor

quor auctores, quatenus ab Aristotelis doctrina non discedunt: & declaro primum, quid ex arte faciendum sit: deinde quid à summis oratoribus factum fuerit: omniaque redigo ex eiusdem Aristotelis præscripto ad duodecim capita. nam primum, quæ ad naturam quæstionis pertinent, inuestigo: deinde quæ ad vim oratoris: postremo, quæ ad partes orationis. In quæstionis autem natura indaganda tria exquiro, rem, qua de agitur, genus quæstionis, statum caussæ. Hæc enim tria etiam oratores obseruare debent, cum orationem aliquam sunt confecturi. Quamobrem Aristoteles præcipit, in vnaquaque quæstione necessarium esse tenere ea, quæ in ipsa insunt. & Cicero sub persona M. Antonij ait; Hoc primum præcipiemus, quascunque caussas erit acturus, vt eas diligenter, penitusq; cognoscat. Idem Aristoteles tradit primum genera Rhetoricæ assumenda esse: deinde fidem demonstratiuam esse oportere, cumque de quattuor sit controuersia, opus esse ita demonstrare, vt de re controuersa demonstratio afferatur. Cicero quoque scribit; Cum accepto caussæ genere, & cognito rem tractare cœpi, nihil prius constituo, quàm quid sit illud, quò mihi referēda sit omnis illa oratio, quæ sit propria quæstionis, & iudicij. Patent igitur tria priora capita, quæ pertinent ad quæstionem, res, qua de agitur, genus quæstionis, status caussæ. Ad vim autem oratoris duo, vel tria referuntur. Aristoteles enim scriptum reliquit, cognoscendum esse, Quomodo, & Ex quibus ea, quæ proposuerimus, consequi possimus. & Cicero, Hæc duo nobis quærēda esse in caussis, primum Quid, deinde Quomodo dicamus. Percipere autem, Quid dicamus, vel Ex quibus dicamus, proprium est in-

uentionis: Quomodo vero dicamus, est elocutionis, & dispositionis. Quare ex illis duobus tria effici videntur, inuentio, elocutio, dispositio. Itaque idem Aristoteles docet, Tria esse, quæ oportet præcipere de oratione, vnum quidem, ex quibus ipsa fides existat: alterum de elocutione: tertium, quomodo conueniat ordinare partes orationis. Et Cicero, Tria videnda esse oratori, quid dicat: & quo quidque loco: & quomodo. Ac inuentionis quidem artificium triplex est, vnum argumentorum, alterum morum, tertium affectuum. Quod obseruat Aristoteles ad hunc modũ; Ac fides illa, quæ ratione excogitatur, triplex est; nam partim consistit in moribus eius, qui dicit: partim in eo, vt aliquo modo auditor afficiatur: partim in ipsa ratione, quòd aliquid demonstretur, vel demonstrari videatur. Et Cicero his verbis, Ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nexa; vt probemus vera esse ea, quæ defendimus: vt conciliemus nobis eos, qui audiunt: vt animos eorum ad quencunque caussa postulabit, motum vocemus. Elocutionis vero artificium potissimum positum est in dicendi genere congruenti. At dispositionis artificium in ordine rerum dicendarum. Quamobrem ad vim oratoris quinque præcipua capita referri videntur, argumenta, mores, affectus, quæ pertinent ad inuẽtionem, item elocutio, item dispositio: memoria enim, & pronunciatio sunt partes magis naturales, quàm artificiosæ. Orationis vero tot sunt capita, quot partes, nimirum quattuor, de quibus sic Aristoteles; Necessariæ particulæ sunt propositio, & fides. Ac propriæ quidem hæ plurimæ vero proœmium, propositio, fides, peroratio. Et Cicero in partitionibus oratoriis; Quid, orationis

quot sunt partes? Quatuor. Earũ duæ valent ad rem docendam, narratio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principiũ, & peroratio. Nominat enim Cicero narrationem pro propositione, quippe quæ ad propositionem referatur, quemadmodum etiam partitio. Aperui, vir præclarissime, quam sequor, rationem interpretãdi; quæ si tibi probabitur, optimo sane, & sapientissimo iudici, magnum mihi videbor laborum meorũ fructum percepisse. Atq; hoc opus meum tibi dicaui, non solum quia de eo rectissimum ferre iudicium potes, verum etiam, vt qui mihi semper faueris, maxime apud illustrissimos Gymnasij Patauini Moderatores, quibus plurimos abhinc annos es a secretis, quotidie magis perspiceres, non pessime fauorem tuum fuisse collocatum, sed in eo positum, qui memor sit beneficiorum acceptorum, semperq; ingrati animi vitium, tanquam omnium fœdissimum, ac turpissimum, vitauerit, & ob id, quas potuerit, memoris, & grati animi significationes adhuc dederit, & indies daturus sit. Offero igitur amplitudini tuæ hoc munusculum, meæ in te obseruantiæ, officij, ac pietatis testimonium; vtq; ipsum benigno animo accipias, meq; vt soles, commendatum habeas, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

Patauio. Anno 1594.

LECTORI.

ACCIPE, benigne Lector, quos in tuæ ſpem gratiæ Commentarios confeci; in quibus habebis totam Rhetoricam Ariſtotelis ad vſum applicatam, & quidem tam facile, vt vno prope intuitu poſſis cernere, quid in quaq; materia ex doctrina ſummi omnium Philoſophi peragendum ſit. Nam, quæ ille de vnoquoq; genere variis in locis magis ad refellendos veteres dicendi magiſtros, quam ad vſum conficiendarũ orationum accommodate tradidit, ea vnum ego in locum conduxi; vt, ſiquis vel quæſtioné aliquam infinitam, vel cauſſam deliberatiuã, vel demonſtratiuam, vel iudicialé velit pertractare, ad proprium talis materiæ locum poſſit confugere, & breui temporis ſpatio percurrere omnia, quæcunq; in eiuſmodi materia Philoſophorũ Princeps præceperit Ariſtoteles, & primum videre, quid agendum ſit, deinde quid a clariſſimis oratoribus in ſimilibus quæſtionibus, & cauſſis actum fuerit, atq; tum ad illius præſcriptum, tum ad horum imitationem conficere orationem. quod facillimam reddit oratoris actionem, ita vt conſideratis diligéter iis, quæ ars docet tam præclara, & decurſis iis duodecim capitibus, ad quæ omne oratorium artificium refertur, tanta copia ſubminiſtretur & rerum, & verborum ad quamlibet rem pertractandam, vt difficilius ſit modũ adhibere, ac ea reſtringere, quæ ars tam copioſa ſuggeſſerit, quam vberrimã componere orationem, & quidé talem, cuius optima ratio ex arte reddi


reddi queat. Sunt enim multi vberes quidem ad dicendum, & potius loquaces, quam eloquẽtes: ſed quia arte carent, rationem eorũ, quæ dicunt, reddere neſciunt. At, qui huius præſtantiſſimæ artis inſtrumẽtis inſtructi ſunt, nihil ſine ratione dicunt: quiq; in promptu habent eius præcepta, præterquam quod nunquam vel rerum, vel verborum inopia laborant, etiam ex tempore artificioſe loquuntur. Id quod non ſolum in me ipſo haud raro expertus ſum, cum mihi ſubito fuit dicendum, verum etiam in nonnullis auditoribus meis, qui tam fructuoſe hanc artem didicerunt, & in ea me duce, vel ſocio ſtudiorum ſuorum ſe exercuerunt, vt ſępe ad me, & cõtinuatis quibusdã diebus priuatim venientes de re aliqua ex improuiſo a me propoſita quotidie dicerẽt, qua ſemel audita, & in gyrum rationis, ac doctrinę paruo momento redacta, orationẽ ſtatim habebant tam artificioſam, vt viderentur cogitate, & parati, ac meditati dicere. Quorum neminem nomino, ne, ſi quem prætermitterem ex numero eorũ, qui me abhinc multos annos in hoc celeberrimo Gymnaſio tum publice, tũ priuatim audiuerunt, eum contempſiſſe videar. Plurimi certe fuerunt, qui cognita ex me arte Rhetorica Ariſtotelis, perceptoq; eius vſu, cũ ſumpſiſſent ſpatium ad cogitandũ, optimas orationes cõſcripſerunt. Neq; id commemoro gloriolæ meæ cauſſa, ſed vt vtilitatem, quæ percipitur ex hac Ariſtotelis doctrina, celebrem, magisque ſtudioſos eloquentię ad eam inflammem. quos vt iuuarẽ, pręter Latinam verſionem meam ipſius Rhetoricæ

Ariſtotelis, & præter Paraphraſim editã in eam, volui hos quoque de eiuſdem vſu Commentarios in aſpectum ipſorum, lucemq; producere, vt ſciant eloquentiam in veritatis lumen proferre. Cumque talem vſum demonſtrauerim túm in quæſtione infinita cognitionis, tum in quæſtione infinita actionis, tum in genere deliberatiuo, tum in demonſtratiuo, tum in iudiciali, tum in generibus cauſſarum miſtis, tum in orationibus Eccleſiaſticis: ſi cognouero huiuſmodi Commentarios meos, qui dabunt in hoc genere ſpecimen ingenij, atq; induſtriæ meæ, non inutiles eſſe, pronulgabo quoq; ceteros Commẽtarios in alias omnes Ciceronis orationes, quos hoc eodem ordine, & hac eadem ratione affectos, ac pene confectos, inibi ſum, vt abſoluam, atq; perficiã. Interim arcana, & myſteria omnia, quæ toto vitæ meæ curſu in hoc præclariſſimo ſtudio didici, cum initiatis eloquentiæ communico; & hoc bonum eo fore maius exiſtimo, quo per me communius fuerit, quod, benigne Lector, benigno animo accipe; meq; in eorum numero habe, qui omnia ſua conferunt ad communem ſtudioſorum vtilitatem, & viue, ac vale.

ARGV-

ARGVMENTVM, ET INDEX OPERIS.

Cum quæstiones oratoriæ aut sint infinitæ, & vniuersales, aut definitæ, & singulares; & illæ quidem partim cognitionis, partim actionis: hæ vero partim deliberatiuæ, partim demonstratiuæ, partim iudiciales:



DE VSV



DE VSU ARTIS RHETORICÆ ARISTOTELIS:

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIUS PRIMUS EXPLICANS RATIONEM QVAESTIONUM *infinitarum*.



ARISTOTELIS verba ſunt lib. I. cap. I. πειρώμεθα λέγειν, πῶς τε, καὶ ἐκ τίνων δυνησόμεθα τυγχάνειν τῶν προκειμένων. Conemur dicere, & quomodo, & ex quibus ea, quæ propoſita fuerint, conſequi poterimus. vnde colligitur in Rhetorica, & in quæſtionibus Oratoriis tria eſſe obſeruanda; Quæ propoſita ſunt ad dicendum: Ex quibus dicitur: Quomodo dicitur. Quæ propoſita ſunt ad dicendum, tria ſunt; primo loco, res, qua de agitur, de qua tenenda ſunt inſita, & ſelecta, & proxima, & magis propria; vt cum quæritur iuſtitia bonumne an non bonum ſit, quæ inſunt iuſtitiæ, aut bono, vt traditur lib. 2. cap. 22. Sic de parandis pecuniis, de bello, & pace, de cuſtodia regionis, de rebus importandis & exportandis, de legibus ferendis, lib. I. cap. 4. De Deo, homine, animali rationis experte, re inanimata, eodē lib. I. cap. 9. De rebus iuſtis & iniuſtis, etiam lib. I. cap. 10. Secundo loco Genus Quæſtionis, partim infinitū, & vniuerſale, tum cognitionis, vt an iuſtitia ſit bonum, tum actionis, vt, Quod

officium sit viri iusti. de quo genere Quæstionis adfertur exemplum lib.2. cap.22. partim definitũ, & singulare, tum deliberatiuum, vt an gerendum sit bellum contra Turcas: tum demonstratiuum, vt an Pompeius sit præ ceteris laudandus: tum iudiciale, vt an Roscius interfecerit patrem suum. de quo triplici genere lib.1. cap.3. Tertio loco controuersia, vel de facto, vt cum contenditur, nõ fecisse: vel de nomine facti, vt cum contenditur, nõ nocuisse: vel de qualitate facti, vt cum contenditur iuste fecisse: vel de quantitate facti, vt cum contenditur non tantopere; de quibus lib.3 cap.17. Ex quibus dicitur, sunt alia tria; primo loco argumenta partim ex locis topicis, vt definitione, enumeratione, notatione, relatione, cum vnusquisq; terminus quęstionis habeãt illa quatuor, & relatio sit aut amicorum in essentia, vt generis, speciei, antecedentis, consequentis, caussæ, effectus: aut amicorum in qualitate, vt coniugatorum, similium, adiunctorum: aut amicorum in quantitate, vt parium: aut inimicorum quomodolibet, vt differentium: aut inimicorum in qualitate, vt contrariorum, & repugnantium: aut inimicorum in quantitate, vt maiorum, & minorum: ad quos octodecim locos referuntur triginta loci, de quibus lib. 2. cap. 23 partim a propositionibus communibus, quæ probant possibile, impossibile: factum, non factum: futurum, non futurum: magnum, paruum: de quibus lib.2. cap.18 & 19. partim ex propositionibus propriis cuiusq; generis, quæ probant vtile in genere deliberatiuo, de quibus lib.1. cap.5. 6.7. 8. & honestum in Demonstratiuo, de quibus lib.1. cap.9. & iustum in iudiciali, de quibus lib.1. cap.10.11.12.13.14. & ad quas reducitur tota fides non artificiosa. cap.15. Secũdo loco mores tum oratorũ, vt prudentia, probitas, beneuolentia, de quibus lib. 2. cap.1. tum auditorum vel ex affectibus, vel ex habitibus, vel ex ætatibus, vel ex prospera, aduersave fortuna, de quibus lib.2. cap.12. 13.14.15.16.17. Tertio loco affectus vt ira, delinitio, amor, odium, metus, fidentia, pudor, impudentia, gratia, misericordia, stomachatio, inuidia, æmulatio, de quibus lib.2. cap.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.

Quomodo dicitur, pertinet ad alia sex, quæ sunt hæc; Primo loco elocutio, quæ spectatur partim in verbis sim-

plicibus,

plicibus, vel propriis vel immutatis, vt sit perspicua, non humilis, nec supra dignitatē, de quibus lib.3.cap.2.3.4 partim in verbis coniunctis, vt sit amplificata, emendata, decora, numerosa, fusa & versa conueniens, de qua lib.3.cap. 1.6.7.8.9. 10.11.12. Secundo loco dispositio partium orationis, quæ solent collocari quatuor, proœmium, propositio, fides, epilogus, de quibus lib.3.ca.13. Tertio loco proœmiū, tum demonstratiuum a sex locis, laude, vituperatione, suasione, dissuasione, iis, quæ referuntur ad auditorē: tum iudiciale, cuius duo sunt munera, indicare rem, cuius gratia oratio instituta est, & parare animos auditorum a quatuor locis, oratore, auditore, aduersario, re ipsa: tum deliberatiuum a quinq; locis, criminatione, depulsione criminis, amplificatione, diminutione, ornatu, de quibus etiam li.3. cap.14.15. Quarto loco, propositio, ad quam refertur narratio; partim demonstratiua, non continenter, sed in partibus; partim iudicialis, quæ debet esse perspicua & probabilis; & debet attexere, quæ pertineant ad nostrā virtutem, & aduersariorū improbitatem, & iudicibus iucunda sint; & debet esse minor defensoris, quam accusatoris, & morata, & affecta & nō semper eodem in loco: partim assumpta in genere deliberatiuo, aut ad criminandū, aut ad laudandum, de qua eodem lib.cap.16. Quinto loco fides; cuius instrumenta sunt tria, amplificatio, exemplum, enthymema; ex quibus amplificatio est magis propria generis demonstratiui: exemplū deliberatiui: enthymema iudicialis, siue aliquid demonstretur, siue refutetur, de quibus eodē lib 3.cap.17. & lib.2.cap.20. & 21. & lib.1 ca.2. Sexto loco epilogus, cuius quatuor sunt munera, vt orator bene paret auditorē erga se, male erga aduersariū: vt amplificet & deprimat: vt impellat animum auditoris ad affectum: vt memoriam renouet; de quibus eodem lib.3.ca.19. Cum autem duplex sit materia, in qua versatur Rhetorica, vna infinita, & vniuersalis, quam agnouit etiam Arist. lib.2.cap.22. afferens illud exemplum, vtrum iustitia sit bonum, an non bonum: altera definita & singularis; & infinitæ sit duplex genus, vnum cognitioni, in quo ipsa cognitio rei, scientiaq; perquiritur: alterum actionis, in quo agendi consiliū: definitæ vero triplex, deliberatiuum, demonstratiuum, iudi-

ciale; vſus ipſius Rhetoricæ eſt demonſtrãdus in vnaquaq; materia. Scribit enim Philoſophus lib.3.ca.2. Rhetoricam eſſe de re quaq;, & Rhetoricã de re data, id eſt de qualibet re propoſita perſuaſibile intueri, & oratorios ſyllogiſmos, perinde ac Dialecticos eſſe de rebus omnibus, de quibus ſunt loci, & propoſitiones communes ſimiliter omniũ, & hoc modo etiam de quæſtionibus vniuerſalibus, quæ ſunt partim cognitionis, partim actionis. Quod probat quoq; M.Tullius in Topicis, & in Partitionibus Oratoriis. Quã quam videtur poſtea philoſophus eam reuocare ad actiones humanas, tanquam ad materiam magis propriã, cum tradit Rhetoricã ratiocinari non ex quibuſlibet, ſed ex iis, quæ in conſultationẽ venire conſueuerũt: & munus ipſius eſſe de eiuſmodi rebus, de quibus conſultamus, quas eſſe res agendas lib.3.Ethica.3.ſcriptum eſt. Quamobrem apud Ciceronem lib.2.de Orat.M.Antonius eam pręcipue partẽ quęſtionis infinitæ coniungit cum oratoris officio, vt agat de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honeſtis aut turpibus, vtilibus aut inutilibus, de virtute, de iuſtitia, de cõtinentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, pietate, amicitia, fide, officio, & de ceteris virtutibus, vitiisq; contrariis: itemq; de imperio, de re militari, de diſciplina ciuitatis, de hominum moribus, & de omnibus quæ pertinent ad vſum ciuium, quæ verſantur in conſuetudine vitæ, in ratione reipub. in ſocietate ciuili, in ſenſu hominum communi. Non eſt tamen negandũ Rhetoricam verſari tanquam in materia maxime propria, in quæſtione definita, deliberatiua, demõſtratiua & iudiciali. Idcirco ſcribit Philoſophus lib. 1. cap. 3. tres eſſe formas Rhetoricæ, & tria eſſe genera orationum oratoriarum, deliberatiuum, demonſtratiuũ, iudiciale. Et Cicero lib.1. de inuentione hanc ſolã materiam recipit oratoris, vt hic ſolum tractet quæſtionem definitam. Sed vt modo notauimus, in aliis ſuis operibus aliter ſenſit. Nã in libris de Oratore tribuit oratori non modo quæſtionem definitam, ſed etiam infinitã, ſi non omnem (ſegregat enim ab oratoris officio theoricam quæſtionem, vt diſputet quanta ſit Solis magnitudo, quæ forma terræ, de mathematicis, de muſicis rebus, de aliis huiuſmodi) at certe practicen & in Topi-

cis, &

cis, & Partitionibus Oratoriis omnem, & definitā & infinitam recepit. Quod tamen ex doctrina Aristotelis ita intelligendum est, vt Rhetorica quidē sit de rebus omnibus, & de quæstionibus tum cognitionis tum actionis, sed magis de rebus agendis, & de quæstionibus vniuersalibus, sed magis de singularibus. Ceterū, quomodo omnia oratorie pertractari queant, quam breuissime, & quam planissime aperiendum est; priusq; videndū, quomodo vnumquodq; genus ex arte disputari debeat, & postea quomodo a præstantissimis scriptoribus fuerit disputatum. Ita enim vtilissime theoricam cum praxi coniungemus.

Iā vero vt ab vniuersalioribus incipiamus, & vsum Rhetoricæ in quęstionibus infinitis primum patefaciamus, atque illa duodecim capita, quæ superius notata sunt, perpendamus, nempe tria, quæ posita sunt ad dicendum, & tria, ex quibus dicitur, & sex, quomodo dicitur.

I.

PRoposita aliqua quęstione; tenendum est primum, quę insint in eo ipso, de quo agitur, id est in termino subiecto, & in termino prædicato quæstionis. Nā terminus subiectus significat id, de quo quæritur; terminus vero prædicatus id, quod quæritur. Exempli gratia in hac quæstione; An Rhetorica sit vtilis, id de quo quæritur, est Rhetorica: id, quod quæritur, est, an sit vtilis. Quare tenendum erit. quæ insint in vtroq; termino, & quæ sit natura vtriusq; ex selectis, propioribus; & magis proprijs.

II.

ET cognito eo, de quo agitur, simul cognoscendum est, genus quæstionis, an sit infinitum de re vniuersali, vt an sapiens debeat vxorem ducere; an definitum de re singulari, vt an Socrates debuerit iniurias perferre Xantippes vxoris suæ: pręterea, an sit quęstio infinita cognitionis, quę habet propositam scientiam, vt apud Cic. lib. 3. de Orat. Virtus sua vi ne propter dignitatē, an propter fructus aliquos expetatur. In Top. a natura ne ius profectū sit, an ab aliqua quasi conditione hominum, & pactione. In Partit. verine sint sensus, an sit quæstio infinita actionis, quæ habet finē consilium, cum quæruntur ea, quæ referuntur ad agen-

dum,& spectantur dupliciter. Aut in officij disceptatione, vt quid rectum, faciendumve sit, suscipiendine sint liberi, Quemadmodum colendi sint parētes; cui loco omnis virtutum, & vitiorum est sylua subiecta. Aut in animorum aliqua permotione, aut gignenda, aut sedanda, tollendave; ad quem locum pertinent cohortationes, obiurgationes, consolationes, miserationes; & oratio tum iracundiam restinguens, tum exultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abstergens, omnisque ad omnem animi motum & impulsio, & si ita res ferat, mitigatio.

III.

POstea tenenda est controuersia, quæ quidem apud Arist. vt superius notauimus, est quadruplex, An sit; vt an sit virtus a natura? Quid sit; vt quid sit virtus? Quale sit; vt qualis sit virtus: Quanta sit; vt an virtus sit tanta, vt sufficiat ad summum bonum efficiendum. Apud Cic. vero triplex tantum commemoratur, An sit, Quid sit, Quale sit. Et cognitionis dicuntur esse tres modi; coniectura, cū quæritur, an sit, Definitio, cum quæritur, quid sit: Consecutio, cum quæritur, quale sit. Et coniectura quæruntur quatuor; primo loco, sitne aliquid, vt Natura ne sit ius inter homines, an opinione; Ecquid nam honestū sit, quidnam æquū, re uera, aut hæc tantū opinione sint: Secūdo, vnde ortum sit, vt quid sit initiū legum, aut rerumpub. Natura, an doctrina possit effici virtus: Tertio, quæ id caussa effecerit, vt, cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiāt. Quibus rebus eloquentia efficiatur: Quarto de immutatione, vt num interire virtus in homine, aut num in vitiū possit cōuerti; possitq; eloquentia cōmutatione aliqua conuerti in infantiā; quæ doctrina est Cic. lib. 3. de Orat. & in Top. Nā in Partitionibus coniectura duo tantum dicuntur quæri; possitne aliquid effici, vt ecquisnam perfecte sapiens esse possit: & quemadmodum quidque fiat, vt quonam pacto virtus pariatur naturane, an ratione, vel vsu. Definitione etiam quæruntur quatuor; primo loco quid in communi mente quasi impressum sit; vt idne sit ius, quod maximæ parti sit vtile: Secundo quid cuiusq; sit proprium, vt ornate dicere propriumne sit oratoris; in hominemne solum cadat, an etiam in belluas ægritudo: Tertio quot in partes

tes distribuátur, vt quot sint genera rerum expetendarum, sintne tria, corporis, animi, exterarumve rerum: Quarto quæ forma, & quasi naturalis nota cuiusq;, & descriptio, ac quasi imago, vt auari species, seditiosi, gloriosi, qualis sit assentator, cæteraq; eiusdem generis, in quibus natura, & vita describitur. Hæc quoq; lib.3. de Orat. & in Top. Nam in Partitionibus cum quæritur, quid sit, duobus modis dicitur quæri; aut aliud, an idem sit, vt pertinacia, & perseuerentia: Aut quæ sit descriptio generis alicuius, vt qualis sit auarus; Quid sit superbia. Consecutionis autem quæstio, cum quæritur, quale sit, aut simplex est: aut ex comparatione. Simpliciter quæruntur tria; primo loco de expetendis fugiendisve, vt expetendine honores sint, num fugienda paupertas, an expetendæ diuitiæ, sit ne vtile in republ. administranda versari: Secundo de æquo & iniquo; vt æquumne sit vlcisci iniurias etiam propinquorum, Sitne æquum amicos cognatis anteferre. Tertio de honesto, aut turpi, vt sitne honestum gloriæ causa mortem obire, Honestumne sit pro patria mori, Honestumne sit pro amico periculum, aut inuidiam subire. Ex comparatione quæruntur duo; primo loco idemne sit, an aliquid intersit, Quid intersit inter metuere, & vereri, regem, & tyrannum, assentatorem, & amicum: Secundo, quid præstet aliud alij, vt optimine cuiusq; sapientes, an populari laude ducantur, Eloquentiane pluris sit, an iuris ciuilis scientia. Diuersa quoq; est doctrina partitionum ab ea, quæ lib.3. de Orat. & in Top. expressa est. Nam illic, aliud an idem sit, relatum est ad definitionem, hic vero ad Consecutionem ex comparatione. Nihil enim aliud traditum est in Part. quæri ex comparatione, nisi quid honestius, vtilius, æquius; quid honestissimum, vtilissimnm, æquissimum; vt quæ præstantissima dignitas vitæ.

IIII.

TRactantur quæstiones infinitæ argumentis ductis a locis topicis, qui apud Aristotelem lib. 2. cap. 23. enumerantur triginta.

1 A contrarijs, vt temperanter agere bonum esse, quia intemperanter agere perniciosum est.

2 A similibus casibus, vt non omne iustum expeten-

dum esse,quia non omne,quod iuste sit expetendum est,vt iuste necari.

3 Ab iis, quæ referuntur ad se inuicem, vt si alter iuste fecit,alter iuste passus est.

4 A maiori, vt si neque Dij omnia sciunt,multo minus homines.

5 A minori, vt si patrem occidit, multo magis occidet cæteros.

6 A pari, vt si vnus pater est miser propter amissionem filiorum, etiam alter.

7 Ab inspectione temporis, vt si prius concessissetis, etiam post debetis concedere.

8 Ab inspectione personæ, vt si peior persona malum non commisit, ne melior quidem.

9 A definitione,vt generosissimus est, qui optimus est.

10 A multiplici vocis significatione, vt canis multa significat.

11 A diuisione vt iniuria fit tripliciter,per consuetudinē, per commodi rationem,per affectum:& non est iniuria facta propter primam caussam, nec propter secundam, nec propter tertiam; ergo nulla iniuria facta est.

12 Ab inductione, vt iis, qui male curarunt alienos equos,non committunt suos,nec iis,qui euerterunt alienas naues,nec aliis omnibus similiter: ergo neq; iis, qui male custodierunt alienā salutem, debemus nostrā cōmittere.

13 A iudicio, vt mori malum est, quia Dei sic iudicarunt, cum mori noluerint.

14 A partibus,vt Socrates nullum templum violauit, nullumq; Deum co'ere destitit:ergo non fuit impius.

15 A consequenti,vt per eruditionem illud boni consequitur, vt sapientem hominem reddat:ergo oportet erudiri:vel illud mali consequitur,vt ei inuideatur: ergo non oportet erudiri.

16 Ab inuersione, vt non oportet cum populo agere: si enim iusta dicas homines te odio habebunt:si iniusta, Dei. Imo oportet cum populo agere;si enim iniusta dicas, homines te amabunt: si iusta, Dei.

17 Ab aperto,& occulto, quod aperte iusta & honesta, occulte vtilia præeligantur.

18 A pportione, vt si ex pueris, qui magni sunt, existimātur viri, etiā ex viris, qui parui sunt, debēt pueri existimari.

19 Ab eo, quod contingit, vt similiter sunt impij, qui aiunt Deos nasci, & qui dicunt Deos mori: vtroq; enim modo contingit non esse aliquando Deos.

20 A diuersa electione, quod non idem semper homines eligunt.

21 A diuersa caussa, vt Diomedes praelegit Vlyssem, nō honoris caussa, sed vt habeat comitem se ipso minorem.

22 A caussa impellente, quid sit possibile, & facile, & vtile ipsis, & perniciosum inimicis, & minus damnum, quā lucrum: vel a caussa retrahente ex contrariis.

23 Ab iis, quae fieri videntur, sed fidem non habent, vt indigent leges lege corrigente, quemadmodū pisces sale, quāuis nutriti in sale, & oliuae oleo, quāuis ex iis fiat oleū.

24 A repugnantibus, vt ait quidem se amare vos, sed contra vos cum triginta conspirauit.

25 A caussa purgante, vt cum quaedam mulier affecta esset calumnia, quod virum complecteretur, soluta est calumnia, quod mater esset.

26 A caussa, quae non extitit, vt non extitit caussa, cur Leodamus abraderet nomen suum publice notatum dominantibus triginta: ergo non abrasit.

27 Ab inspectione melioris, vt si non fecit, cum melius ei licuit facere, cōsequitur vt ne fecerit quidem cum peius ei licuit facere.

28 A contrario eorum, quae gesta sunt, vt si Leucothea existimabatur Dea, in eius sacrificiis lugendum non erat: si homo, ei sacrificandum non erat.

29 Ab errore, & malefacto, vt accusantibus Medeam, quod filios occidisset, qui minime apparebant, responsum est, peccasse Medeam, in filiorum missione, ob quam venerat in suspicionem de illorum caede, quod non filios, sed Iasonem potius interfectura fuisset, si committere caedem voluisset, atq; si filios interfecisset, peccasset, si non etiam Iasonem interfecisset.

30 A nomine, vt Draconis leges fuerunt non hominis, sed Draconis, quia asperae, atq; hi sunt loci Aristotelis, qui dicuntur loci verorum enthymematum, loci autem Cice-

ronis,sunt illi octodecim, qui superius enumerati sunt, & reducuntur ad illas tres maximas propositiones.

1. Definitio cum definito,partes cum toto,notatio cum notato conueniũt. 2. Relata amica inter se cõueniunt;siue sint amica in essentia,vt genus,species, antecedens, consequẽs,caussa, effectus: siue amica in qualitate, vt cõiugata, similia,adiuncta; siue amica in quãtitate,vt paria. 3. Relata inimica inter se non cohærent;siue sint inimica quomodolibet, vt differẽtia; siue inimica in qualitate,vt contraria & repugnãtia: siue inimica in quantitate,vt maiora minora. Horum octodecim locorũ altera ratio adfertur, quod de quolibet termino quæstionis quinq; possunt quæri.

I. Quæ reciprocantur,vt definitio,partes,notatio.

II. Quæ præcedunt,vt genus,caussa,antecedentia.

III. Quæ sequuntur, vt species, effectus, coniugata, antecedentia.

IIII. Quæ adnexa sunt, vt similia,adiuncta, maiora, minora,paria.

V. Quæ obsistunt, vt differentia, contraria, repugnantia.

Ad quos octodecim locos Ciceronis reducuntur triginta loci Aristotelis,vt demonstraui in mea paraphrasi.

1 Nam locus Cicer. a definitione est nonus Aristotelis.

2 Ab enumeratione partium est decimus a multiplici vocis significatione, seu a quo tupliciter, & vndecimus a diuisione,& decimusquartus a partibus.

3 A notatione est trigesimus a nomine.

4 A coniugatis est secundus a similibus casibus.

5 A genere potest reduci ad locum diuisionis, prout diuiditur genus in suas species, vt negato genere negentur species eius.

6 A specie potest reduci ad locum partium, prout posita vna parte, quæ sit species,simul ponitur genus, vel tolluntur aliæ species.

7 A simili est duodecimus ab inductione.

8 A differentia est decimusseptimus ab aperto & occulto,& vigesimus a diuersa electione.

9 A contrario est primus eodẽ nomine,tertius ab iis,quę conferuntur ad se inuicẽ,&decimus sextus ab inuersione.

10 Ab adiunctis est decimus tertius a re iudicata.

11 Ab an-

11 Ab antecedentibus intelligi poteſt ex ſuo contrario, nimirum ex loco conſequentium.

12 A conſequentibus eſt decimusquinctus ex conſequenti,& decimus nonus ab eo,quod contingit.

13 A repugnantibus eſt vigeſimus quartus,& vigeſimus octauus ex contrario eorum,quæ geſta ſunt.

14 A cauſſis eſt vigeſimus primus à diuerſa cauſſa,& vigeſimus ſecundus à cauſſis impellentibus, vel retrahentibus, & vigeſimus quinctus à cauſſa purgante,& vigeſimus ſextus à cauſſa,quæ non extitit, & vigeſimus nonus ab errore,& malefacto.

15 A rebus effectis, eſt vigeſimus tertius ab incredibili, quod fieri videtur.

16 A maiori eſt quartus, & octauus ab inſpectione perſonæ,& vigeſimus ſeptimus ab inſpectione melioris.

17 A pari eſt ſextus, & ſeptimus ab inſpectione temporis,& decimus octauus à proportione.

18 A minori eſt quinctus.

Tota igitur vis argumentandi poſita eſt in vſu horum octodecim locorum; ſiue per locos intelligantur propoſitiones vniuerſales per ſe notæ,vt illæ:

1 Definitio à definito, partes à toto, notatio à notato, coniugatum à coniugato non ſeparatur. Eſt homo, ergo animal rationis particeps,mortale: Eſt domus,ergo parietes,fundamentum, tectum: Eſt philoſophia,ergo ſtudium ſapientiæ:Eſt philoſophus,ergo philoſophatur.

2 Genus à ſpecie ſeparari poteſt: ſpecies a genere non poteſt.Nam poteſt eſſe animal, & non homo, ſed non poteſt eſſe homo, & non animal.

3 Similium,& parium eadem ratio eſt: illorum in qualitate, horum in quantitate: vt aurum igni ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpicitur.

4 Differentia,contraria, repugnantia, inter ſe non cohærent.Homo,& equus inter ſe differunt: virtus & vitium contraria ſunt:eſſe amicum, & maleficere inter ſe pugnãt,

5 Adiuncta, antecedentia,conſequentia inter ſe cohærent.Senex habet adiũctum,vt ſit auarus: ſi antecedit hoc, vt aliquis ſit homo,etiam conſequitur,vt ſit animal.

6 Cauſſa neceſſaria cum effectu ſemper cohæret: non

necessaria, non semper; ignis est, ergo calefacit: Patauinus est, ergo bonus.

7 Si quod magis videtur inesse, non inest, nec quod minus: & si quod minus videtur inesse, inest etiam quod magis: Si non interfecit inimicum, multo minus patrem, & si patrem, multo magis inimicum. Siue per locos intelligantur nomina, & appellationes ipsorum locorum, vt à definitione, ab enumeratione partium, à notatione, & reliquis superius notatis. His enim duobus modis intelligi locos doctissimi homines obseruarunt; & illos maximas propositiones: has differentias maximarũ nuncuparunt. Quamobrem singulorum natura quàm breuissime & quàm planissime aperienda est, & in primis maximæ propositiones sunt indicandæ.

DE DEFINITIONE.

DEfinitio est oratio, quæ explicat essentiam rei. Nam ea est vera definitio, quæ explicat essentiam; Vt homo est animal rationis particeps mortale. Itaque distinguitur à descriptione, quæ explicat non essentiam, sed ea, quæ accidunt rei, vt homo est, qui erecto in cœlum capite ambulat, & habet latos vngues, ac vtitur manibus. Quamquam in Rhetorica accipitur definitio pro qualibet rei explicatione, non solum per genus, & differentias, vt iudicetur tum, ad quam categoriam pertineat definitum, quod fit per genus, tum quomodo distinguatur ab aliis speciebus, quod fit per differentias, vel per genus & proprium, verum etiam aliis multis modis, vt ex contrariis, ex dissimilibus, ex paribus, ex descriptione personæ, ex enumeratione consequẽtium, ex vocabuli, & nominis explicatione, quos definiẽdi modos enumerauit Cic. in Partit. Oratoriis. Maxima propositio huius loci est, quod definitio & definitum idem sunt, vt homo, & animal prouidum, sagax, multiplex, memor, plenum rationis, & consilij. Et cui conuenit definitio conuenit definitum, vt Socrates est animal rationis particeps mortale, ergo homo. Et quidquid dicitur de definitione dicitur de definito, vt Rhetorica est ars benedicendi, & ars bene dicendi est vtilis, ergo Rhetorica est vtilis.

DE PAR-

DE PARTIVM ENVMERATIONE.

PArtium enumeratio est oratio, quæ enumerat, vel partes generis, quæ sunt species, vel partes totius, quæ sunt membra, vel partes ambiguæ, quæ sunt variæ significationes. At pars quidem generis habet nomen ac rationem generis, vt homo habet nomen animalis, ac rationem quoque ipsius animalis, vt sit essentia animata sensu prædita: pars vero totius nō habet nomen nec rationē totius, vt fundamentū est quidē pars domus, sed non domus. At pars ambigui habet nomē ambigui, sed nō rationē, vt piscis est canis, sed nō est vox ambigua, quemadmodū canis. Maxima propositio huius loci est, ꝙ sublatis omnibus partibus generis tollitur genus; vt non est homo, nec leo, nec asinus, nec alia huiusmodi species, ergo non est animal. Sublata vna parte totius, non est amplius totum, vt non adest fundamentum, ergo non est domus. Sublatis omnibus partibus ambigui, tollitur ambiguum, vt non est signū cœleste, nec piscis, nec animal latrabile, ergo non est canis.

DE NOTATIONE.

NOtatio est interpretatio nominis, vel explicatio vocabuli, vel oratio, quæ explicat originem vocis. Quare apud Quinctilianum dicitur originatio, apud Græcos ἐτυμολογία: vt consul est, qui consulit reip. Prætor, qui præest iuri dicundo: δημοκηδής, & poplicola, populi cultor. Maxima propositio est, quod interpretatio nominis idem valet, quod nomen, vel notatio idem valet, quod notatum. Et cui conuenit notatio, eidem conuenit notatum, vt est sapientiæ studiosus, ergo philosophus. Et quidquid dicitur de notatione dicitur de notato: vt studium sapientiæ est vtile, ergo philosophia est vtilis.

DE CONIVGATIS.

QVæ dicuntur à Grammaticis παράγωγα & deriuatiua, vt à forti, fortior, & fortissimus, à Priamo, Priamides, & Priamis, & à Dialecticis παρώνυμα, & denominatiua, vt à Grammatica Grammaticus, à prudentia prudens, dicuntur apud magistros dicendi σύζυγα, καὶ σύστοιχα, & coniuga-

ta, vt ſapiens, ſapienter, ſapientia, iuſtus, iuſte, iuſtitia. Quã-quam proprie apud Ariſtotelem coniugata differunt à caſibus, quod coniugata res ſint quædam vt iuſta, iuſtus, iuſtitia: caſus vero ſint modi actionum, vt iuſte, fortiter, ſalubriter, apte ad firmã corporis conſtitutionẽ. Sed vniuerſe definiuntur coniugata, quæ habent aliquã ſimilitudinẽ & diſſimilitudinem non ſolum vocis, ſed etiam ſignificati, vt prudens, prudenter, prudentia: fortis, fortiter, fortitudo. Maxima propoſitio eſt, quod coniugatorum vna ac eadem eſt natura: vt philoſophia eſt laudabilis, ergo philoſophari eſt laudabile, & cui conuenit vnum ex coniugatis, etiam alterum conuenit, ſcilicet probabiliter, non neceſſario. vt rem iuſtam egit, ergo eſt iuſtus, quod neceſſario nõ conſequitur: cum vna actio non reddat hominem iuſtum, vel iniuſtum, ſed requirantur plures actiones ad efficiendum habitum iuſtitiæ.

DE GENERE.

GEnus eſt, quod complectitur plures ſpecies, vt animal, hominem, leonem, bouem & huiuſmodi alias ſpecies: & cupiditas auaritiam & amorem. Maxima propoſitio eſt, quod poſito genere indefinite non ponitur ſpecies, vt ſi eſt animal, non ſequitur, vt ſit homo. Sed poſito genere cum ſigno vniuerſali, ponitur ſpecies, vt omne animal mouetur, ergo etiam homo. Et ſublato genere tollitur ſpecies: vt non eſt animal, ergo non eſt homo.

DE SPECIE.

SPecies eſt, quæ ſubiicitur generi, vt homo animali. Vim argumentãdi ab hoc loco declarat Quinctilian. quod vnius ſpeciei confirmatio, eſt alterius ſpeciei refutatio, vel generis approbatio. Itaque poſita vna ſpecie tolluntur aliæ: vt eſt homo, ergo non aſinus. Vel poſita ſpecie ponitur genus, vt eſt homo, ergo animal. Et quod proprium eſt vnius ſpeciei, id non poteſt alteri conuenire: vt homo eſt natus, & aptus ad ridendum, ergo non ſic equus, qui eſt aptus & natus ad hinniendum.

DE SIMILITVDINE.

SImilitudo eſt conuenientia rerum in qualitate ad hunc modum

modum, vt aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici potest: vt Catilina fuit vituperandus, sic Clodius: vt Cicero laudandus, sic Milo. Itaq; differt a comparatióne parium, quæ est conuenientia rerum in quantitate, hoc modo, tam aurum igne, quam beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici potest. Maxima propositio est, quod similia sub eandem rationem cadunt: vt eadem ratio est philosophorum ciuilium, & Iurisconsultorum: vt enim illi sunt vtiles rebuspub. sic etiam hi maxima afferre commoda existimantur. Et similibus similia conueniunt, vt cõuenit auro laus, tanquam rei preciosæ: sic etiam amicitiæ, quæ est tanquam aurum.

DE DIFFERENTIA.

IN Rhethorica, quælibet dissimilitudo dicitur differẽtia, cum aliqua diuersa ratio consideratur: vt alia est ratio iniuriam facientis, & iniuriam accipientis. ille semper est iniustus, hic esse iustus potest: ergo ratione iustitiæ melius est iniuriam accipere, quam facere. Maxima propositio est, quod de rebus inter se differentibus idem intelligi non debet: vt de rege, & tyranno: & res inter se differẽtes sub eandem rationem non cadunt, sed earum diuersa ratio est, vt non est eadem ratio moralium virtutum, & earum, quæ pertinent ad intelligendum: illæ enim in malam partem adhiberi non possunt: hæ possunt.

DE CONTRARIIS.

COntraria sunt, quæ longissime à se discrepant: siue sint in eodem genere, vt album, & nigrum in genere coloris: siue in contrariis generibus, vt Iustitia, & iniustitia in genere virtutis & vitij: siue contraria genera, vt bonum & malum. Maxima propositio est, quod contraria inter se conuenire non possunt, vt virtus, & vitium: & contrariis subiectis contraria prædicata conueniunt: vt virtus est amanda, ergo vitium odio habendum: maxime si contrarii non habeat medium, vt sanitas expetenda, ergo morbus fugiendus: vel si contrarium comparetur cum medio, vt intemperantia est mala, ergo temperantia est bona. Nam si contrarium conferatur cum contrario, cuius existat me-

dium,non valet argumentum: vt si vnum est malum, alterum sit bonum. vtrunque enim est malum, vt immanitas in voluptatibus aspernandis,& intemperantia,profusio,& auaritia,timiditas,& audacia.

DE ADIVNCTIS.

ADiuncta sunt,quæ finitimam naturam habēt, vt pallor timori,rubor pudori: quæ quidem vel antecedūt, vt amor concubitum:vel comitantur, vt pallor timorem, rubor pudorem : vel consequuntur, vt cædes inimicitiam. Sic ante cædem est apparatus,cum cæde impetus, post cædem fuga. Maxima propositio est,quod ex adiunctis adiuncta perpenduntur. Et posito vno de adiunctis ponitur & alterum,probabiliter, non necessario: vt senex est, ergo auarus. Iuuenis est,ergo amori, vel gloriæ deditus.

DE ANTECEDENTIBVS.

DVplex est antecedens,vnum naturæ,quod naturaliter est prius:vt Sol naturaliter antecedit lucem, pueritia senectutem:alterum argumentationis, quod in argumentatione est prius, etiamsi naturaliter esset posterius, vt si peperit,cum viro concubuit. Iam hoc loco intelligitur antecedens argumentationis, quod ex necessitate antecedit ita;vt posito antecedenti ponatur consequens: vt si homo est, rationis particeps est:at illud, ergo hoc. Et huiusmodi antecedens sex modis est,vel vniuersalius,quā consequens: vt si omne animal sentit,etiam homo sentit:vel minus vniuersale:vt si homo est,animal est:vel prius: vt si arrogās est, odiosus est:vel posterius:vt si Clodius insidiatus erat Miloni,erat eius inimicus:vel ęquale:vt si homo est,aptus,& natus ad ridendum est: vel simul:vt si luna deficit, terræ adest obiectio. Maxima propositio est,quod posito antecedenti, ponitur consequens. Vt si homo est, animal est. At homo, ergo animal. Et destructo antecedenti, nō semper destruitur consequens, sed tantum cum antecedens conuertitur cum consequenti: vt si est homo, est aptus & natus ad ridēdum. At non illud:ergo non hoc.


DE CONSEQVENTIBVS.

COnsequens est, quod ex necessitate, ita consequitur ante-

antecedens, vt sublato consequenti tollatur antecedens, vt si est homo, est animal. At non animal: ergo non homo. Maxima propositio est, quod destructo consequenti destruitur antecedens: vt si ambitio est virtus, est amanda, at non amanda, ergo non est virtus. Et posito consequenti nō semper ponitur antecedens: vt si est virtus, est amanda, at amāda, ergo virtus: quod non sequitur ex necessitate, cum quædam res sint amandæ, quæ tamen non sunt virtutes. Et posito consequenti, tunc ponitur antecedens, cum consequens conuertitur cum antecedenti: vt si est equus, aptus est, & natus ad hinniendum, At aptus, & natus est ad hinniendum, ergo est equus.

DE REPVGNANTIBVS.

Repugnantia sunt vnum contrarium, & consequens alterius contrarij: vt,



Maxima propositio est, quod posito vno de repugnantibus, destruitur alterum, vt amor, & odium sunt contraria: & amorem consequitur beneficium & odium maleficium: ergo amor, & maleficium repugnant. Sic odium, & beneficium: quare si me amat, mihi non malefaciet. Et destructo vno de repugnantibus, ponitur alterum: vt non amāt, ergo malefaciet.

DE CAVSSIS.

Caussæ sunt, à quibus manant effectus: & sunt quatuor: materia, ex qua res fit: forma, per quam res fit: efficiens, à qua res fit: finis propter quem res fit. Maxima propositio est, quod qualis caussa, talis effectus, & vnam quamque rem ex caussa spectare oportet: vt si bona sit caussa, etiam bonus iudicetur effectus: si mala, malus. exempli gratia, si amicus est, benefacit: si inimicus, malefacit. Et remota caussa, remouetur effectus, vt sine ædificatore non potest esse domus. Et posita caussa necessaria, ponitur effectus, vt ignis est, ergo calefacit. Et posita caussa non necessaria, nō semper ponitur effectus: vt mater est, ergo diligit filios, quod non est perpetuo verum.

DE EFFECTIBVS.

VT caussæ sunt, à quibus manant effectus: sic effectus sunt, qui manant à caussis: quemadmodum opus fabri à fabro. Maxima propositio est, Quod, vt caussæ effectum indicant: sic, quod effectum est, quæ fuerit caussa, demonstrat. Et posito effectu, ponitur caussa: non enim potest esse effectus sine caussa. Et sublato effectu non semper tollitur caussa, vt nō benefacit, ergo non est amicus, quod non perpetuo sequitur, cum aliquando amicus non benefaciat, quia non possit. Et sublato effectu, tūc tollitur caussa, cum est caussa necessaria, vt non calefacit, ergo non est ignis.

DE COMPARATIONE A MAIORI.

COmparatio à maiori ad minus, est à verisimiliori ad minus verisimile: ita vt si consequens sit minus, necessario antecedens maius esse intelligendum sit, si non magnitudine rei, at certe verisimilitudinis, quam spectandam esse in his comparationibus, patet ex Aristotele, quidquid senserint Cicero, Quinctilianus & alij, qui nonnunquam decepti sunt. Maxima propositio allata ab Aristotele est: si quid magis videtur inesse, non inest, nec quod minus: si non fecit furtum, multo minus faciet sacrilegium: si non occidit inimicum, multo minus occidet patrem.

DE COMPARATIONE A MINORI.

COmparatio à minori ad maius est à minus verisimili ad verisimilius, ita vt si consequens sit maius, necessario antecedens esse minus, intelligendum sit, id est, si illud verisimilius, hoc minus verisimile. Maxima enim propositio est: si quid minus videtur inesse, inest, etiam quod magis: si fecit sacrilegium, multo magis faciet furtum, si occidit patrem, multo magis occidet inimicum. Nam si consequens est magis, quæ ratio est, cur antecedens non sit minus? valde enim mirandum est, quod Cicero voluerit libr. 2. de Oratore, illam argumentationem esse à maiori: Si pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? & Quinctilianus illam: si sacrilegium fecit, faciet & furtum.

furtum. quæ tamen ex regula Aristotelis luce clarius sunt à minori: quod alibi quoque notauimus.

DE COMPARATIONE A PARI.

Comparatio à pari, est ab æque verisimili, vt tam Demosthenes, quam Cicero, fuit egregius orator. Maxima propositio est, si neque magis, neque minus est, vt tam vnus pater est miser, quam alter propter amissionem filiorum. Tam accipiet aliquis pecuniam propter falsum testimonium dicendum, quam propter falsam sententiam dicendam.

QVOMODO DISTINGVANTVR LOCI INSITI AB ASSVMPTIS.

Loci superius declarati dicuntur in re ipsa insiti, & inhærentes, apud Ciceronem: & artificiosę rationes fidei faciendæ apud Aristotelem, seu πίστις ἔντεχνοι, quod eis pariat oratoris ars, & in ipsis inueniat argumenta. Alij vero loci sunt assumpti, & non artificiosæ rationes fidei faciendæ, seu πίστις ἄτεχνοι, quod eos non pariat oratoris ars, sed foris ad se delatos tamen arte tractet, vt apud Ciceronem testimonium diuinum, & testimonium humanum: & apud Aristotelem leges, testes, quæstiones, pacta, iusiurandum. Itaque ratione inuentionis illi sunt ex arte: hi sine arte: quoniam illi arte oratoris inueniuntur: hi non inueniuntur: etiam si ratione tractationis vtrique sint artificiosi. Cū autem priores singuli à nobis sint explicati, quoniam posteriores putat Aristoteles esse proprios generis iudicialis, idcirco illorum explicationem tali generi reseruamus.

DE LOCIS ADVMBRATARVM ARGVMENTATIONVM.

Argumentationes probabiliores ex locis modo explicatis ducuntur. Alij vero loci apud Aristotelem connumerantur apparentium argumentationum, & enumerantur decem.

1. Ex conclusione minime probata, vt si concludatur aliquem esse homicidam, quia sit intemperans, ambitiosus, sacrilegus. Si concludatur aliquem commisisse adulte-

rium, quia ſit inſolens, parum iuſtus, parum liberalis, & inimicus religionis, & libertatis.

2. Ex homonymia, cum alia ſignificatio in probatione, alia in cõcluſione ſpectatur, vt Myſteria ſunt venerãda: ergo mys, & mus eſt venerandus. Canis cœleſtis, & canis pan eſt celebrandus: ergo canis eſt celebrandus, id eſt, animal latrabile. Non eſſe canem ſignificat non eſſe Deum, vel non eſſe ſplendidum, vt eſt canis cœleſtis, & hoc modo non eſſe honoratum: ergo eſſe canem ſignificat eſſe honoratum. Mercurius eſt maxime communis, quia nuntius omnium deorum: ergo maxime communis, id eſt, maxime liberalis. Eſt logo dignus, id eſt, ſermone: ergo eſt logo dignus, id eſt, exiſtimatione.

3. Ex coniunctione diſiunctorum, quæ valent diſiuncta, ſed non coniuncta, vel ex diſiunctione coniunctorum, quæ valent coniuncta, ſed non diſiuncta, vt ſcis in Piræo: ſcis triremẽ eſſe: ergo ſcis in Piræo triremem eſſe. Scis elementa, ex quibus conſtat carmen: ergo ſcis carmen. Duæ variæ ſunt malæ: ergo vna non bona, vel vna mala. Thraſybulus triginta ſuſtulit: Thraſybulus tyrannos ſuſtulit: ergo Thraſybulus triginta tyrannos ſuſtulit. Iuſtum eſt Clytemneſtram necari: Iuſtum eſt Oreſtem vlciſci mortem patris. ergo iuſtum eſt Clytemneſtram necari per Oreſtem, qui vlciſcatur mortem patris. vbi obſeruandum eſt, quædam valere diſiuncta, quæ non valent coniuncta, vt cum per accidẽs prędicãtur, exempli gratia Socrates eſt bonus: Socrates eſt Citharœdus: ergo Socrates eſt bonus Citharœdus. Epicurus eſt bonus: Epicurus eſt philoſophus: ergo Epicurus eſt bonus philoſophus. Quædam valere coniũcta, quæ non valent diſiuncta, vt cum eſt aliqua contrarietas in prædicatis, exempli cauſſa valet, vt dicamus, Socrates eſt homo mortuus: ſed non Socrates eſt homo. & cum prædicatum eſt per accidens, vt Homerus eſt poeta, non ſimpliciter, Homerus eſt.

4. Ex indignatione, & exaggeratione, atque amplificatione, cum orator cõfugit ad δείνωσιν, de qua Quintilianus libro ſexto ad hunc modum: Eſt autem δείνωσις rebus aſperis, indignis, inuidioſis addens vim oratio, & quamui nihil demonſtratum ſit, tamen crimen exaggerare, tamquam

quam planum iam factum ſit, reum illi crimini affinem.

5. A ſigno innominato, & ſolubili, vt ſi quis diceret, ſignum eſſe, amatores prodeſſe, quod Harmodius, & Ariſtogiton amatores fuerunt, & Reip. Athenienſi profuerunt, cum occiderunt Hipparchum tyrannum: & ſignum eſſe, Dionyſium furari, quia qui furantur improbi ſunt, & Dionyſius eſt improbus.

6. Ab eo, quod accidit, vt ſiquis dicat mures eſſe vtiles, quia opem tulerint cuidam genti, comedentes neruos arcuum, quos habebant hoſtes. Et ad cœnam vocari eſſe honeſtiſſimum, quia non vocatus Achilles ſuccẽſuit Achiuis in Tenedo.

7. A conſequenti, quod non conuertitur, vt Magnanimus contemnit multorum conſuetudinem: Hic contemnit multorum conſuetudinem: Ergo magnanimus. Adulteri ſe comũt, & noctu vagantur: Hic ſe comit, & noctu vagatur. Ergo adulter eſt. Felices & cantant, & ſaltant: Mendici & cantãt, & ſaltant: ergo mẽdici ſunt felices. Felicibus licet vagari: Exulibus licet vagari: Ergo exules ſunt felices.

8. A non cauſſa, quaſi cauſſa, cum id accipitur tãquam cauſſa, cum quo, vel poſt quod aliquid factum eſt, vt poſt Demoſthenis publicam adminiſtrationem accidit bellum: ergo illa fuit cauſſa malorum.

9. A defectione temporis, vel modi, vt optionem habuit Helena ſequendi virum, quem vellet: ergo iure potuit fugere cum Alexandro. At non habuit optionem ſemper. Et qui cędit liberum hominem, cõtumeliam facit: hic cędit: ergo facit. At non omnino illud eſt verum, ſed tantum, cum prior laceſſit iniuria, & non cum ſe ipſum defendit.

10. Ab eo, quod non ſimpliciter eſt, ſed quoddam eſt. Quemadmodum enim in contentioſis, & ſophiſticis fit apparens ſyllogiſmus ab eo, quod non ſimpliciter eſt, exempli gratia, cum probatur eſſe, quod non eſt, quia id, quod non eſt, eſt id, quod non eſt: & quod cognoſci non poteſt: ſciri poſſe, quia, quod cognoſci nõ poteſt, ſciri poteſt id cognoſci non poſſe: ſic quoque in Rhethoricis eſt apparens enthymema ab eo, quod non ſimpliciter veriſimile eſt, ſed quoddam veriſimile, de quo ſic legitur in poetica Ariſtotelis: Eſt autem hoc, cum ſapiens quidem, ſed improbus de-

ceptus fuerit, vt Sisyphus: & fortis quidem, sed iniustus, superatus sit. Atque hoc verisimile est, vt Agathon dicit. Verisimile enim est fieri multa præter verisimile. Vnde colligitur, duplex esse verisimile, vnum, quod fit plerunque, vt cũ astutus decipit, & fortis superat: alterum, quod fit raro, & dicitur verisimile præter verisimile ex sententia Agathonis, vt cum astutus decipitur, & fortis superatur. Iam, vt in sophistis, cum qua ex parte, & qua relatione, & vbi non additur, id efficit fallaciam, exempli gratia oculus est albus, oculus non est albus, quod est verum in diuersis partibus: & decem sunt dupli, decem non sunt dupli, quod etiam est verum, si ad diuersa referantur, vt ad quinarium & senariũ: & Socrates sedebat, Socrates non sedebat, quod quoque verum est in diuersis locis, & temporibus: ita in Rhetorica præter verisimile esse, non simpliciter, sed quoddam verisimile est: exempli caussa, verisimile simpliciter est, vt debilis nõ verberet, & robustus verberet: at verisimile quoddã est, vt debilis verberet, & robustus nõ verberet, & quidẽ verisimile præter verisimile, & Agathonis. Itaque cum agitur de verberatione, siue quis non sit obnoxius culpæ, vt debilis, siue sit obnoxius, vt robustus, poterimus argumentari non esse verisimile, & esse verisimile. Nam de debili non est verisimile simpliciter vt verberarit: sed est verisimile quoddã. Et de robusto non est verisimile simpliciter, vt non verberarit: sed est verisimile quoddam, dum ille intelligeret id in se verisimile visum iri.

DE LOCIS SOLVTIONVM.

QVoniam in quæstionibus sæpe soluenda sunt argumenta aduersariorum, idcirco cognoscẽdi sunt quoque loci solutionum, qui dupliciter spectantur, aut generatim, aut speciatim.

Primo modo sunt duo, vnus à contraria ratiocinatione, cum affertur firmius argumentum, vt in deliberationibus argumento honestatis pręualet argumentum vtilitatis. Ad quam contrariam ratiocinationem pertinent iidem loci, qui superius enumerati sunt. Alter ab obiectione, quæ quadruplex est: vna ex eodem, aut vniuerse, vt omnis indigentia est malum: ergo amor non est bonum: aut in parte, vt Caunius

nius amor fuit malus, quo Byblis miserrime arsit erga Caunum fratrem suum: ergo non omnis amor est bonus. Altera ex simili, vt eadem ratio est eorum, qui malum, & eorum, qui bonum acceperunt: quemadmodum enim illi non semper diligunt: ita hi non semper odio habent. Tertia ex contrario, vt homo improbus non omnibus amicis malefacit: ergo ne probus quidem omnibus amicis benefacit. Quarta ex re iudicata, vt non oportet veniam dare temulentis, qui ignoranter peccant, cum Pittacus iudicauerit proponendas esse grauiores pœnas temulentis peccantibus.

Secũdo modo, cũ omnis argumentatio oratoria seu enthymema ducat ex quatuor, nempe ex verisimili, exemplo, tecmerio, signo, & verisimile sit, quod plerunq; se habet vniuersum, vt matres amant filios: & exemplum sit quod per vnum singulare probat alterũ, vt T. Gracchus propter seditionẽ fuit merito interfectus: ergo etiam C. Gracchus: & tecmerium sit signum necessarium, vt si probetur aliquẽ ægrotare hoc signo, quia febrem habet: & signum innominatum nullam habeat necessitatem, sed solui possit, vt si probetur aliquẽ habere febrem hoc signo vniuersali, quia qui febrem habet, anhelat, vel si probetur omnes sapientes esse iustos, hoc signo singulari, quod Socrates fuit iustus, & fuit sapiens: oriuntur quatuor loci solutionum, prout hæc quatuor soluuntur.

1. A solutione verisimilis, quod non sit necessarium: vel quod non sit verisimile, cum contrarium fiat frequentius: idq; duobus modis: aut tempore, cum crebro fiat contra quam dicit aduersarius, vt si quis ita argumentetur, Familiarius locutus est cũ muliere, ergo verisimile est adulterũ esse: potest responderi, immo non est verisimile, quia crebro fit contrarium: aut rebus ipsis, quia res plurimæ aliter fiant, quam ille ait, vt si hoc argumento vtatur, sapiens est, ergo verisimile est arrogantem esse, solui potest, Immo nõ est verisimile, quia sapientes plurimi non sunt tales.

2. A solutione exempli, quod aliquid non sic euenerit, vt nõ semper, qui Rempub. administrarũt, infelices exitus habuerunt: quod soluit exemplum Cæsaris, qui infelicem exitum habuit: vel quod id, de quo agitur, non sit simile, vt

si argumentum ducatur ab exemplo in hunc modum: Catilina expulsus est, ergo etiam debuit expelli Cicero: respondendum est, immo non debuit, diuersa enim fuit ratio huius, atque illius.

3 A solutione tecmerij, quod non existat, vt si quis probet aliquam fœminam cum viro concubuisse, hoc signo necessario, quia peperit, negandum est, si fieri potest, ipsum signum: alioqui argumentum est insolubile.

4 A solutione signi innominati, quod non recte concludat, vt non recte concludit illud, Pittacus fuit probus: Pittacus sapiens: ergo omnes sapiẽtes probi: nec illud, grauida est pallida: hæc pallida: ergo grauida.

Hactenus igitur de copia argumentorum ex locis.

V. VI.

CApur de moribus, & caput de affectibus, non admodũ seruiunt quæstionibus infinitis: quia vbi tantum finis est docere, ibi satis esse possunt loci Topici, & non est opus moribus, nec affectibus, vt in quæstionibus infinitis. contra vero, vbi finis est non solum fides, sed etiam motus, vt in quæstionibus definitis. auctor Cicero in Partitionibus Oratoriis, vbi legitur: Est in proposito finis fides; in caussa & fides, & motus. nam per propositum intelligit quæstionem infinitam: & per caussam intelligit quæstionem definitam. Ad motum autem referuntur mores, & affectus, cũ illi leniter, hi vehementer moueant. Cum igitur agetur de quæstionibus definitis, tunc potissimum vsus morum, & affectuum erit demonstrandus.

VII.

SEquitur elocutio perpendenda, quæ duplex est apud Arist. lib. 3. Rhet. vna contentionis, vt iudicialis, & deliberatiua, quæ debet esse emendata: altera scriptionis, ad quam refertur demonstratiua, cum vtraq; debeat esse exactissima. Verba Aristotelis sunt: ἔστι δὲ λέξις γραφικὴ ἡ ἀκριβεστάτη. Vnde idẽ colligit τὴν ἐπιδεικτικὴν λέξιν, quia est γραφικωτάτη, oportere esse ἀκριβεστάτην. Quamobrem quæstiones infinitæ, quæ scribuntur, exactissimam requirunt elocutionem.

Quem-

VIII.

QVemadmodum autem in sermonibus philosophorũ duę partes sunt necessariæ προβλημα, καὶ ἀπόδειξις, quęstio, & demonstratio, necessarium enim est primum proponere quæstionẽ, deinde demonstrare: sic in orationibus oratorũ duæ partes dicũtur necessariæ, sine quib. oratio esse nõ potest, πρόθεσις, καὶ πίστις, propositio, & fides: proponendum .n. est illud, de quo postea fides fit: & de eo fides est facienda, ꝙ ante propositũ est. Ad fidem aũt refertur cõfirmatio, & refutatio, cũ vel nostra confirmamus, vel cõtraria refutamus. Alię duæ partes solent adiũgi, προοίμιον, καὶ ἐπίλογος, exordium, & peroratio, ita vt primum collocetur exordium, secunda propositio, tertia fides, quarta peroratio.

IX.

QVod attinet ad exordia, seu procemia, quemadmodũ scriptæ quæstiones infinitæ conueniunt cum orationibus demonstratiuis in elocutione exactissima: sic videntur quoque in procemiis conuenire, quæ possunt esse separata, quale fuit procemium in encomio Helenæ apud Isocratem, vbi agitur de sophistis nequaquam ad Helenã pertinentibus: & qualia esse solent procemia Ciceronis in libris eius, adeo separata plerunque ab eo, de quo agitur, vt etiam facta essent, priusquam de aliquo opere conscribendo cogitaret. Habebat enim volumen procemiorum ante alia opera conscriptum, & ex eo eligebat procemia sua. quo factum est quandoque, vt vno & eodem procemio in duobus operibus διὰ μνημονικὸν ἁμάρτημα vsus sit, vt ipse testatur epist.5 lib.16.ad Att. hoc modo. De gloria librum ad te misi: & in eo procemium, id est, quod in Academico tertio. id euenit ob eam rem, quod habeo volumẽ procemiorum. ex eo eligere soleo, cum aliquod σύγγραμμα institui. Itaq; iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto procemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. Cum autem in naui legerem Academicos, agnoui erratum meum. Itaque statim nouum procemium exaraui, & tibi misi, tu illud desecabis, & hoc agglutinabis. Item Cicero affirmat, se vti huiusmodi procemiis ad imitationẽ Aristotelis in exotericis libris. Sic.n. scribit epist.15.lib.4.ad Att.

In singulis libris vtor prooemiis, vt Aristoteles in iis, quos ἐξωτερικοὺς vocat. Quædam enim ipse Aristoteles nominabat ἐξωτερικὰ, id est, quæ ad Rhethoricas meditationes, facultatem argutiarum, ciuiliumq; rerum notitiam conducebant. alia vero appellabat ἀκροαματικὰ, id est, in quib. philosophia remotior, subtiliorque agitabatur: quæque ad naturæ contemplationes, disceptationesque dialecticas pertinebant. auctor Gell. lib. 20. cap. 4. In exotericis igitur, & extrariis, atq; extra præcipuam professionem suam positis, vtebatur prooemiis Aristoteles: qua in re Cicero eum imitatus est. Quamquam illud interesse inter prooemia Aristotelis, & Ciceronis videtur, quod illa ex re ipsa ducta, vt prooemium Ethicorum ad Nicomachum tribus prioribus capitibus comprehensum, quorum tertium finitur his verbis, quæ denotant finem prooemii, καὶ περὶ μὲν ἀκροατοῦ, καὶ πῶς ἀποδεκτέον, καὶ τι προτιθέμεθα, πεφροιμιάσθω τοσαῦτα, & prooemium Rhetoricæ de similitudine ipsius Rhetoricæ cum Dialectica, & de vtilitate: hæc vero, fere omnia, separata esse consueuerunt, & à re, qua de agitur, ita aliena, vt non magis in vnum, quam in alterum opus cõuenire posse videantur. Quòd autem scribit Robortellus in primũ contextum Artis poeticæ Aristotelis, nullo vti exordio ipsum Aristotelem consueuisse, Vincentius quidem Madius notat falsum esse, sed fortasse verum est de acroamaticis, non de exotericis, vt colligitur ex verbis Ciceronis superius recitatis. Ac duo quidem sunt munera exordiorum, parare animos auditorum, seu lectorum, & indicare finem, cuius gratia oratio instituta est. Sed hæc indicatio finis, quæ fit in exordio, generalior est, quam propositio rerum pertractandarum. Illa non est pars necessaria, qua carere oratio potest: hæc pars necessaria, quæ omnino fieri debet, vt docet Aristoteles lib. 3. Rhet.

X.

IN omnibus igitur disputationibus philosophicis, & oratoriis debet esse propositio rerum disputandarum, & collocanda est tanquam pars necessaria cum demonstratione seu fide. Quod docet Aristoteles sic, ἔστι δὲ τοῦ λόγου δύο μέρη. ἀναγκαῖον γὰρ τό τε πρᾶγμα εἰπεῖν περὶ οὗ, καὶ τότ᾽ ἀποδεῖξαι. διὸ εἰπόντα μὴ ἀποδεῖξαι, ἢ ἀποδεῖξαι μὴ προειπόντα, ἀδύνατον.

τον. ὅτε γὰρ ἀποδεικνύων τι ἀποδεικνύει : καὶ ὁ προλέγων, ἕνεκα τοῦ ἀποδεῖξαι προλέγει. τούτων δὲ, τὸ μὲν πρόθεσις ἐςί : τὸ δὲ πίςις. ὥσπερ αὖ εἴ τις διέλοι, ὅτι τὸ μὲν πρόβλημα : τὸ δὲ ἀπόδειξις. & propoſitio eſt, qualis eſt illa Poeticæ Atiſtotelis, περὶ ποιητικῆς, αὐτῆς τε, καὶ τῶν εἰδῶν αὐτῆς, &c. Sentio enim cum Robortello contra Madium, illam eſſe propoſitionem, & nō procemium: atque ſi Simplicius, Auerroes, Philoponus, Alexāder, alij propoſitionem aliquando procemium appellarūt, eos abuſos eſſe nomine procemij, cùm procemium auctore Ariſtotele non ſit pars neceſſaria, propoſitio vero ſit pars neceſſaria: & indicare quidem procemium rem, qua de agitur, ſed vniuerſalius, quam faciat propoſitio, vt ſi exponatur agendum eſſe de rebus poeticis, eſſe procemium: ſi de poetica in genere, & in ſpecie, quam vim vnaquæque ſpecies habeat, id eſt, in quo conueniāt, & differant ſpecies poeſis, & quomodo ortę ſint: præterea quomodo oporteat componi fabulas, vt Tragœdiam, Comœdiam, Epopœiā, & ex quot, ac quibus partibus, tum qualitatis, tum quantitatis: & de aliis, vt de reprehenſionibus, & excuſationibus poetarum, & de dignitate Tragœdiæ, atque Epopœiæ, eſſe propoſitionem totius poeticæ.

XI.

INſtrumenta fidei ſunt argumentationes, & argumentatio eſt duplex, vna, quæ valet ad docendum, altera, quę ad amplificandum. Sic enim ſcriptum reliquit Cicero in partitionibus. Eſt enim amplificatio vehemens quædam argumentatio, vt illa docendi cauſſa ſit, hæc commouendi. Et paulo poſt; Argumentandi duo ſunt genera: quorum alterū ad fidem directo ſpectat: alterum ſe inflectit ad motum. Ac argumentatio quidem docendi cauſſa, vel eſt magis propria Dialecticorum, vt ſyllogiſmus, & inductio: vel magis propria Oratorum, vt enthymema, quod eſt ſyllogiſmus oratorius, & exemplum, quod eſt inductio oratoria. Cum enim in multis, & ſimilibus demonſtratur rem ita ſe habere, in Dialectica quidem eſt inductio, in Rhetorica vero eſt exemplum, cum illa diſtinctione, quod inductio eſt ex omnibus ſingularibus, & probat vniuerſale, vt Socrates ſapiēs fuit honorandus, & Bias, & Pittacus, & alij ſimiliter, ergo omnes ſapiētes honorandi: exemplum vero non eſt ex

omnibus singularib.& probat singulare, vt Ti. Gracchus Tribunus pl.seditiosus fuit merito interfectus, ergo etiam C.Gracchus.Cum autem quibusdam positis, aliud quid ex iis, quæ posita sunt, conficitur, in Dialectica vocatur syllogismus, in Rhetorica enthymema, cum hac distinctione, quod in syllogismo illa, ex quibus concluditur, sunt expressa, nempe propositio, & assumptio, vt virtus est amanda, fortitudo est virtus, ergo amanda: at in enthymemate vnũ exprimitur, alterum in mente retinetur, cum aliquid reticeatur, quod notum sit, vt virtus amanda, ergo iustitia amanda: vel temperantia est virtus, ergo amanda. Quoniã autem argumentatio, quæ fit caussa commouendi, magis pertinet ad quæstionem definitam, quam ad infinitam, cũ ad illam peruenerimus, vsum talis argumentationis aperiemus.

XII.

EPilogus non est pars necessaria: sed, si fiat, solet in primis memoriam renouare per breuem aliquam repetitionem eorum, quæ fuerint confirmata, vel refutata: cum alia quoque sint munera epilogi, vt impellere animum auditorum ad affectum, amplificare, vel diminuere: bene cõstituere auditores, seu lectores erga auctorem. Iam solet fieri epilogus Rhetorum etiam in quæstionibus infinitis, maxime si ab aliquo oratore pertractetur, vt exempli gratia in prima Tusculana disputatione sic legitur: M. Num igitur etiam Rhetorum epilogum desideramus, an iã hanc artem plane relinquimus? A. Tu vero istam ne reliqueris, quam semper ornasti: & quidem iure: illa enim te, si vere loqui volumus, ornauerat. Sed quinam est epilogus? aueo enim audire, quidquid est. M. Deorum immortalium iudicia, &c. Tametsi enim significatur disputationem habitã ante eiusmodi epilogum esse totam philosophicã, & quæstiones infinitas & vniuersales esse magis philosophicas, quam oratorias: tamen eadem res potest existere & philosophica, & oratoria: nimirum philosophica ex materia, oratoria vero ex ratione tractandi: & illa disputatio de contemnenda morte est philosophica primo modo; oratoria secundo. Lumina enim orationis, & ornamenta dicendi sunt propria oratoris: & modus tractandi accommodatus

ad

ad communem intelligentiam, & popularem persuasionē est totus oratorius: ac sæpe eloquentia cum philosophia coniungitur, ita vt res, quæ sunt propriæ philosophorum, fiant etiam oratorum, quia oratorie tractētur. Quare scripsit Cicero in præfatione eiusdem Tusculanæ, se velle philosophiam illustrare, id est, oratorie tractare: addiditq; recte iungi eloquentiam cum sapientia, quod mandare quēquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis sit intemperanter abutentis & otio & litteris. Itaque vt Aristoteles iunxit prudentiam cum eloquentia: sic sibi placere pristinum dicendi studium sequi; & versari in philosophia. Huiusmodi enim coniunctione fit, vt & philosophia locupletet eloquentiam, & eloquentia ornet philosophiam, ac philosophia dici possit docta eloquentia, atque eloquentia docta philosophia.

Quomodo igitur quæstiones infinitæ, vniuersales, & philosophicæ oratorie pertractentur, vt vsum Rhetoricæ Aristotelis in omni materia declaremus, quam breuissime, & quam planissime nobis est explicandū, applicatis iis, quā superius notauimus, ad aliquam quæstionem à principe Latinorum Oratorum Cicerone pertractatam.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS SECVNDVS.

IN LIBRVM PRIMVM CICERONIS.

De Finibus bonorum & malorum.

I.



ES, qua de agitur, apparet ex hac inscriptione, M. T. CICERONIS DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM AD M. BRVTVM LIBER PRIMVS. Immo

apparent illa tria, ex quibus conſtare omnem ſermonem Ariſt. ſcribit ad hunc modum, σύγκειται μὲν ἐκ τριῶν ὁ λόγος, ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ περὶ οὗ λέγει, καὶ πρὸς ὅν. Qui enim ſcripſit hunc librum, eſt Cicero, vt apparet ex procœmio libr. 2 de diuin. per hæc verba: Cumque fundamentum eſſet philoſophiæ poſitum in finibus bonorum, & malorum, peruulgatus eſt is locus à nobis quinque libris, vt quid à quoque, & quid contra quemque philoſophum diceretur, intelligi poſſet. Id, de quo ſcripſit, ſunt fines bonorum, & malorum. Finis autem proprie eſt is, ad quem referuntur omnia, cum ipſe nuſquam referatur. Tradidit Ariſt. libr. 1. Eth. cap. 1. Finium alios eſſe actus, alios opera. Et præſtantiores eſſe illos, qui ſunt poſteriores. Itaque opus præter actum præſtātius eſſe. Et fines earum artium, quæ in principibus ſunt, præſtantiores ſimiliter eſſe. Omniumque finem extremum eſſe præſtantiorem, quam finem ad extremum. Obſeruarunt recentiores philoſophi, & inter cæteros Franciſcus Piccolomineus in gradu 5. Moralis philoſophiæ, cap. 9. duplicem eſſe finem, vnum generationis, vt formam: alterum rei genitæ: & hunc rurſus duplicem, vnum cui, alterum cuius gratia, id eſt vnum, cui laboramus, & cui ſeruire debet id, quod efficimus, vt homini, vel pro homine laborāt opifices, & homini ſeruiunt ipſorum ædificia: alterum, cuius gratia laboramus, vt eum conſequamur, quemadmodum piſcium gratia laborant piſcatores, vt eos conſequantur. Semperque finem cui eſſe præſtantiorem fine cuius gratia, tanquam poſteriorem. Iam hic agitur de fine, qui eſt actus ex doctrina Ariſtotelis, cum definiatur felicitas actio animi ratione vtentis ex virtute perfectiſſima in vita perfecta. Et de fine, qui conſideratur à ſcientia ciuili principe ceterarum artium, & facultatum. Et de fine vltimo. Et de fine, cuius gratia. Omninoque de fine bonorum, qui dicitur felicitas, & ſummum bonum, & de fine malorum, qui dicitur infelicitas, & ſummum malum. Definitur autem bonum, quod omnia appetunt, vt legitur initio Ethicorũ & malum, quod omnia fugiunt. Hancque materiam ſcripſit Cicero ad M. Brutum, eum, cui etiam ſcripſit de Claris Oratoribus, & Oratorem, & quinque libros Tuſculanarũ diſputationum: quique creditus eſt filius Cæſaris amati

inſa-

insano amore à Seruilia, matre ipsius, & sorore Catonis. Narrat enim Plutarchus, tempore Catilinariæ coniurationis litteras Cæsari redditas esse in senatu: acclamatũ à Catone, Cæsarem indignam rem facere, qui litteras medio in senatu ab hostibus haberet: illas litteras datas Catoni, quas Seruilia scripserat, soror eius impudica. Secutus tamen est partes Pompeianas contra Cæsarem: sed post pugnã Pharsalicam à Cæsare veniam impetrauit: præfectusque est Galliæ Cisalpinæ: & Romæ factus Prætor vrbanus cum Cassio. Cum autem inuenta essent illa verba sub statua L. Bruti: vtinam, Brute, nunc viueres, & nunc Brutus esses: & illa in tribunali prætorio, Brute dormis, neque vere es Brutus: conspirauit in Cæsarem cum Cassio, ob quam conspirationem Cæsar est interfectus, an. vr. 709. postea ipse in bello Philippensi à Cæsare Octauiano victus Stratonem fugæ comitem exorauit, vt se gladio transfoderet, an. 711.

II.

CVm duplex sit quæstio, vna infinita de re vniuersali, altera definita de re singulari, hæc est infinita de summo bono, seu felicitate. Cumq; quæstio infinita sit duplex, vna cognitionis, cuius finis est scientia: altera actionis, cuius finis est cõsilium, hæc est infinita cognitionis, An voluptas constituat summum bonum in lib. 1. & 2. An virtus in lib. 3. & 4. an bona animi, corporis, & externa in lib. 5.

III.

SVperius notauimus, quadruplicem esse controuersiam apud Aristotelem, An sit, Quid sit, Quale sit, Quantum sit. Hæc autem controuersia est qualitatis, vt Qualis sit voluptas, qualis virtus, qualia simul bona animi, corporis, & externa. Præterea obseruauimus, controuersiam qualitatis esse duobus modis, aut simplicem, aut ex cõparatione. Hæc vero est simplex de voluptate. Itidem scripsimus, controuersiam simplicem esse trium generum, de expetendo, & fugiendo, de æquo & iniquo, de honesto, & turpi. Hæc est in primo genere, An voluptas sit talis, vt possit expeti tãquam summum bonum.

IIII.

DVcta sunt argumẽta à locis Topicis, qui cum plurimi sint, tamen ad octodecim redacti sunt, à quibus sic licet argumentari:

1 A definitione, vt felicitas est finis optimus, & præstantissimus, vel bonum perfectũ, & sufficiens: ergo expetenda.

2. Ab enumeratione partium, vt felicitas est aggregatum quoddam omnium bonorum, tum animi, tum corporis, tum externorum: ergo perfecta.

3. A notatione, vt felicitas dicta est à ferendo, quia ferat id, quod desideratur, quemadmodum Cato appellabat arbores felices, quæ fructum ferrent: infelices, quæ nõ ferrent, apud Festum ergo felicitas est amanda.

4. A genere, vt non est bonum: ergo non est felicitas.

5. A specie, vt est felicitas: ergo bonum.

6. Ab antecedenti, vt si felicitas est bonum, est expetenda: at est bonum: ergo expetenda.

7. A consequenti, vt si felicitas non esset expetenda, nõ esset bonum: at est bonum: ergo expetenda.

8. A caussa, vt non est actio virtutis: ergo non est felicitas.

9. Ab effectu, vt est felicitas: ergo actio virtutis.

10. A coniugatis, vt apud Arist. lib. 1. Ethicorum cap. 4. Felicem esse nihil aliud est, nisi bene agere, & bene viuere: ergo felicitas est bona actio, & bona vita.

11. A simili, vt eadem est ratio Dei, & felicitatis: vt enim Deus est optimus, & superat omnem laudis excellentiam, sic etiam felicitas.

12. Ab adiunctis, vt si felix est, adiungitur, vt omnibus bonis affluat.

13. A paribus, vt diuinitas, & felicitas paria sunt: ergo tam illa, quam hæc est summe bona.

14. A differentia, vt apud Arist. libr. 1. Eth. cap. 5. non est eadem ratio felicitatis, & virtutis: hæc enim vigilantibus, & dormientibus, actuosis, & ociosis, fortunatis, & infortunatis communis est: illa vero tantum vigilantibus, actuosis, & fortunatis conuenit.

15. A contrariis, vt infelicitas est fugienda: ergo felicitas expetenda.

16. A repugnantibus, vt non & felicitas est, & non expetenda: At felicitas est: ergo expetenda.

17. A maiori, vt si felicitas non est posita in virtute, multo minus in diuitiis.

18. A minori, vt si felicitas esset posita in diuitiis, quanto magis in virtute ponenda esset.

Quomodo autem ab aliquot ex his locis Cicero argumentatus sit, inferius apparebit.

V. VI.

Supra ostendimus, mores, & affectus in quæstionibus infinitis non admodum vsurpari: licet, cum tales quæstiones in dialogis tractantur, ratione personarum, quæ introducuntur, talia artificia eis possint conuenire.

VII.

Cum elocutio scriptionis debeat esse exactissima, mirũ est, quã sit exacta elocutio Ciceronis: qui, vt ait Quinctilianus, cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis videtur: qui non pluuias aquas collegit, sed viuo gurgite extendat, dum quidam prouidentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur: qui non immerito ab hominibus ætatis suæ regnare in iudiciis dictus est, apud posteros vero id consecutus est, vt Cic. nõ hominis, sed eloquentiæ nomẽ habeatur. Hunc igitur, inquit idem Quinctilianus, spectemus, hoc propositum sit nobis exemplum, ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.

VIII.

Quemadmodum autẽ totum hoc opus de finibus bonorum, & malorum diuiditur in quinq; libros: quorum primus probat opinionem de voluptate: alter refutat: tertius confirmat opinionem de virtute: quartus refellit: quinctus ostendit felicitatem esse vitæ prosperitatem cum virtutis actione coniunctam: sic primi libri quatuor sunt partes, procemium, propositio, fides, quæ sub persona L. Torquati contendit probare opinionem Epicuri de voluptate minime esse contemnendam, & epilogus.

IX.

Tametsi in procemio agitur vniuerse de ratione philosophandi separatim à materia felicitatis, de qua quidẽ agere intentio est: tamẽ, vt supra quoq; obseruauimus, procemia separata quæstionibus infinitis conueniunt, vt etiam orationibus demonstratiuis, tanquam similia pro-

œmiis, quale esse proœmiū Isocratis in proœmio Helenæ notauit Aristoteles. Atque in hoc ipso proœmio quatuor quæstiones infinitæ explicantur, quæ sunt itidem cognitionis, propter quas sciebat Cicero, scripturus de rebus philosophicis latine, ac de philosophia morali, se varie reprehensum iri.

Num quibusdam] Prima quæstio est, vtrum sit philosophandum, necne.

Quidam autem] Secunda est, vtrum vehementius, an remissius philosophandum.

Erunt etiam] Tertia est, vtrum litteræ Græcæ Latinis sint præferendæ.

Postremo aliquos futuros] Quarta vtrū scribere de philosophia morali habeat dignitatem, & minus præstabile sit, quam alias litteras pertractare.

TRACTATIO PRIMÆ QVAESTIONIS.

QVanquam philosophia quidem vituperatoribus] Vituperationes philosophiæ expresserat Cicero in eo libro, qui inscriptus erat Hortensius, vbi fingebatur Hortēsius philosophiā vituperare, Cicero vero defendere. Quemadmodum Iacobus Sadoletus Cardinalis, cum Ciceronis Hortensius iniuria temporum periisset, duos libros conscripsit, vnum philosophiæ studium accusantem, alterum defendentem. Sed vetus est reprehensio philosophorum apud Platonem in Gorgia, sub persona Calliclis, qui primū eos reprehendit, quod εἰσὶ τῶν νόμων ἄπειροι τῶν κατὰ τὴν πόλιν: καὶ τῶν λόγων: καὶ συλλήβδην τῶν ἠθῶν: καὶ καταγέλαστοι πρὸς τὰς ἰδίας, ἢ πολιτικὰς πράξεις, qualem fuisse Thaletē memoriæ proditum est, qui quidem in foueam cecidit, dum cœlestia cōtemplaretur, ab anu quadam idcirco irrisus, quod quæ ante pedes haberet, minime cōspiceret, & quæ in cœlo essent, se perspicere, & cognoscere profiteretur. Deinde, quod φεύγουσι τὰ μέσα τῆς πόλεως, καὶ τὰς ἀγορὰς, ἐν αἷς ἔφη ὁ ποιητὴς τοὺς ἄνδρας ἀριπρεπεῖς γίγνεσθαι; qualis fuisse dicitur Timon, μισάνθρωπος, & osor hominū nuncupatus. Philosophi enim solent esse plus nimio solitarij: & Aristoteles ait lib. I. Polit. hominē solitarium esse ἢ θηρίον, ἢ θεόν. Præterea,

quod

quod μετὰ μειρακίων ἐν γωνίᾳ ἐλεύθερον, καὶ μέγα, καὶ ἱκανὸν μηδέποτε λέγουσι; vt Socrates cum discipulis suis, atque inter ceteros cum Cherephonte apud Aristophanem in Nephelis, de rebus minimis disputasse fertur, de saltu pulicis, de susurro muscarum, de aliis huiusmodi, ita vt disputationes eius tanquam nebulæ existerent, quippe quę minime consisterent, sed facillime dissoluerentur: vtque etiam alii philosophi de rebus leuissimis quandoque videntur disputare, de prima materia, de quantitate syderum, de primo & vltimo instanti, de maximo, & minimo. Denique, quod ἡ φιλοσοφία εὐφυῆ λαβοῦσα φῦτα ποιεῖ χείρονα, μήτε αὐτὸν αὑτῷ δυνάμενον βοηθεῖν, quemadmodum legitur fuisse deprauatum ingenium Carneadis, quem propter nimiam rerum contemplationem etiam cibi capiebat obliuio, ita vt Melissa eum tanquam infantem aleret: in eius gulam recentium ouorum vitellos infunderet: eius labris, ac dentibus offas insereret: eius faucibus vinum instillaret: & Archimedis, qui rebus contemplandis intentus nomen suum indicare, cum maxime oportebat, nō potuit in ipsa Syracusarum direptione, in qua cautū erat, vt ei parceretur: & idcirco cęsus est: & Democriti, qui se occæcauit, vt quam minime animus à contemplatione abduceretur. Hæc igitur fuerunt argumenta Calliclis ducta ab adiunctis: ab imperitia rerū ciuilium: à nimia solitudine: à tractatione rerum inutiliū: à deprauatione ingenij. Quinctum adiunctum commemorauit Cicero lib. 1. de inuen. quod philosophi soleant esse impij: & idcirco scripsit, probabile esse eos, qui philosophiæ dent operam, non arbitrari deos esse, vt negasse Deos Diagoram Milesium, Theodorum Cyreneum, Euhemerum Tegentem, Plutarchus de placitis philosophorum testatus est. propter quam impietatis notam Athenienses Socratem veneno necarunt, & Aristotelem eo redegerunt, vt ei in Chalcidea fuerit secedendum. Idem Cicero in procemio 2. Tusc. Sextum adiunctum expressit in hunc modum: Quotus quisque philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo, & vita constitutus, vt ratio postulat: qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet: qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat? Videre licet alios tanta leuitate, & iactatione, quos vt fue-

rit non dedicisse melius: alios pecuniæ cupidos: gloriæ nõnullos: multos libidinum seruos: vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Philosophis igitur tribuit Cicero impietatem, & malos mores. Neque vero septimum adiũctum prætermittendum est, quod philosophi deprauant iuuentutem. ob quam caussam an. vr. 592. Senatusconsulto eos fuisse Roma eiectos, Gell. lib. 15. cap. 11. testatũ reliquit: & Domitiano imperante altero S.C. vrbe, ac tota Italia interdictos, quo scil. tẽpore vel Epictetus Nicopolim Roma decedere necesse habuit. Et Agrippina Augusta Neronẽ filiũ eo nomine à philosophiæ studio seuocauit, quod eam imperantibus inutilem iudicauit. Ac ciuitas Antiochiæ probro affecit Romanum principem Iulianum, quod philosophus esset, vt memoriæ prodidit Cælius ciuis meus libr. 29. cap. 8. Atque hæc quidem contra philosophos, & philosophiam: sed ad quatuor reprehensiones Calliclis respondet Gell. lib. 10. cap. 22. ea intelligenda esse, non de illa philosophia, quæ definita est, similitudo Dei, quoad humana natura patitur, simulque valet in contemplatione, & actione, sed de sophistica, quam appellat futilem, & puerilem meditationem argutiarum. Ad reprehensionem vero de impietate, & malis moribus respondendum est, valere eam contra philosophos adumbratos, & adulterinos, non contra veros philosophos, qui Theologiam cum philosophia coniungũt, & ita morati sunt, vt ratio postulat. De eiectione autem potest respondei i, aut id immerito factum esse, si veri philosophi fuerunt, vt fuisse Epictetus dicitur: aut, si merito factum est, eos non fuisse veros philosophos, sed qui abuterentur philosophia.

TRACTATIO SECVNDÆ QVAESTIONIS.

Q*Vi autem si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri.*] Quidam putarunt esse remissius philosophandum, vt Aquilius Gallus secutus sententiam Neoptolemi Enniani expressam in principio 2. Tusc. & à Gellio lib. 5. cap. 16. Ciceronis verba sunt: Neoptolemus apud Ennium philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis: nam omnino haud placere: Gellius autem, cum ageret de ratione.

viden-

videndi, & de natura cernendi, ac de vi oculorum, ostenderetque varias fuisse opiniones Stoicorum, Epicureorum, Platonicorum, quod Stoici voluerint oculos emittere radios quosdam, & videre auxilio aeris: & Epicurus putauerit, oculos esse tanquam specula quædam, quibus simulacra corporum imprimerentur: & Plato censuerit oculos emittere genus quoddam ignis, & lucis, quod coniunctum cum luce solis, vel lumine ignis res obiectas comprehenderet: conclusit in hunc modum Neoptolemi consilio vtendum est, qui degustandum ex philosophia censet, non in eam ingurgitandum. Cicero tamen hoc in loco reprehendit consilium illorum, qui volebant moderatius, & remissius incumbi in philosophiam, argumento ducto à caussis retrahentibus, vt a difficili, & ab eo, quod fieri non potest. Commemorat enim Arist. lib. 2. Rhet. has caussas impellẽtes: si fieri potest: si facile est: si vtile nobis: si inutile inimicis: si minus incommodum, quam commodum. Caussæ vero retrahentes sunt contrariæ.

Difficilem quãdam temperantiam postulant in eo.] A difficili.

Quod semel admissum coerceri, reprimique non potest.] Ab eo, quod fieri non potest.

Vt propemodum iustioribus vtamur illis.] Iustiores sunt illi, qui cum putent philosophiam malam, nos auocant à philosophia, quam illi, qui cum philosophiam bonam arbitrentur, vt ea fruamur, quãtum possumus, minime permittunt. Atque hoc pendet ab huiusmodi antecedenti, quod iustiores sunt illi, qui plus volunt prodesse, cum proprium sit iustitiæ vniuersalis prodesse aliis, & sola iustitia inter alias virtutes sit bonum alienum, vt tradit Aristoteles lib. 5. Eth. cap. 1.

Qui rebus infinitis modum constituunt.] Ab antecedenti. Infiniti sunt fructus philosophiæ: ergo illis modus non est constituendus. Nam desiderium finis est infinitum, vt legitur lib. 1 Politicorum. At philosophia est desiderium finis, nempe sapientiæ finis sui: ergo philosophia est infinita, & infinitæ fruitionis.

In req. eo meliore.] Philosophia eo melior est, quo maior est: ergo in ea mediocritas non est desideranda. Non enim

est eadem ratio virtutis intelligendi, & virtutis moralis. in hac quæritur mediocritas: in illa magnitudo.

Sine enim ad sapientiam] Confirmatur rem esse infinitam philosophari, à contrariis; quia aut facile est aut difficile, aut possibile, aut impossibile. primo modo parare quidē sapientiā nō erit infinitum, sed frui sapientia, quod habet infinitatem. Secundō mōdo inuestigatio veri est infinita: & defatigatio quærendi est turpis, cum id, quod quæritur, sit pulcherrimum.

Etenim si delectamur] Qui nobis impediunt cursum philosophandi, ostenduntur aut inuidi, aut curiosi. Ducitur argumentum à contrariis, quia aut delectamur, aut laboramus, dum philosophamur. Primo modo, qui volunt nos remissius philosophari, inuidi sunt, cum dolere nostra delectatione, & nostro bono videantur. Secundo modo sunt curiosi, cum curent ea, quæ ad ipsos minime spectāt, & eorum minime intersunt.

Nam & Terentianus Chremes] Si dicuntur isti facere humane, quemadmodum Terentianus Chremes in Heautontimorumeno erga Menedemum:

Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum reuertor, quin te in fundo conspicer,
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.
Nullum remittis tempus, neque te respicis.

Respondetur argumento sumpto à differentia, Non esse eandem rationem Chremetis, & istorum: quia ille ab illiberali labore deterrebat Menedemum: isti auocant à liberali, & ingenua industria.

TRACTATIO TERTIÆ QVÆSTIONIS.

His igitur est difficilius satisfacere] Multi præferebant Græca Latinis. Qua de re tres conclusiones obseruandæ sunt. Prima enim conclusio est, si spectetur sapientia, linguam Grecam Latinæ anteferēdam esse. Nam, siue eas artes quęrimus, quę rerum veritatem inuestigant: siue eas, quæ singulorum hominum, familiarum, Rerumpub. mores conformant, siue eas, quæ eloquentiæ præcepta continent: de omnibus doctrinis, & studiis Græci vtilissima scri-

pta reliquerunt. At omnia sunt conuersa. Primum respondeo id falsum esse: quia permulta Græcis sunt explicata vocibus, quæ aliis non sunt. Deinde dico, vt omnia sint conuersa, tamen minus plane, minusque aperte conuersionibus exposita esse, quam lingua ipsa Græca. Etenim, quemadmodũ euenit, vt, quæ in fontibus aqua clarissima est, in fluminib. fit turbulentior, statimq; vt peruenerit in mare, ex dulci amara fiat: sic solet euenire, vt quæ optima sunt Græca, minus bona sint Latina, & quò magis diuulgantur, atq; in vastissimũ diuersarũ linguarum mare deferuntur, eo magis amittant suauitatẽ suam. Quemadmodum autẽ pictores illi, qui imaginem desumunt ex viuo, fidelius repræsentant id ipsum, cuius imaginem pingunt, quam illi, qui ab exemplo deducunt: sic, qui Græce scripta ex proprio Græcorum sermone hauriunt, planius, & apertius eorum sensum habent, quam qui eadem ex conuersionibus accipiunt: cum præsertim pauciores sint bonæ conuersiones, quam euersiones, quæ quidem in bonas litteras eam barbariem intulerunt, vt, nisi recta studiorum ratione tanto malo remedium afferatur, verendum sit, ne illæ breui temporis spatio in easdem sordes relabatur, in quas Gothicis, Longobarditisq; temporibus dicuntur miserabiliter concidisse. Secunda conclusio est, si commoditas, & gloria inspiciatur, temporibus quidem Ciceronis linguam Græcam fuisse Latinæ anteponendam: sed nunc secus esse. Tunc enim Græca lingua per omnes terrarum partes communiter intelligebatur, quemadmodum nunc Latina, plurimũque valebat omnibus in locis ad agendum, & plurimum gloriæ afferebat: vt merito dixerit Cicero pro Archia: si quis minorem gloriæ fructum putasset ex Græcis scriptis percipi, quã ex Latinis eũ vehementer errasse, propterea quod Græca in omnibus fere gentibus legerentur: Latina suis finibus, exiguis sane continerentur. ob quam nimirum caussam inter Romanos non defuerunt, qui res ipsas Romanas Græcis litteris, vt pluribus essent cognitæ hominibus tradiderunt. Nunc vero in locum Græcæ linguæ successit Latina, vt, qui agendi prope apud omnes rationes commoditatem, qui gloriam amant, eos scire oporteat Latine loqui, & Latine scribere: cum Latinitas vbique pos-

sit actiones nostras adiuuare, nomenq; nostrũ collustrare, & ingenii nostri lucubrationes spargere, ac disseminare in orbis terræ memoriam sempiternã. Itaque pace nunc Græcorum Latina Græcis si non propter sapientiam, quam vnam sibi litteræ vendicant Græcæ, at certe propter vsum communiorem, & amplitudinem gloriæ, facile antepo-suerim: cum vtilitatis etiam non parum Latinæ litteræ afferant sapientiæ studiosis, immo multum, si cum lingua nostra materna conferantur. Tertia enim conclusio est, si quæratur tum sapientia, tum commoditas, tum gloria, linguam Latinam nostræ maternæ esse præponendam: quæ si non Græcæ ad sapientiam comparandam, at certe aliis præstat, præcipueque ad commode agendum cùm exteris nationibus, atque ad gloriam adipiscendam. Satis enim constat omne doctrinæ genus litteris Latinis commodius pertractari, nostris vero vulgaribus minus commode: plurimaque litterarum Latinarum monumentis esse consignata, quæ nostræ vulgares non attigerunt: quique Latine loquuntur, eos in omnibus prope gentibus intelligi, & fere apud omnes nationes posse negotia pertractare, non sic, qui vulgari nostro sermone: deniq; qui Latine scribũt, posse eos in omnibus prope terrarum partibus volitare per ora eruditorum, quorum vnus instar est omnium imperitorum: qui vero vulgariter, eorum fere famam ad vnius tantum prouinciæ exiguos sane terminos pertinere. Quid si quis argumentetur, quemadmodũ Romani litteris Græcis studebant, & Latine scribebant, præter admodum paucos: sic nobis efficiendum esse, vt litteris Latinis studeamus, & vulgariter scribamus: afferam responsum nonnullorum doctissimorum hominum, qui negarunt eandem esse rationem linguæ nostræ maternæ, quæ fuit Latinæ: propterea quod Romani longe, lateque dominantes sperare poterant, scripta sua ab omnibus cognitum iri: nobis vero potius extimescendum est, ne propter aliquos alienigenarum in nostram regionem impetus nostra loquendi formula vel amittatur, vel corrumpatur: vt penitus amissam esse vetustam Etruscorum linguam, ita vt ne eius quidem characteres amplius intelligantur, & valde corruptam Latinam Gothorum, & Longobardorum tempestate non ignora-

mus. Iam ad Ciceronem veniamus variis modis argumentantẽm contra eos, qui Latina ſcripta contemnebant, & ſic factum ſuum probantem, quod Latine ſcriberet de philoſophia morali.

In quibus hoc primum eſt] A minori, ſi libenter legunt fabellas Latinas, multo libentius deberent legere res grauiſſimas.

Synephebos ego, inquit, potius] Quidam dicunt non eſſe legendos potius Cæcilij Synephebos, ſeu Compubeſcẽtes, aut Andriam Terentij, quam vtrunque Menandri. Reſpondet Cic non potius legendos, ſed tamen legendos: &, quamuis ſcripſerit Sophocles Electram optime: tamen etiam legendam Electram Attilij male conuerſam, quem Licinius appellauit ferreum ſcriptorem. Vbi etiam eſt argumentum à minori, Si male conuerſa, multo magis bene conuerſa. Ponit rationem proprii ſermonis retinẽdi, quod nulli ſatis eruditi videntur, qui ſua ignorant. vnde præter illas concluſiones, quas modo notauimus, quartam collegimus, quod, cum lingua Græca, & Latina diſcenda ſit, ne noſtra quidem materna contemnenda eſt, cum turpe ſit velle ſcire aliena, & ignorare ſua.

At Vtinam ne in nemore] Etiam à minori. Leguntur verſus Ennij in Medea, & quæ Poetica ſunt: ergo multo magis legi deberent Platonica latine explicata de bene, beateque viuendo.

Quod ſi nos non interpretum fungimur munere] Ab antecedenti. Notum autem eſt illud Horatij:

Nec Verbum Verbo curabit reddere fidus Interpres.

Nam ſi dicerent] A ſimili, vel à pari, vt Græci leguntur à Græcis iiſdem de rebus: ſic Latini à Latinis debent legi, vel tam hi, quam illi.

Quanquam ſi plane ſic Verterem] Ab exemplo. Quemadmodum Latini poetæ vertendo fabulas non ſunt male meriti de ciuibus Rom. Sic ſi ego verterem Platonẽ, & Ariſtotelem, non male mererer. Et, quemadmodum Ennius ab Homero, & Afranius à Menandro locos quoſdam tranſtulit: ſic ego transferam à Platone, & Ariſt.

Nec Vero, Vt noſter Lucilius] A differentia, quod Lucilius nollet legi ab omnibus: ipſe vero id cupiat.

Sed ex eo credo.] A contrariis. De malis Græcis Latine scripta deterius nō sunt legenda: ergo de bonis Græcis Latine scripta grauiter, ornateque sunt legenda.

Nisi qui se plane Græcum] Ab exemplo Albutij hominis vani, qui irrisus est à Scæuola.

Ego autem satis mirari] Præfert linguam Latinam Græcæ: sed non probat esse locupletiorem Græca. Nam probatio tantum est de lingua Latina non inopi ab adiunctis, quod nunquā Oratoribus bonis, aut Poetis Latinis vllus orationis, vel copiosæ, vel elegantis ornatus defuit. ergo adiungitur, vt illa non sit inops. Sed non idcirco sequitur, eam esse locupletiorem Græca. Id enim dixit Cicero, magis amore adductus, quam veritate.

Ego vero.] Ab enumeratione partium, quod quidā Græca legere malunt. Alii vtrisq; litteris vti volunt. Alij, si suas habent litteras, alias non magnopere desiderant. Cum primis Cicero non vult pugnare. Secundis vult seruire. & etiam tertiis.

TRACTATIO QVARTÆ QVAESTIONIS.

Qui autem alia malunt scribi à nobis] Ab antecedenti, si plura alia scripserat Cicero, & plura fortasse scripturus erat, homines debebant esse æqui, & contenti, vt scriberet quoque de philosophia. Scripserat enim epistolas, orationes, & libros Rhetoricos multos. Quare voluit etiam de philosophia scribere: & scripsit de vniuersa philosophia Hortensiū, & Protagoram de Platone cōuersum, & Academicas quæstiones: ex ea parte, quæ in contemplando versatur, de natura deorum, de fato, de vniuersitate, qui est Timæus Platonis: ex ea, quæ ad agēdum refertur, hos libros de finibus, qui respondent primo libro Ethicorum Aristotelis, & libros officiorum, de senectute, de amicitia, & Paradoxa, & libros Tusculanarum disputationum, & librum de consolatione, qui tractant mores singulorum hominum: & tres libros Oeconomicos de vnico Xenophontis conuersos, qui conformabant mores familiarum: & sex libros de Rep. quorum fragmentum est somnium Scipionis, & libros de legibus, quorum quinctus citatur à Macrobio, qui erāt de mori-

moribus Rerump. in quibus libris maxime pertinentibus ad mores conformandos tam mirabilis visus est, vt Alexander Seuerus ex eorum lectione præstantissimã de eo, tamquam de viro sancto, conceperit opinionem, ac propterea imaginem ipsius inter diuorum statuas collocarit.

Et tamen qui diligentius hæc] Nihil philosophia præstabilius: quod patet sex eius definitionibus: vna allata à Pythagora, vt sit studium sapientiæ, cum omnis doctrinæ, omnisque virtutis, atque adeo omnis sapientiæ studium cõtineat: quatuor vero à Platone traditis: primum vt sit cognitio eorum, quę sunt: deinde vt sit rerum diuinarum, & humanarum notitia: præterea, vt sit similitudo Dei, quoad humana natura patitur: postremo vt sit meditatio mortis: affert enim eorum omnium, quæ quidem esse comperiuntur, cognitionem, & omnia humana excurrit, atque vsque in cœlum penetrat contemplatione, & hominem ad diuinam condirionem extollit, ac Deo omnium sapiẽtissimo, omniumque beneficentissimo duplici munere tum contemplationis, tum actionis quam simillimum reddit: & mentem reuocat à sensibus, animum abducit ab inanibus voluptatibus, hominem conuertit ad sui cognitionem, ad cœlestium mentium imitationem, ad Dei meditationem, vt ipse in se moriatur, in Deo reuiuiscat: sexta autem ab Aristotele conscripta, vt sit ars artium, & scientia scientiarum, cum eam perfectionem, atque absolutionem habeat, vt omnem artem docere, omnem scientiam instruere videatur. Quo quid potest excellentius, quid præstantius inueniri?

Quid est enim in vita tantopere quærendum, quam cum omnia in philosophia] Res à materia seiunctæ in iis, quæ dicuntur Metaphysica: res cum materia coniunctæ in Physicis: res modo seiunctæ, modò coniunctæ in Mathematicis: mores singulorum hominum in Ethicis: mores familiarũ in Oeconomicis: mores Rerump. in Politicis.

Tum id, quod his libris quæritur, quid sit finis?] Qui quidem nusquam refertur, & ad quem omnia referuntur.

Quid extremum] Cum duplex sit finis, vnus extremus, vt sanitas: alter ad extremum, vt venæ sectio, & medica remedia.

Quid vltimum] Tamquam scopus, quo quidem omnia consilia, omnesque actiones sint referendæ.

Quid sequatur natura] Quid sit expetẽdum, tamquam felicitas, & summum bonum.

Quid fugiat] Quid sit fugiendum, tamquam infelicitas, & summum malum.

Quis alienum putet esse eius dignitatis] Habet magnam dignitatem tractare philosophiam ciuilem, quam Aristoteles appellat κυριωτάτην, καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴν, potentissimam, & maxime principem. Fuit autem de summo bono inter doctissimos summa dissensio. Aristoteles libr. 1. Ethicorum cap. 4. scriptum reliquit, Aliud indoctos, aliud sapientes sentire de felicitate. Rursus indoctos partim non esse conscios ignorantiæ suæ, partim esse conscios. Qui nõ sunt conscij ignorantiæ suæ, eos partim dissentire ab aliis, ponentes felicitatem vel in voluptate, vel in diuitiis, vel in honore: partim dissentire à se ipsis, constituentes felicitatẽ, cum ægrotant, in sanitate, cum sunt pauperes in diuitiis, sic in aliis. Qui sunt conscij ignorantiæ suæ, eos admirari aliquos, qui aliquid magni dicant, vt Stoici admirabantur Zenonem de virtute, alij alios. Ex sapientibus autem nonnullos constituisse summum bonum in ideis, nempe Platonem & Platonicos. Cicero vero libr. 5. Tusc. disputat. sic scribit:

Sunt hæ de finibus, vt opinor, retentæ, defensæque sententiæ. Primum simplices quattuor.

1. Nihil bonum, nisi honestum, vt Stoici.

2. Nihil bonum, nisi voluptatem, vt Epicurus.

3. Nihil bonum, nisi nouitatem doloris, vt Hieronymus.

4. Nihil bonum, nisi naturæ primis bonis, aut omnibus, aut maximis frui, vt Carneades contra Stoicos disserebat. Hæc igitur simplicia.

Illa mixta.

1. Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, vt peripatetici, nec multo veteres Academici secus.

2. Voluptatem cum honestate Clitomachus, & Calliphο copulauit.

3. In-

3. Indolentiam autem honestati peripateticus Diodorus adiunxit.

Hæ sunt sententiæ, quæ stabilitatis aliquid habeant. Nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorumque aliorum euanuerunt. Varro in lib. de philosophia scripsit, ex varietate vltimi finis constitui potuisse ducentas octoginta & octo sectas, non quæ iam essent, sed quæ esse possent.

An partus ancillæ] A minori, si dignitatem haber differere de rebus leuioribus, in iure ciuili, multo dignius est disputare de omni vita in philosophia morali. Commemoratur autem inter res leuiores quæstio de partu ancillæ, de quo ita scriptum est in Institutionibus Imperatoris de rerũ diuisione: Partus vero ancillæ in fructu non est. Itaque ad dominum proprietatis pertinet. Absurdum enim videbatur hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura gratia hominis comparauerit. *Nam vt sint illa vendibiliora*] Duo sunt studia maxime vendibilia, Legum, & Medicinæ. Iuris enim cognitio summas afferre opes iurisperito in ciuitate existimatur: & morborum curãdorum ratio magna, item habere ad tuendam vitam adiumenta creditur, & ad parandas diuitias. idcirco à pluribus pertractantur. Hactenus igitur quattuor quęstiones in procemio sunt explicatæ.

Nos autem hanc omnem quæstionem de finibus bonorum, & malorum] Duplex est munus procemij, parare animos, & indicare finem orationis, seu scriptionis. Adhuc primum munus obiuit Cicero, quattuor illas quæstiones explicando. Nunc exequitur alterum, vt indicet, quid sit facturus. vult enim tractare veterum de summo bono sententias, & primum opinionem Epicuri, tamquam facillimam.

X.

ACcurate autem quondam] Post procemium propositio est facienda eorum, quæ confirmanda sunt. Sed priusquam fiat in hoc libro, primum narratur argumentũ Dialogi, quod L. Torquatus defenderit Epicuri sentẽtiam de voluptate, & Cicero ei responderit, præsente C. Triario. Genus enim scriptionis huius est imitatio per dialogum, cuius multa sunt commoda, & vtilitates. Ac modi quidem imitãdi sunt tres, vt traditur in Poetica ab Aristotele, vnus

ἀπαγγέλλων, καὶ μεταβάλλων, narrans, & ſe immutans, vt faciunt Poetæ Epici: alter ἀπαγγέλλων, καὶ μὴ μεταβάλλων, narrans, & ſe non immutans, vt Virgilius in Moreto: tertius πράττων καὶ ἐνεργῶν, agens, & efficiẽs, vt in Tragœdiis, & Comœdiis. ſic quoque tria ſunt genera dialogorum. Quidam enim ſunt narrantes, & ſe immutantes, vt Ciceronis de Senectute, & de Amicitia, in principio narrantes, poſtea vero agentes. Alij narrantes, & ſe non immutantes, vt eiuſdem de Oratore, & de Claris Oratoribus. Quidam agentes, & efficientes, vt Partitiones Ciceronis, & Dialogi Platonis, ac Luciani. Hic autem Dialogus eſt in ſecundo genere. Iam vero Marſilius Ficinus in libros Platonis ad Laurentium Medicem quattuor collegit dialogi vtilitates: primũ quod tanquam ſermo viuens perſonas loquentes ante oculos ponit, & perſuadet efficacius, ac mouet vehementius: deinde, ꝙ amicos, vt par eſt, opportune honeſtat, facilius multos poſteritati commendans: præterea ꝙ diuerſas eadẽ de re opiniones commodius recẽſet: poſtremo, quod mira quadam varietate delectat, & attentione audientes detinet, ac legentes. Itaque etiam Cicero perſuadet efficacius, quod vult, hoc dialogo ſuo: amicos ſuos honorat, L. Torquatum, quem appellat hominem omni doctrina eruditum, & C. Triarium, quem dicit eſſe in primis grauem, & doctum adoleſcentem: opiniones diuerſas pro voluptate, & contra voluptatem commodius complectitur: & ſermone vario affert delectationem. *Nam cum ad me in Cumanum*] Secundo loco exponitur occaſio dialogi. Exprimenda enim eſt aliqua occaſio propter veriſimilitudinem, cum dialogus ſit imitatio rei veriſimilis. Omnis enim imitatio aut continet res minime veriſimiles, vt Apologus, quam quidem imitationem Heſiodus dicitur inueniſſe, & Æſopus magna cũ laude exercuiſſe: aut res veriſimiles tractat, & eſt vel poeſis, vel dialogus. Iã occaſio huius dialogi eſt, quod cum Torquatus, & Triarius ad Ciceronẽ & Cumanum ſalutandi cauſſa veniſſet, petiit Torquatus Epicureus, quid eſſet, quod Epicurum Cicero nõ quidem odio haberet, ſed certe non probaret: & eum valde laudauit, quamuis magno ſuo cum errore: ac dixit ſe exiſtimare Ciceronẽ minus delectari Epicuro, quod ab eo neglecta fuerit elo-

quentia.

quentia. *Non quidem tu oderis, sed certe non probes*] Fieri enim poteſt, vt aliqui ſint inter ſe amici, & tamen eadem nõ prorſus probent, diuerſaſque habeant opiniones maxime in ſtudiis litterarum. ratio adduci poteſt, quia alia eſt volũtas, vnde pendet amicitia: alia opinio de bonis artibus. Nã opinio, inquit Ariſtoteles, diſtinguitur falſo, & vero: at voluntas magis bono & malo, quam vero & falſo. Cum igitur voluntas, & opinio inter ſe diuerſæ ſint, in amicitia poteſt eſſe eadem voluntas, & diuerſa opinio. *Eum, quem ego arbitror vnum vidiſſe verum*] Errabat tamen Torquatus ob tres illarum cauſſarum, ob quas in ſtudiis optimarum artium quandoque erratur, nimirum ob auctoritatem doctoris, ob nimium amorem in eum, ob conſuetudinẽ prauæ diſciplinæ. Alij autem ſolent errare ob ingeniorum imbecillitatem, ob paruam in ſtudiis exercitationem, ob melancholiam, qua ſolent laborare ingenioſi, vt gaudeam, dicebat Cicero libr. 1. Tuſc. diſput. me non eſſe ingenioſum, ne ſim melancholicus. *Iſta Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti orationis ornamenta*] Nota ſunt illa, Platonis voce Iouẽ ipſum, ſi Græce locutus eſſet, locuturum fuiſſe: Ariſtotelẽ aureum orationis flumen fundere exiſtimatum eſſe: Theophraſtum à diuinitate loquendi nomen inueniſſe. Ornamenta tamen dicẽdi negligebat Epicurus: & hac in re noſtris temporibus multi ſunt Epicurei. *Vide, quantum, inquam, fallare Torquate*] Tertio loco exponitur, quid ſenſerit Cicero de elocutione Epicuri, vbi eam non improbat, quod à philoſopho, ſi adferat eloquentiam, non aſpernetur, ſi non habeat, nõ admodum flagitet. Ex hoc igitur loco argumentantur, philoſopho elocutionis ornamenta non eſſe neceſſaria, quod nos quoque concedimus. Sed ſimul putamus, vt in aliis rebus, ſic etiam in hac, non vnius neceſſitatis, ſed venuſtatis quoque habendam rationem eſſe. quod confirmauit Cicero lib. 3. de Orat. neceſſitate, & venuſtate totius Mundi, omnium animalium omnium arborum in natura, & artis nauigandi, ædificandi, ceterarũque omnium. *Re mihi non æque ſatisfacit*] Quarto loco oſtenditur, Ciceronem magis Epicuri ſententiam, quam elocutionem improbare. *Hic niſi mihi Phædrum, inquam, mentitum*] Duo Phœdri commemorantur: vnus, cuius in-

dolem Socrates admiratus mysteria diuina canere cœpit, cum antea non solum rerum cœlestium, verum etiam inferiorum se inscium prædicasset: cuiusque ingenio delectatus Plato primitias studiorum suorum ei dicauit, epigrammata, elegias, librum de pulchritudine. Alter Epicureus, qui hoc in loco intelligitur. *Aut Zenonem putas*] In scriptis Ciceronis fit mentio trium Zenonum: vnius Eleatis in 2. Tusc. cuius meminit etiam Aristoteles: alterius Citiei in 5. Tuscul. qui post Aristotelem vixit, & fuit princeps Stoicorum. Nam Aristotelis auditor fuit Polemon, & Polemonem audiuit Zeno, vt legitur libr. 4. de finibus. tertij Epicurei lib. 1. Acad. quæst. & in 3. Tusc. vbi verbis eius exprimitur forma vitæ beatæ ex sententia Epicuri. Hoc in loco etiam intelligitur Epicureus. *Principio quidem in Physicis*] Errauit Epicurus in Physicis, quid putauerit cum Democrito omnia gigni ex atomis, & corporibus minimis, quæ sectionem non paterentur. vtrumque enim Cicero communiter reprehendit, & proprie Epicurum, quod cum dixerit atomos ferri deorsum ad lineam, addiderit declinare eos perpaulum, & quidem sine caussa, & præter naturã, & sine consecutione eius, quod volebat. *Ne id quidem Physici, credere aliquid esse minimum*] Appellat Physica etiam Mathematica, quatenus in materia spectantur, eumque reprehendit de minimo, de magnitudine Solis, de infinitis mundis. *Huic bipedalis*] Cic. libr. 2. Acad. quæst. Solem Mathematici amplius duodeuiginti partibus confirmant maiorem esse, quam terram. Cum autem triplex sit philosophia, quæ versatur in contemplando, Physica, Mathematica, Metaphysica, quemadmodum reprehensus est Epicurus in Physicis, & Mathematicis, ita etiam poterat reprehendi in iis, quæ dicuntur Metaphysica, quod putauerit deos nihil curare nec sui, nec alieni, sed esse monogrammos, & nihil agentes, vt legitur lib. 2. de natura deorum: & habere sedem, tamquam inter duos ludos, sic inter duos mundos propter metum ruinarum, vt ex eodem libro appareat, & habere speciem humanam, non tamen corpus, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed quasi sanguinem. *Iam in altera philosophiæ parte, quæ est quærendi, & disserendi, quæ λογικὴ dicitur*] Sequitur antiquissimam philosophiæ diuisionem,

sionem, quam narrat Eusebius Cæsariensis in libris de Euangelica præparatione ex vetustissimis Hebræis sumptam esse, quæ tamen Platonis, & Platonicorum esse fertur, quia Plato eam primus apud Græcos illustrauit. Itaque Cicero in Academicis scribit: Fuit iam accepta à Platone philosophandi ratio triplex: vna de vita, & moribus: altera de natura, & rebus occultis: tertia de disserēdo. Huiusmodi tamē diuisio apud peripateticos habet eam obiectionē, q; inter partes philosophię enumeret logicā, quę quidē nō est pars; sed organū, & instrumentū. Nā propriū partis est, vt per se sit, & propriū instrumēti, vt propter aliud sit. At Logica nō propter se, sed propter aliud est, vt distinguat verū à falso in philosophia contēplandi, & bonū à malo in philosophia agēdi. ergo nō est pars, sed instrumentū philosophiæ. *Tollit definitiones*] Non docebat tria instrumēta scientiarū, definitionem, diuisionem, demonstrationem. *Confirmat autē illud vel maxime*] In ea parte philosophiæ, quæ versatur in agendo, quæque triplex est, Ethica, Oeconomica, Politica, secutus est opinionem Aristippi, & Cyrenaicorum, qui ponebant felicitatem in voluptate. *Tamen eiusmodi esse iudico, vt nihil homini videatur indignius*] Argumentatur Aristoteles, quod est homini commune cum belluis, in eo non esse constituendam propriam hominis felicitatem. At talem esse voluptatem. *Sed ita prorsus existimo*] Probat Cicero præstantes homines in actionibus suis non esse secutos voluptatē. *Neque eum Torquatum*] T. Manlium. *Qui hoc primus cognomē inuenerit*] Dictus Torquatus à torque detracto in bello Gallico, an. vr. 392. commissa pugna cum hoste, à quo prouocatus fuerat, vt eleganter narrauit Quadrigarius in primo Annali. *Aut torquem illum hosti detraxisse, vt aliquam ex eo perciperet corpore voluptatem, aut cum latinis tertio consulatu*] Quem gessit an. vr. 413. cōflixisse apud Vesuuium propter voluptatem. *Quod vero securi percusserit filium, priuauisse se etiam videtur multis voluptatibus*] Idcirco cæsum, quod aduersus imperium suum cum hoste manum conseruisset, etiā victoria reportata. *Quid L. Torquatus, is, qui consul cum Cn. Octauio fuit*] An. vr. 588. *Cum eam seueritatem in cōsilio adhibuit, quem in adoptionem D. Syllano emancipauerat*] De qua seueritate

etiam Val.lib.5.cap.8. *Quid tibi Torquate*]Inter eos, qui in actionibus suis minime spectant voluptatem, ponit studiosos litterarum, historiatum, poetarum, versuum. *Nec mihi illud dixeris*] Si dicatur in his quoque esse voluptatē, & multos esse Epicureos: respondet Cicero non esse voluptatem corporis, qualem spectabat Epicurus: &, cur tam multi sint Epicutei, esse alias quoque caussas, sed multitudinem decipi. Arist.lib.1.Eth. cap.5. Ac Plebeij quidem mācipiorum prorsus similes videntur, dum pecudum vitam præeligunt. Habent autem hanc caussam, quod multi ex iis, qui rerum habent potestatē, simili modo afficiuntur, ac Sardanapalus. Idē lib.2.Polit. Quidquid in Rep. princeps in honore habet, necesse est, vt ciues in honote habeant. & lib.3. vitia principum sunt maxime detestanda, & virtutes maxime laudandæ propter aliotum imitationem. & Cic. lib.3.de Legibus: Multi principum similes fiunt. & Plato in lib. de regno: Ex principum ignauia ptouenit, vt subditi imbelles, & inertes reddantur. Patet igitut caussa, cur multi sequantur voluptatem, vt scilicet principes imitētur, quos vident in voluptatibus vetsari. Sed multi de Epicuro decipiebantur, quasi diceret, tecta & honesta quæ sunt, ea facere ipsa per se lætitiam, id est, voluptatem. hoc enim modo virtus, & rerum cognitio esset per se expetenda, quod ille negauit. *Hæc igitur Epicuri*]Addit Cicero, Epicurum indoctum fuisse, *Aliena dicit in Physicis*] Epilogus eotum, quæ contta Epicurum dicta sunt. *Fieri, inquam, ô Triari, nullo pacto potest*[Quincto loco se excusat Cicero, quod reprehenderit Epicurum. Et excusatio est per sententiam, quæ est pars enthymematis. Nam cum ex doctrina Aristotelis sententia sit propositio non de rebus singularibus, vt Socrates fuit sapientissimus, sed de rebus vniuersalibus, nec de rebus vniuersalibus omnibus, vt curuum est contrarium recto, sed de rebus vniuersalibus, quæ pertinent ad agendum, vt dulce, & decotum est pro patria moti: cumq; quadruplex sit sententia, vna manifesta, antequam dicatur, vt optimum est valere: altera manifesta, dum dicitur, vt nemo amator est, qui non semper amet: tertia pars enthymematis, vt nemo omnium liber est: omnes enim aut fortunæ, aut pecuniæ seruiunt: quarta enthymematica, vt Mortalis

talis immortalem iram ne ſerues: hæc tertii generis eſt in hũc modũ: Fieri nõ poteſt, vt non dicatur; quod nõ probetur, eius, a quo diſſentiatur. Ergo diſſerentium inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandæ. *Maledicta, contumelia, tum iracundia, contentiones, concertationeſque, in diſputando pertinaces indigna philoſophia mihi videri ſolẽt*] Maledicta ſunt propria maleuolorum, & maledicorum. Contumeliæ propriæ inimicorum. Diſtinguuntur autem apud Ariſt. lib. 2. Rhet. καταφρόνησις, ἐπηρεασμὸς, ὕβρις. & apud Cic. in 4. Tuſc. iracundia ab ira differt, eſtque aliud iracundum eſſe, aliud iratum, vt inter ebrietatem, & ebrioſitatem intereſt. & apud eundem Ariſt in Eth. tria ſunt genera hominum pertinacium, ignorantes, ruſtici, auctores nouæ opinionis. *Sic faciam igitur, inquit*] Sexto loco de opinionib. Epicuri vna tantum proponitur perpendenda, quæ eſt de voluptate. *Sed vti oratione perpetua malo, quam interrogare, aut interrogari*] Mauult Oratorie agere, quam Dialectice. Interrogare enim, & reſpondere eſt proprium Dialecticæ. quod docet Alexander in hunc modũ: Dialectica eſt via, atque ratio de omni re propoſita probabiliter diſſerendi. Ac iure ſane hæc via appellatur Dialectica, ſiquidem ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, quod eſt diſſerere, nomen inuenit: & ipſum diſſerere in interrogatione, & reſponſione conſiſtit. Hæc ille. Continuata vero oratione vti eſt proprium Rhetoricę. *Conſtituam quid, & quale ſit id, de quo quærimus*] Quæritur, qui ſit finis bonorum, qui talis eſt, vt ad eum omnia referri oporteat, ipſum autem nuſquam. & quæritur an talis ſit voluptas, vt putabat Epicurus, qui ſic argumentabatur: Quod tale eſt, vt ad id omnia referri oporteat, ipſum autem nuſquam eſt extremum, & vltimum bonorum, vt patet ex omnium philoſophorum ſententia. At voluptas eſt talis. Ergo voluptas eſt extremum, & vltimum bonorũ, & ſummum bonum, vt dolor eſt ſummum malum. Probãda igitur eſt aſſumptio, ſeu minor propoſitio. quod facit Torquatus in fide, & confirmatione huius quæſtionis.

XI.

O*Mne animal ſimul atque natum ſit*] A definitione: Bonum eſt, quod omnia appetunt, vt legitur initio Ethicorum. Itaque ſumme bonum eſt, quod ſumme omnia a-

nimalia appetunt. At summe appetunt voluptatem. Ergo voluptas summum bonum est. *Sētiri hoc putat*] Assumptio patet sensui, & hoc modo per mediocrem animaduersionem, atque admonitionem, tum per argumentationem tradit Arist. lib. 1. Top: dubitantes indigere, partim ratione, partim pœna, partim sensu. *Sunt autem quidam è nostris*] Patet quoque per naturalem notionem, cum voluptas sit πάθος ἐγκεχρωσμένον τῷ βίῳ, vt appellauit Aristot. lib. 2. Eth. *Alii autem, quibus ego adsentior*] Probatur etiam argumētis aduersus eos, qui negant minorem hac ratione, quia voluptas sæpe contemnitur, & dolor amatur. Quibus respondetur, quod si voluptas contemnitur, per accidens cōtemnitur: si dolor amatur, per accidens id fit. Sic labor. *Quis autem vel eum iure reprehenderit*] Expetenda voluptas, quæ non efficit molestiam. *At vero eos*] Fugienda voluptas, quæ efficit molestiam. *Nam libero tempore*] Aut liberum tempus est, & soluta eligendi optio: aut nō est. Primo modo voluptas est adsumenda, dolor depellendus. Secundo modo potest euenire, vt voluptates repudiādæ sint, quo maiores obtineantur, & dolores non recusandi, quo asperiores repellantur. *Accommodare Torquatos nostros*] Qui pertulerunt dolorem, vt voluptatem consequerentur. *Non enim hanc solam sequimur*] Intelligenda est voluptas, non solum, quæ percipitur sensibus, sed per priuationem doloris. Nam priuatio doloris non est medium inter dolorem, & voluptatem. Quare non valet argumentum Chrysippi Cyrenaici, cuius statua erat in Ceramico sedētis, loco Athenarum. *Num quidnam manus tua*] Si voluptas esset bonum, manus tua sic affecta, quemadmodū affecta nunc est, scilicet sine dolore, desideraret voluptatem. At nihil desiderat. Ergo voluptas non est bonum. Negat Torquatus maiorem, quia idcirco non desideraret, quoniam, quod dolore caret, in voluptate est. Huiusmodi captionibus delectabatur Chrysippus, quæ appellantur κερατίδες, καὶ κροκοδειλίδες, & à Quinctiliano Ceratinæ, & Crocodilinæ ambiguitates, de quibus apud Laertium in Chrysippo, vt est quoddam caput, & id non habes. Tuum est quoddam caput. Ergo id non habes. Qui Megaris est, Athenis non est. Homo est Megaris. Ergo non est Athenis. Quod loqueris,

id per

id per os tuum trāſit. Currum loqueris.Ergo currus per os tuum tranſit.Quod non amiſiſti,habes. Cornua non amiſiſti.Ergo cornua habes.

2. *Extremum autem eſſe bonorum voluptatem*] Rurſus à definitione,Summum bonum eſt prę́ſtabiliſſimum,& maxime expetendum. At voluptatis ſtatu nullus præſtabilior, nullus magis expetendus. Ergo voluptas ſummum bonū.

3. *Statue contra aliquem*] A contrariis, Dolor eſt ſummum malum.Ergo voluptas ſummum bonum. Conſequētia deducitur,quia contrariorum contrariæ ſunt conditiones. Speuſippus reſpondit, conſequentiam eſſe inanem, quoniam nonnunquam contrarium mali malum eſt,vt extrema virtutum inter ſe.At Ariſtoteles tradit lib.7.Eth.cap. 13.& lib.10.cap.2.Dolorem voluptati opponi,non vt exuperantiam defectioni, ſed vt malum, & fugiendum bono, & expetendo.

4. *Quoniam autem id eſt vel ſummum bonum*] A definitione finis,qui nuſquam refertur,ad eum autem res referuntur omnes. At ad voluptatem res referuntur omnes. Ergo voluptas finis.

5. *Iſta enim veſtra eximia,pulchraque virtutes*] Probatur ab inductione,& à ſimili, omnes virtutes referri ad voluptatem,quia ſapientia, temperantia, fortitudo, iuſtitia ad voluptatem refertur. *Vt enim medicorum*] Vt medicina propter bonam valetudinem, & ars gubernandi propter vtilitatem:ſic ſapientia propter voluptatem. *Nam cum ignoratione*]Pellit ignorantiam rerum bonarum, & malarum, & certiſſima eſt dux ad voluptatem. *Sapientia enim eſt vna*] Temperat affectus. *Cupiditates autem*] Temperat cupiditates. *Quod ſi vitam omnem*] Ad quietem, & tranquillitatem perducit.

Eademque ratione] Temperantia pacem animis affert. *Temperantia eſt enim*]Facit,vt rationem ſequamur. *Nec enim ſatis eſt*]Recte iudicat, & conſtans eſt. *Plerique autem*] Non incurrit in dolorem, vt facit intemperantia. *Qui autem ita frui volunt*] Prætermittit voluptatem, vt adipiſcatur voluptatem. *Iidem etiam dolorem*]Patitur dolorem, ne incidat in maiorem. *Ex quo intelligitur*] Vt intemperantia eſt fugienda propter dolores: ſic temperantia eſt ex-

petenda propter voluptates. *Eadem fortitudinis ratio*] Habet finem iucundum, vt tradit quoque Arist. lib. 3. Eth. cap. 9. *Vt enim mortis*] Liberat omni cura, & angore. Putabat autem Epicurus licere homini se ipsum interficere, quod tamen negauit Plato in Pœdone, & Arist. lib. 3. Ethicorum, cap. 7. & putabat quoq; animam esse mortalem, quod falsum est. *Quibus rebus intelligitur*] Vt timiditas, & ignauia vituperanda est, quia dolorem pariant: sic fortitudo, & patientia est laudanda, quia voluptatem efficiant.

Iustitia restat] Quod de aliis virtutibus dictum est, quæ copulatæ sunt cum voluptate, idem de tristitia dici potest, quæ nunquam nocet cuiquam: tranquillat animos: bene sperat: nunquam turbulenta est, cum iniustitia semper turbulenta sit. *Quemadmodum*] Legendum est, Quæ, quemadmodum. *Plerumque improborum facta*] Sex agitant improbos. *Neque homini infanti*] Iniuste facta non conducũt impotentibus: iuste, & liberaliter facta afferunt potentiã. *Quæ enim cupiditates*] Iniustitia est inutilis, dum paret inanibus cupiditatibus: iustitia vtilis, dum non paret. *Itaque ne iustitiam quidem*] Ergo iustitia affert voluptatem, & ob eam est expetenda. Ergo iniustitia affert dolorem, & ob eũ est fugienda. *Et voluptatem efficit pleniorem*] Legẽdum est, voluptatum.

6 *Nullus in ipsis error est*] Dicitur non errari in finibus bonorum, & malorum, id est, in voluptate, & dolore, sed in caussis voluptatis, & doloris. Cumque voluptates, & dolores aut sint animi, aut corporis, dicitur voluptates animi oriri à voluptatibus corporis, tamen illas esse maiores, quã has. & probatur id à latiori caussa, quod voluptates & dolores corporis tantum ex præsentibus existant: at voluptates animi, & dolores etiam ex futuris, & præteritis.

7 *Clamat Epicurus*] Probatur ex Epicuri sententia non posse iucunde viui, nisi sapienter, honeste, iusteque viuatur: nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. *Neque enim ciuitas in seditione*] A simili. *Quod si corporis grauiorib. morbis*] A minori *Animi autem morbi*] Enumerantur animi morbi, cupiditates, ægritudines, metus mortis, superstitio, mala habitudo circa omnia tempora, omnia vitia: illudque conficitur huiusmodi enumeratione, qui laborat talibus

mor-

morbis,eum esse miserum,vt stultum,qui non laborat,esse beatum,vt sapientem.

8. *Multoque hoc melius nos,veriusq; quam Stoici*] Argumento ducto à differentia præfertur sapienti Stoico sapiēs Epicureus,quod Stoici sequantur vmbram honesti sine vlla ratione voluptatis:Epicurei vero velint, quod honestū est,iucundum esse, ita vt sapiens sequēs honestum sit semper in voluptate:& semper plus habeat voluptatum, quam dolorum: nec pendeat à Fortunā: teneatq; rerum caussas, & res naturales potissimum: quarum cognitio facit, vt recte argumentemur: vt horribili formidine liberemur: vt bene morati simus: vt ad sensuum regulam omnia metiamur:vt optimam rationem & vitæ degendæ, & rerum gerendarum habeamus.

9. *Restat locus huic disputationi vel maxime necessarius de amicitia*] Quæritur,si voluptas summum sit bonum, an vlla sit amicitia. *De qua Epicurus*] Probatur, nihil esse melius amicitia à testimonio Epicuri. *Neque vero hoc oratione solum*] A rebus effectis eiusdem Epicuri. *Quod quam magnum sit*] Probatur magnitudo amicitiæ à paucitate amicorum.Sic à coniugatis. *Tribus igitur modis*] Enumerātur tres opiniones Epicureorum de amicitia. *Alij cum eas voluptates*]Prima opinio fuit amicitiam referri ad voluptatē. *Sunt autem quidam Epicurei*] Altera opinio fuit, principiū amicitiæ referri ad voluptatem. *Sunt autem, qui dicant*] Tertia opinio fuit,non minus diligendos esse amicos, quā nos ipsos:idque per se iucundum esse.Atque hi sunt loci argumentorum in hoc primo libro adhibitorum.

XII.

QVapropter si ea,quæ dixi,sole ipso illustriora, & clariora sunt]Cum quatuor sint munera epilogi, vnum de iis est amplificare, quod hoc in loco videtur adhiberi.

Si omnia dixi] Aliud munus est renouare memoriā præcipuorum argumentorum,vt hic renouatur.

Qui quod tibi parum videtur]Aliud est bene constituere auditorem,seu lectorē erga nostras partes, ꝙ hic prȩstatur. *An ille tēpus*]Aliud est impellere animos ad affectū, vt hic impellūtur animi ad odiū in illos,qui volebāt eruditi videri adhibita diminutione eius,quā profiterētur,eruditionis.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS TERTIVS

IN LIBRVM SECVNDVM CICERONIS

De Finibus bonorum & malorum.

I.



RES, qua de agitur in libro secundo Ciceronis de Finibus bonorum, & malorũ est, voluptatem non cõstituere summum bonum contra L. Torquatum, qui libro primo contrarium disputauit.

II.

GEnus quæstionis est infinitum cognitionis: An voluptas sit summum bonum.

III.

COntrouersia est qualitatis, nimirum Qualis sit voluptas, an sit eiusmodi, vt summum bonum possit constituere. Cumque controuersia qualitatis sit aut simplex, aut ex comparatione, hæc simplex est de voluptate. Et, cum simplex sit trium generum, de expetendo, & fugiendo, de æquo & iniquo, de honesto & turpi, hæc in primo est genere.

IIII.

IN huiusmodi quæstionibus argumenta ducuntur à locis Topicis. Quomodo autem in hac ducta sint, inferius demonstrabitur.

V.

NOtauimus supra in quæstionibus infinitis non admodum spectari mores.

VI.

NEc admodum affectus.

VII.

EXacta vero elocutio conuenit ſcriptionibus, qualis ſine dubio eſt Ciceroniana elocutio: & conuenit tenuis ſermonibus familiaribus, quales deſcribuntur in dialogis.

VIII.

HVius libri quatuor ſunt partes, procœmium, propoſitio, fides, epilogus.

IX.

PRocœmij loco dicit Cicero ſe nolle ſcholam aliquam explicare, id eſt, præcepta doctrinæ exponere more ſophiſtarum: quia id non fecerit Socrates, ſed fecerint ſophiſtæ luſi a Socrate: quem ſecutus eſt Arceſilas, etiamſi talis mos in noua Academia fuerit pauliſper immutatus: ſe vero cum Torquato commodius acturum eſſe. Vbi obſeruanda ſunt quatuor genera differendi, quorum primum fuit arrogans: alterum modeſtum: tertium ambigens: quartum certum. *Eorum erat iſte mos, qui tum ſophiſtæ*] Primum genus fuit ſophiſtarum, qui non magis de vna, quam de altera re, ſed æque de omnibus rebus diſputabant. Sophiſta apud veteres in bonam partem accipiebatur. Plato in Minoe, ὁ ζεὺς σοφιστὴς ἐστι, ex libr. 18. Odyſſeæ. Antiquum apophtegma eſt, μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐκ αὐτῷ σοφός. Heſychius, ἀπὸ τοῦ σοφοῦ dicti ſophiſtæ, hoc eſt ſapientes. Tamen apud Platonē in Gorgia ſophiſtica accipitur in malam partem inter artes adulandi enumerata. & apud Ariſtotelem libr. 1. Rhetoricæ ſophiſticus opponitur Dialectico. & Philoſtratus librum edidit de vita ſophiſtarum, hoc eſt, Rhetorum, aut Philoſophorum cauillatorum. Primus ſophiſta fuit Protagoras, qui primus docuit mercede. quod, inquit Philoſtratus, vituperari nec poteſt, nec debet: quæ enim impendio aliquo nobis conſtāt, gratiora ſunt: &, vt inquit Hieronymus, putent gratuitæ merces. Scribit Ariſtoteles lib. 9. Ethicorum, Protagoram ſolitum fuiſſe, vbi ea perdocuiſſet, quæ profiteretur, iubere, vt diſcipulus proferret æſtimationem eorū, quæ ipſe didiciſſet, & tale pretiū accipere. Idem lib. 2. Rhet. Protagoram docuiſſe τὸ χείρω ποιεῖν τὸν ἥττω λόγον. Quinctilianus primum tractaſſe locos Topicos. poſt Protegorā floruit Gorgias Leontinus, qui hoc in loco nominatur: qui, vt ait Cicero lib. 1. de inuentione, omnibus de rebus o-

ratorẽ posse dicere optime existimauit: qui definiuit Rhetoricam, vt esset facultas dicendo persuadendi, quemadmodum legitur apud Quinctilianum: qui reuocabat hypothesim ad thesim, vt docet Arist. libr. 3. Rhetoricæ: qui maximum quęstum fecit, vt legitur apud Platonẽ Hippia maiore: tantumque pecuniæ arte sua corrasit, vt aureã statuam sibi primus omnium posuerit in templo Apollinis Delphici: qui paria paribus adiuncta, & similiter desinentia, itemque contrariis contrarie relata, primus inuenit, vt ait Cicero in Orat. ad Brutum. Secutus est Prodicus, qui habebat demonstrationem quandam, quam non docebat, nisi pretio quinquaginta drachmarum: ex quã cum dormitarent auditores, aliquid inferebat, vt attentiores essent. quod legitur apud Arist. libr. 3. Rhet. Isocrates in Encomio Helenæ, præter Protagoram, quem ait tractasse res inutiles: & Gorgiam, quẽ meminit disputasse, omnia, quæ sunt, nihil esse: reprehendit quoque Zenonem, quod dixerit eadem fieri, & non fieri posse: & Melissum, quod affirmauerit, omnia, quæ sunt, vnum esse: & alios sophistas, qui probare conati sunt, mendicantium, fugitiuorumque vitam beatiorem esse, quam aliorum hominum.

Sed & illum, quem nominaui, & ceteros Sophistas] Secũdum genus disputandi fuit Socraticorum, & Academicorum veterum, qui non omnium scientiam sibi arrogabant, vt sophistæ, sed variis propositis sententiis, ac rationibus, atque inter se collatis, quod esset probabilius, & verisimilius, eligebant. Socrates autem faceta, & eleganti ironia, & dissimulatione præstitit: homo enim minime ineptus, & idem etiam facetus, cum de sapientia disputaretur, hanc sibi ipse detrahebat, eis tribuebat illudens, qui eam sibi arrogarent. apud Platonem in cœlum fert laudibus Protagoram, Gorgiam, Prodicum, Hippiam, & ceteros: se autem omnium rerum inscitum fingit, & rudem: vtebatur percõtationi, & interrogationi. duplex autem est ἡ ἐρώτησις, seu interrogatio, vna dialectica, cui satis est respõdere, Est, Nõ est: altera pysmatica, & percontatrix, cui non est satis respõdere, Est, Non est, sed aliud est respondendum, vt illa Dialectica est, Immortalisne est animus? Illa vero percontatrix, Quisnã primus probauit animum esse immortalem? vt

docet

docet Ammonius in lib. Aristotelis de interpretatione.

Qui mos cum à posterioribus] Tertium genus disputandi fuit Scepticorum, & Academicorum nouorum, qui omnia indifferentia esse putabant, nec certum, aut probabile habebant quidquam, quod sequerentur, quorum princeps disputauit more Socratico per interrogationem, & respõsionem: alij vero Academici noui per cõtinuatam orationem. Dicebantur σκεπτικοὶ, quasi quæsitores, & consideratores: nihil enim decernebant, nihil constituebant, sed in quærendo semper, considerandoque erant: & dicebantur ἐφεκτικοὶ, καὶ ἀπορητικοὶ, compescentes, & ambigentes. vt legitur apud Gelliũ. lib. 11. cap. 5. At Arcesilas quidem fuit princeps nouæ Academiæ, cuius propria fuit ἐποχὴ, id est, assensionis retentio: dicebatq; ne illud quidem sciri posse, quod sibi exceperat Socrates.

Nos commodius] Quartum genus fuit Peripateticorum, Stoicorum, Epicureorum, vt certam aliquam quæstionis partem disputando defenderent, & asseuerantius agerent, quam Socratici. quod genus secutus est Torquatus in exprimenda Epicuri sentẽtia, & sequitur Cicero in refellẽda.

Ego autem arbitror] Duplex est oratio, vna cõtinuata, altera interrupta. illa est propria Oratorum: hæc Dialecticorum, & Philosophorum. nam λέγειν magis proprium est Oratorum. Cicer. in Orat. ad Br. Quamquam enim omnis locutio oratio est: tamen vnius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est. Διαλέγεσθαι vero magis proprium est Dialecticorum, quod fit per interrogationem, & respõsionem. illa magis delectat: dum variis luminibus dicendi tanquam stellis illuminatur, & distinguitur, ac veluti è quibusdam arculis accommodata ad se colorandam pigmenta depromit: hæc commodior est. illa est quasi torrens: hæc non ita. eadem enim est ratio torrentis, & continuatæ orationis. ille non tenetur, non apprehenditur, non coercetur: hęc quasi torrens in rapido cursu nec teneri, nec apprehendi, nec coerceri potest.

X.

O*Mnis autem in quærendo*] Proponitur definiendum quid sit voluptas. Nam debet cognosci prius, quid sit id, de quo disseritur. id autem, de quo disseritur, est vterque

terminus quæstionis. Etenim quæstio est propositio de re dubia constans ex subiecto, & prædicato, dum quæritur, an terminus prædicatus insit subiecto, vt an voluptas sit finis bonorũ, an finis bonorũ insit voluptati. Cõfirmatur debere cognosci prius, quid sit id, de quo disseritur, auctoritate Platonis in Phœdro. Ibi.n. Socrates disputãs cõtra orationẽ Lysiæ persuadere conantis nõn amanti potius, quã amanti esse gratificandum, loquitur in hanc sententiam: In omnibus vnicum principium iis, qui bene consulere volunt, est intelligere, quid illud sit, de quo consulatur: vel omnino aberrare necesse est. Plerosque vero latet, quod nesciant rei essentiam. Quasi igitur scientes in disputationis principio non declarant. Progredientes vero, quod par est, consequitur, vt nec sibi, nec aliis consentanea loquantur. Tibi igitur, & mihi ne accidat, quod in aliis damnamus, posteaquam inter nos dissensio est, vtrum cum amante potius, quã non amante amicitia sit ineunda, quid amor ipse sit, & quam vim habeat, definitione ex consensu posita cognoscamus. Hæc ille. Iam id, de quo disseritur, cognoscendum est per definitionem. quod non vidit Epicurus: dicebat enim aponere oportere, quid sit id, de quo disseritur, & negabat definiendam rem esse: quæ inter se pugnãt. dicitur hoc in loco definitio esse patefactio quasi rerum opertarũ, cum, quid quidque sit, aperitur. apud Ciceronem in Topicis oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid sit. apud Arist. lib. 1. Top. λόγος ὁ σημαίνων τὸ τί ἦν εἶναι. Id facit definitio per genus, & differentias. genus enim indicat, ad quam categoriam pertineat definitum: Differentia vero distinguit definitum ab aliis speciebus. Cum autem quæratur, an finis bonorum sit positus in voluptate, definitum est, quid sit finis, siue extremum, siue vltimum, nempe id, quo omnia, quę recte fierent, referrentur, neque id ipsum vsquam referretur. Supra notauimus duplicem esse finem, vnũ extremum, alterum ad extremum, atque in his libris agi de fine extremo: & finem eò præstãtiorem esse, quò posterior est, ex doctrina Aristotelis lib. 1. Ethicorum cap. 1. Itaq; cum in artibus est effectio, & opus post effectionem, semper opus esse præstantius effectione: & fines artium architectonicarum esse præstantiores, quam seruientium: & finem vltimum

timum esse optimum. Addendum est ex Galeno in libr. de sectis finem distingui à scopo, quod scopus artis Medicæ sit sanitas, finis sanitatis adeptio: itidemque distingui ab officio, ex Cic. lib. I. de inuen. cum id, quod ex recta ratione fit propter aliud, dicatur officium, & id, propter quod fit, finis vocetur. Poterat etiam definiri bonum, aut quod esset natura appetendum: aut quod prodesset: aut quod iuuaret: aut quod liberet. libr. I. Ethicorum. & lib. I Rhet. definitur bonum, quod omnia appetunt, id est, quinque rerum genera: quorum in primo materia appetit formam naturaliter: in secundo grauia, & leuia appetunt loca propria naturali impulsione: in tertio res habentes eam, quæ vitam cõtinet, facultatem, vt arbores, & stirpes naturaliter appetũt alimentum: in quarto res sensu præditæ irascuntur, & concupiscunt: in quinto res participes rationis sequuntur voluntatem, & prælectionem. Videtur autem in iuuando cũ vtilitate esse coniuncta iucunditas. Infra inquit Cicero: Iuuare in animo, & corpore dicitur, ex eoque iucundũ. quod vero libet, est bonum singulare. Quamobrem sequitur, vt definiatur, quid sit voluptas.

XI.

Q*Vasi quidquam, inquit, sit*] Breuiter considerandum est, quid senserit Plato de voluptate: quid Aristoteles: quid Stoici: quid ipse Cicero sententiam interpretans Epicuri. Ac Plato quidem animum in duas partes distribuit, mentem, & sensum: mentique tribuit gaudium, & lętitiam cum hac distinctione, quod omne quidem gaudiũ est laudandũ: lætitia vero partim laudanda, partim vituperãda. Nam gaudium est iucunditas, quæ ex contemplatione, aliove quopiam virtutis vsu percipitur. Qua re legitur in Phœdro, animum in beatorum sedibus videre Deũ, & Dei visione gaudere. Lætitia vero est elatio mentis in boni alicuius possessione, quæ partim modum seruat, partim modum transit. Quo sensu traditum est in Menexeno, Hominem nec nimia lætitia exultare, nec nimio dolore deiici oportere, & lib 5. de Legibus, Lætitiam nimiam, tristitiamq; esse comprimendam. Sensui autem tribuit voluptatem, & in Timæo definit esse suauem motionem in sensibus, quæ ex indigentiæ repletione proficiscitur. Iam vero, cum tres

ſint animi facultates,vna, quæ vitam continet, altera, quæ ſenſum habet,tertia,quę intelligit:prima homini communis eſt cum ſtirpibus, & arboribus, cuius munera ſunt tria, procreare,alere,augere:& de qua philoſophi veteres diuerſa ſenſerunt.Plato .n.putauit,ſtirpes, & arbores tacitā quādam appetitionem habere, quæ quidem naturæ propenſio vocatur : Empedocles non ſolum naturæ propenſionem, ſed etiam ſenſum : Anaxagoras, & Democritus non ſolum ſentiendi,ſed etiam cogitandi,& intelligēdi facultate prædita eſſe,voluptateque ac dolore affici: Ariſtoteles nec voluptatis,nec doloris participes eſſe, nec ratione præditas, nec ſenſu.Itaque ex eius ſententia voluptas ad eam,quę vitam continet, non pertinet facultatem. Altera vero communis eſt homini cum belluis. Et tertia ſoli homini ex omni mortalium animantium genere conuenit.Quibus facultatibus Ariſtoteles tribuit voluptatem,nimirum ſenſui, & menti : vultque eſſe perfectionem quandam actionis tū ſenſus,tum mentis.Ac actio quidem mentis eſt intelligentia,cogitatio, contemplatio. Perfectio igitur contemplationis eſt voluptas mentis. Senſuum vero actiones ſunt, vt oculorum viſio, aurium auditio, narium odoratio, gulæ guſtatio,manuum tactio : harumque actionum perfectiones ſunt voluptates.Duplex autem eſt perfectio,vna præcipua,quæ pars eſt eius, cuius eſt perfectio , vt animus hominis : altera conſequens, quæ, cum eſſentiæ non ſit pars, eſſentiam tamen conſequitur,& comitatur,vt iuuentuti cōſequēs eſt pulchritudo.Ita intelligit philoſophus voluptatem eſſe perfectionem conſequentem. Præterea duplex eſt perfectio : vna vera , altera adumbrata. vera illa eſt, quæ in honeſtate poſita eſt:ceteræ vero ſunt adumbratæ. Plato igitur & Ariſtoteles partim inter ſe conueniunt, partim diſſentiunt de voluptate.Conueniunt in re:diſſentiunt in ſermone.Nam Plato in mēte nominat gaudium , & lętitiam, in ſenſu voluptatem : Ariſtoteles vero non ſolum in ſenſu, ſed etiam in mente nominat voluptatem. Stoici autē gaudium in bonam partem accipiunt:& voluptatis, ac lætitiæ nomine pro eodem vtuntur in animo. Itaque de gaudio conueniunt cum Platone:de voluptate,& lætitia non conueniunt.Cum enim ita mouemur,vt in bono aliquo verſemur,

mur, id dupliciter contingit. nam, cum ex ratione mouetur animus placide, & constanter, id gaudium appellant. Cum sine ratione mouetur, effuse, & inaniter, lætitiam gestientem vocant, & voluptatem: definiuntque vt sit præter rationem elatio animi existimantis magno quodam bono se frui. Cicero vero primum tribuit voluptatem sensibus: deinde probat aliud esse voluptatem, aliud indolentiam cõtra Epicurum: postremo subiicit voluptati duas res, lætitiã in animo, commotionem suauem iucunditatis in corpore. Primũ igitur cum Platone videtur conuenire: deinde Hieronymo Rhodio assentitur: postremo probat sententiam Aristotelis. Legendus autem est Marsilij Ficini liber de voluptate. *Quia voluptatem hanc esse sentiunt omnes*] Definitio voluptatis tribuens eam sensibus. *Quippe qui testificetur*] Testimonium Epicuri de sensuum voluptate. *Qui se vnum, quod sciam*] Argumentum à differentia, quod alij aliorum suffragio sapientes sint nominati: ipse Epicurus vnus sua sententia se sapientem esse professus sit.

Tenes ne igitur, inquam] Etiam à differentia, quod aliud sit voluptas, aliud indolentia, contra Epicuri sententiam. id probatur authoritate Hieronymi Rhodij, qui dicebat nihil dolere esse finem bonorum: & voluptatem non esse expetendam propter se ipsam. Negatur autem indolentiã esse voluptatem: quod non satis probabat Epicurus. nam dicebat esse voluptatem tum sitienti in bibendo, tum post restinctam sitim, cum dolor nullus sentiretur ex siti: &, cum omnis dolor detractus esset, variari, non augeri voluptatẽ. Respondet Cicero dictum esse bene Latine, parum plane. Illud enim dicitur variari, quod, cum permaneat eadem essentia, acquirit qualitatem aliquam, vel deperdit. Itaque varietas dicitur de eadem essentia. Sed voluptas non potest dici varia de eo, quod non est voluptas, vt de indolentia. Et reprehenduntur Epicurei, tamquam ineruditi, quod quẽadmodum Romani ab aratro abduxerunt Ciminnatum: sic Epicurei colligerentur de Pelasgis omnibus, boni illi quidem viri, sed certe non semper eruditi. Commemoratur igitur hoc in loco L. Quinctius Ciminnatus, qui anno vrbis, 295. cum L. Minutius consul aduersus Æquos missus in Algido monte conclusus esset, ex agro ad dictaturam

vocatus est: consulemque liberauit: & re bene gesta, cum cepisset dictaturam in sex menses, post dies sexdecim eam deposuit. Et dicuntur Epicurei collecti esse de Pelasgis, hoc est, ex variis hominum nationibus: alluditur enim ad varias terræ plagas, quas Pelasgi incoluerunt: ita dicti, quasi Pelargi, & Ciconiæ, animalia, quæ libērer sedem mutant, & varias habitant regiones. primum enim habitarūt partē Peloponnesi, quæ dicitur Arcadia: deinde partem Thessaliæ: postea pulsi diuersas terrarum partes peragrarunt, & primum ad Dodonæos in Epirum, mox in Italiam ad Padi ostia: postremo ad Oenotrios in Latium se cōtulerūt. Itaque more Ciconiarum dispersum est genus illud in varias partes, & πολυπλάνητον dictum. De Cincinnato autem abducto ab aratro, & Epicureis collectis de Pelasgis, est argumentum à simili.

Vt scias me intelligere, primum idem esse dico voluptatē, quod ille ἡδονὴν] Dicitur vocabulum Latinum bene exprimere Græcum: & voluptati subiicitur lætitia in animo, & commotio suauis iucunditatis in corpore. Probatur de lætitia auctoritate Quincti Trabeæ, qui voluptatē animi nimiam appellauit lætitiam: & cuiusdam Cæciliani, qui omnibus lætitiis lætum se esse narrauit. Hæc igitur probatio ducta est à testimonio. Additur differentia, quæ distinguit lætitiam, & gaudium à voluptate: quod non dicitur lætitia, neque gaudium in corpore, sed tantum in animo: voluptas vero dicitur tum in animo, quod probatur auctoritate Stoicorum, qui voluptatem definiuerunt sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui, tum in corpore, pro ea iucunditate, quę sensum aliquē mouet. quę iucunditas potest transferri in animum: quod probatur à notatione iucunditatis, quæ dicta est à iuuando, cum iuuare in vtroque dicatur & animo & corpore. Concluditur indolentiam inter lætitiā, & dolorem mediam esse. Id probatur tribus exemplis poetarum: altero de lætitia: altero de dolore: tertio de indolentia.

Satisne igitur videor] Quæritur caussa, cur nō intelligatur, quid Epicurus dicat de voluptate. Id autem solet euenire quattuor de caussis: aut propter defectum audientis, qui rudis sit: aut propter defectum loquentis, qui nesciat,

quid

quid dicat:aut propter voluntatem loquentis, qui id faciat de induſtria:aut propter naturam rerum, quæ, cum per ſe obſcuræ ſint, non facile intelligi queant. Primam cauſſam à ſe amouet Cicero, qui ſatis vel Græce loqui, vel Latine doctus eſt, & poteſt facile intelligere, quæ vel Græce, vel Latine dicantur. libr. 9. Fam. Quid Cicero ille, quem aſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua? ſatis vero conſtat Ciceronem fuiſſe optimum Latinitatis auctorem. & tamquam limen, immo potius lumen, vel flumẽ, immo vero fulmen Latinæ eloquẽtię. *Et tamen vide*] Alterã cauſſam tribuit Epicuro. *Quod duobus modis ſine reprehenſione fit, ſi aut de induſtria*] Tertiam cauſſam conſiderat in Heraclito, eo, qui miſerias humanas flebat, vt Democritus ridebat: de quo ita Cicero in 5. Tuſc. Eſt apud Heraclitum Phyſicum de principe Epheſiorum Hermodoro. Vniuerſos ait Epheſios eſſe morte multandos, quod, cum ciuitate expellerent Hermodorum, ita locuti ſunt: Nemo de nobis vnus excellat, ſed, ſi quis extiterit, alio in loco, & apud alios ſit. Is dictus eſt σκοτεινὸς, id eſt, tenebricoſus, quem recẽtior Scotus voluit imitari. σκότος enim eſt tenebra, & σκοτύω obtenebro. Sic Plato ſub inuolucris, & integumentis philoſophiam abdidit. qua de cauſſa fuit reprehenſus ab Epicureis, & Colote Epicureo, ſed immerito reprehenſus. Sic Ariſtoteles conquerẽnti Alexandro, quod ipſius libri acroamatici editi eſſent, reſcripſit αὐτοὺς καὶ ἐκδεδόσθαι, καὶ μὴ ἐκδεδόσθαι, quod illis tantum, qui ipſum audiuiſſent, ξυνετοὶ eſſent, hoc eſt cognobiles, vt locutum eſſe M. Catonem lib. 6. Originum, notauit Gellius lib. 20. cap. 4. *Aut cum rerum obſcuritas*] Quartam cauſſam obſeruat in Timæo Platonis de generatione mundi, quem conuertit Cicero in eo libro, qui inſcriptus eſt de vniuerſitate, magis ab huius memorię hominibus, quam à Cicerone, cum a veteribus Grammaticis citetur ſub nomine Timæi, & à D. Hieronymo in Amos cap. 1. ita: Obſcuriſſimus Platonis Timæus ne Ciceronis quidem aureo ore fit planior. *Epicurus autem, vt opinor*] Negat in Epicuro tertiam, & quartam cauſſam, quæ ſunt ſine reprehenſione. Nec enim Epicurus de induſtria faciebat, vt non intelligeretur: volebat enim plane, & aperte loqui. Nec agebat de re obſcura, aut artificioſa, quales

ſunt illæ, quæ non facile ab omnibus intelliguntur, vt Phyſicæ, & Mathematicæ: obſcuræ enim ſunt naturales rerum cauſſæ: & Mathematicum artificium, non niſi ab illis, qui Mathematicam diſciplinā pertractant, cognoſcitur. Quare nec tertia, nec quarta cauſſa de Epicuro afferri poteſt.

Si enim idem dicat, quod Hieronymus] Reprehenditur Epicurus, quod confundat voluptatem cum indolentia: & contra eum adhibetur neceſſaria argumentatio per complexionem. Tractatur enim huiuſmodi argumentatio tribus modis: tum per complexionē, vt pro Marcello, Quos timebat Cæſar, aut amici erant, aut inimici. amici non erant timendi: inimici erant nulli, quia aut perierant in bello, aut eius benignitate, & clementia facti erant amici: ergo nulli Cæſari erant timendi. tum per enumerationem, vt ſi iniuriæ fiunt ob tres cauſſas, conſuetudinem, rationē commodi, affectum: profecto neceſſe eſt, aut iniuriam factam eſſe ob conſuetudinem, aut ob rationem commodi, aut ob affectum, aut, ſi horum nihil eſt, nō eſſe factam iniuriam: ſed ob nullam ex illis cauſſis eſt facta iniuria: relinquitur igitur, vt non ſit facta iniuria. tum per ſimplicem concluſionem, vt, ſi vos me iſtud eo tempore feciſſe dicitis: ego autem eo ipſo tempore trans mare fui: relinquitur, vt id, quod dicitis, non modo non fecerim, ſed ne potuerim quidem facere. Iam complexio Ciceronis eſt huiuſmodi: Aut idem putat Epicurus cum Hieronymo Rhodio, aut non idem putat. Si idem putat, non debet dicere voluptatem, ſed vacuitatem doloris: ſi idem non putat, non debet cum voluptate confundere vacuitatem doloris. Facit enim duplicem voluptatem, vnam dulcem in motu: alteram nihil dolentis in ſtabilitate: ſed falſo. Alia enim eſt vacuitas doloris, alia voluptas. Et hæc ſunt in natura rerum tria, vnum cum in voluptate ſumus: alterum, cum in dolore: tertium, cum nec in dolore, nec in voluptate. Si vero dicatur illud, quod affirmabat Epicurus, omnem, qui ſine dolore ſit, in voluptate, & ea quidem ſumma, eſſe: dicendum erit (quod tamen eſt abſurdum) in eadem voluptate eſſe eum, qui alteri miſceat mulſum ipſe non ſitiens, & eum, qui illud ſitiens bibat.

Tum ille, finem, inquit interrogandi] Diſtinguit Torquatus

quatus Rhetoricã à Dialectica, quod illa sit minus captiosa: hæc captiosior. quod tamen falsum est, siue loquamur de Dialectica vniuersali, siue de singulari. Nam Dialecticæ vna pars est sophistica, quæ conuenit etiam Rhetoricæ. Dialectica vero singularis, quæ tractat argumenta probabilia, distinguitur apud Aristotelem à parte sophistica: non sic Rhetorica. Is enim lib. 1. cap. 1. tradit Oratorem partim esse secundum scientiam, seu facultatem, quatenus scit, & potest vti falso, & in hoc conuenire cum Dialectico: partim secundum præelectionem, quatenus quandoque præeligit vsum falsarum argumentationum, & in hoc esse similem sophistico. Nam Dialecticum non esse secundum præelectionem, sed secundum facultatem: sophistam vero esse secundum præelectionem. Et eiusdem libri cap. 4. Quod dictum est, verum esse, Rhetoricam compositam esse rum ex Analytica scientia, tum ex Politica, quæ in moribus versatur: similem vero esse partim Dialecticæ, partim sophisticis sermonibus. & lib. 2. cap. 22. & 24. in Rhetorica alia enthymemata esse vera, alia adumbrata.

Quasi vero, inquit, perpetua oratio] In eo est differentia, quod Rhetores latius, Dialectici, & Philosophi compressius loquantur: quod probatur auctoritate Zenonis. Quãquam, si attendatur id, quod tractatur in vtraque arte, cum Dialectica omne probabile complectatur, & Rhetorica nõ omne probabile, sed illud tantum, quod probatur omnibus, vel plurimis, & quod appositum est ad persuadendum, Dialectica latior, Rhetorica compressior potest videri. Obseruandum igitur est, quod, cum Dialectica, & Rhetorica sint inter se similes, vt dicitur initio Rhetoricæ Aristotelis: sunt tamen etiam dissimiles: primum quia, vt modo notauimus, Dialectica propositum habet omne probabile: at Rhetorica non omne. Deinde quia illa argumẽtatur ex vero probabili, cum distinguatur à sophistica: hęc vero etiam ex persuasibili apparenti. Præterea quia illa vtitur argumẽtatione: hæc etiam moribus & affectibus. Quarto, quod illius argumentationes sunt syllogismus, & inductio: huius enthymema, & exemplum. Quincto, quod illa æque est de omnibus rebus: hæc magis de iis, de quibus consultamus. Sexto, quod illa habet tantum locos Topicos: hæc etiam

propoſitiones communes, & proprias. Septimo, quod illa potiſſimum ſtudet rebus: hæc non ſolum ex rebus conſtituit oratione͂, ſed etiã ex ornatis verbis. Poſtremo q͂a illa vtitur interrogatione & reſpõſione: hęc cõtinuata oratione.

Obſequar igitur voluntati tuæ] Duplicẽ conſiderat Rhetoricã, vnam Philoſophicam, alterâm popularem. Quãquam illa minus proprie, hęc magis proprie Rhetorica eſt. Tradit enim Ariſt. libr. I. Rhetoricã eſſe apud eiuſmodi auditores, qui non poſſunt ex multis contueri. & paulo infra: Rudem ſupponi auditorem oratoris.

Sed dum Dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus] Omnis ars differendi in duas partes eſt diſtributa, vnam inueniendi, alteram iudicandi. vt legitur initio Topicorũ Ciceronis.

Ac ratione, & via diſputandi] Alias, Hac ratione, &c.

Nec ea, quæ docet, vult vlla arte diſtingui] In vetere libro: Nec ea, quæ docere vult, vlla arte diſtinguit.

Summum à nobis bonum voluptas dicitur: aperiendum eſt igitur, quid ſit voluptas] Incipiendum eſt à definitione, vt intelligatur, quid ſit id, de quo agitur.

Aut enim eam voluptatem tueretur] Debebat Epicurus vnum de tribus facere. Aut tueri voluptatem, quam Ariſtippus dixit, id eſt, qua ſenſus dulciter, & iucunde mouetur. Fuit Ariſtippus Cyrenaicus, qui Socratis fama in dies magis percrebeſcente Athenas profectus eſt, vt eum audiret: qui quod in voluptate ſummum bonum poneret, reprehe͂ſus eſt à Xenophonte in libro contra voluptatem, & à Platone in lib. de animo: qui cum eſſet obiectum, habere eum Laida, inquit, Laida, nõ habeor à Laide. Aut appellare ſolũ indolentiam nomine voluptatis, contemnens voluptatem Ariſtippi, ſi magis placeret ſuo more loqui, quam, vt

Omnes Danai, atq; Mycenenſes, Attica pubes, reliquiq; Græci, qui hoc anapæſto citantur, id eſt, hoc verſu, qui conſtat ex multis anapæſtis: eſt enim anapæſtus pes ex duabus ſyllabis breuibus, & tertia longa, oppoſitus dactylo. & in huiuſmodi verſu ſunt ſex pedes, primus ſpondęus, ſecundus & tertius anapæſtus, quartus ſpõdæus, quinctus anapæſtus, ſextus ſpondæus. Opinio autem de indolentia fuit Hieronymi Rhodij. Aut coniungere doloris vacuitatem cum volupta-

luptate, & duobus vltimis vti, quemadmodum fecerunt multi, & magni philosophi. *Vt Aristoteles*] Definiuit beatitudinem actionem animi ratione vtentis ex virtute perfectissima in vita perfecta: considerauitque felicitatem duobus modis: tum vt perficit habentem, & sic eam posuit in actione virtutis, quæ est essentia felicitatis: tum vt refertur ad alios, & sic putauit eam indigere quibusdam tanquam instrumentis, & quibusdam tamquam ornamentis. *Calliphо adiunxit ad honestatem voluptatem*] Aristoteles quoq; voluit voluptatem semper consequi actionem ex virtute: non tamen expressit, sed subintellexit. *Diodorus ad eandem honestatem addidit vacuitatem doloris*] De qua opinione etiam infra in mixtis. *Idem fecisset Epicurus*] Duas res valde dissimiles voluptatē, & indolentiam complecti voluit nomine voluptatis: tamen nec Aristippus in voluptate posuit non dolere: neque Hieronymus voluptatis appellatione nūquam vsus est pro indolentia, cum vterq; Grece egregie loqueretur. *Sicut facit, remque tamē diuidit verbis*] Legendum: Neque tamen, &c. Alio in vetere libro: Sicut tacit re, neque tamē. *Cum enim eam ipsam voluptatem*] Quandoq; videtur esse totus Aristippeus. *Quis enim vestrum non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id est, maxime ratas?*] Hęc verba, id est, maxime ratas, sunt glossema, & quidem ineptum: nō enim illud, *κυρίας δόξας*, significat maxime ratas, sed proprias sententias *Nihil harerem.*] Infra apparet legendum esse, Nihil haberem, quod reprehenderem. Idque si ita dicit: Paulus Manutius sic emendauit: Idque si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem, dicit absurde, vt si dicat non reprehendendos esse patricidas, si sapiētes sint. Etenim quid attinet luxuriosis vllam exceptionem dare, aut fingere aliquos, qui cum luxuriose viuerent, cetera cauerent? a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine duntaxat. Sed tamen, &c. Hæc autem inter se repugnant, esse luxuriosum, & non esse cupidum: esse patricidā, & sapientem. Et absurdum est dicere, non esse reprehendēdos luxuriosos per se ipsos, sed cum deos metuunt, cū mortem, cum dolorem, cum cupidi sunt: luxuriosi enim per se ipsi sunt reprehendendi. *Atqui reperiemus asotos*] Sunt re-

prehendendi luxurioſi, quia non timent deos. Ariſt. libr. 4. Eth. τὴν δὲ ἀσωτίαν ἐπιφέρομεν ἐνίοτε συμπλέκοντες. τοὺς γὰρ ἀκρατεῖς, καὶ εἰς ἀκολασίαν δαπανηροὺς ἀσώτους καλοῦμεν. & paulo infra: ἄσωτος ὁ δι' αὐτὸν ἀπολλύμενος. δοκεῖ δὲ ἀπώλειά τις αὐτοῦ εἶναι καὶ ἡ τῆς οὐσίας φθορά. Quod attinet ad illud, vt edant de patella, Feſtus ſcribit patellas fuiſſe vaſa picata parua ſacrificiis faciendis apta. Edere autem de patella dictum eſt in eos, qui vſque adeo contemnebant ſacra, vt ederent de patella, quæ ſacris admonebatur: & eſt prouerbium in eos, qui religionem nihili faciũt. *Deinde ita mortem non timẽtes*] Luxurioſi ſunt reprehendendi, quia non timent mortem euenientem citius ob luxuriam. Citat Cicero Hymnidem, quæ fuit Comœdia Cæcilij, vbi fingebatur quidam aſotus, vt ſuę luxuriæ ſatisfaceret, ne mortem quidem timere. *Iam doloris illa medicamenta Epicurea, tamquã de narthecio promũt*] Sunt reprehendendi luxurioſi, quia non timent dolorem à luxuria proficiſcentem. νάρθηξ Latinis ferula, ſpecies fruticis, calamum habet fungoſum, calamus ille vocabatur ναρθήκιον. huiuſmodi calamis latis ſeruabantur medicamenta. *Vnum neſcio, quomodo poſſit*] Deniq; ſunt reprehendendi luxurioſi, quia ſunt nimium cupidi. Duo autem commemorantur aſotorum genera: quidam, qui ne iucunde quidem viuunt: alij, qui iucunde quidem viuunt: ſed non bene aut beate. *Nolim enim mihi*] Primum genus. *Mundos, elegantes*] Secundum genus. *Cui nihil deſit*] Manutius legit: Cui nil dempſerit nix, & ſacculus abſtulerit. nã apud veteres qui lautius viuebãt, vino delectabãtur, quod ſacco vinario tranſmiſſum eſſet, non ſolum vt frigidius biberent, ſed etiam vt liquidius. *Reſplẽdeat ijs veſtis, argentum vel Corinthium, orichalcum, locus ipſe, ædificium*] Quidam corrigũt: veſtis, Triclinium. & putant cetera eſſe gloſſema. *Hos ego aſotos*] Quidam viuunt bene, & libenter, vt Lælius: quidam libenter, ſed nõ bene, vt Gallonius: de quibus Lucilius. *O Lapathe*] Lapathus herba. Gumæ, ſiue gumiæ ingluuioſi apud Feſtum. Squilla piſcis paruus ore coit, vt teſtatur Plinius. Accipenſer piſcis nobiliſſimus habitus, auctor idem Plinius. Decumanus magnus. *Quid bene? dicet Lucilius*] Declaratur auctoritate Lucilij, quid ſit bene cœnare. *Recte miſerum*] Intelligitur: Affirmat. *Quomodo autẽ*]

Facie

faciebat Epicurus tria genera cupiditatum, tradens alias esse naturales, & necessarias, vt est fames, & sitis: alias naturales quidem, sed non necessarias, vt cupiditates variorũ condimentorum, & exquisitarum epularum: alias nec naturales, nec necessarias, vt diuitiarum, & opum. Quæ diuisio reprehenditur, quod sit trimembris, cum deberet esse bimembris, ita vt diceretur cupiditates partim esse naturales, partim inanes: & rursus naturales aut necessarias, aut non necessarias. *Et quidem illud ipsum*] Reprehẽditur quoque illud, quod philosophus loqueretur de cupiditatibus finiendis, quasi cupiditas finiri possit, & aliquis existat auarus, sed finite, & adulter, sed habeat modum, & luxuriosus itidem, & quasi interitus prauitatis non sit afferendus, sed mediocritas vitiorum perquirenda. *Deinde vbi erubuit*] Quandoque prorsus sequitur Hieronymum Rhodium: dicit tamen dolori non voluptatem contrariam esse, sed doloris priuationem: & hoc modo significat doloris priuationem aliam esse à voluptate. *Hoc vero non videre*] Vide explicationem Manutij in scholiis. *Interdum ita extenuat*] Interdum videtur M. Curius: interdum non à philosopho, sed à censore est reprimẽdus. De M. Curio legẽdus est Gellius, & de Cẽsoriis notis. *A primo, vt opinor, animantiũ ortu*] Erat argumentũ Epicuri: Appetit voluptas naturaliter à vagiẽtibus pueris, & a bestiis tamq̃ summũ bonũ. ergo est summũ bonũ. Summa respõsionis est, ꝙ vera est assumptio de stãte voluptate, quę potius est indolentia, quã voluptas: natura .n. vult saluã esse sese. Si verũ esset de mouente, nulla tam turpis voluptas existeret, quæ prætermittenda videretur, nec animal modo natum, & vagiens puer proficisceretur, & penderet à summa voluptate posita in non dolendo. Tamen Epicurus cum dixit naturaliter experi voluptatem, non intellexit voluptatem non dolẽdi, quæ non mouet sensum, qua in re etiam deceptus est Hieronymus: sed spectauit voluptatem in motu, Dicebat autem Epicurus, bestias, & vagientes pueros bonum, & malum naturaliter diiudicare, & voluptatem expetere, dolorem fugere: at respondetur, bestiarum nullum esse iudicium: & infantem atque omne animal natura moueri, non vt voluptatem expetat, sed tantum, vt se ipsum, & omnes partes suas diligat,

n primisq; duas partes, animum, & corpus, deinde vtriusque partes, quæ dicuntur prima naturalia, vt sunt membra, sensus, ingenii motus, integritas corporis, valetudo, in quibus an insit voluptas, magna quæstio est. *Polemoni, & ante Aristoteli*] In 5. Tusc. Illa mixta: Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, vt Peripatetici, nec multo veteres Academici secus. Voluptate cum honestate Clitomachus, & Callipho copulauit. Indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit. *Aristippo simplex*] In 5. Tusc. Simplices sententiæ quattuor: nihil bonum, nisi honestum, vt Stoici: nihil bonum nisi voluptatem, vt Epicurus: nihil bonum, nisi vacuitatem doloris, vt Hieronymus: nihil bonum, nisi naturæ primis bonis, aut omnibus, aut maximis frui, vt Carneades contra Stoicos disserebat. *Ita tres sunt fines*] Sententiæ de summo bono partim sunt retentæ, & defensæ: partim explosæ, & reiectæ. Secundum primas sententias fines aut sunt expertes honestatis: aut participes honestatis. Expertes honestatis sunt tres, Aristippi, vel Epicuri, Hieronymi, Carneadis. Participes honestatis, aut sunt mixti, aut simplices: mixti sūt tres, Polemonis, Calliphonis, Diodori. Simplex est Zenonis. Secundæ sententiæ sunt Pyrrhonis, Aristonis, Herilli, de quibus ita in 5. Tusc. Aristonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorūque aliorum sententiæ euanuerunt. *Reliqui sibi*] Philosophi de summo bono partim sibi constiterunt, partim nequaquam. In primo genere fuerunt reliqui: in altero Epicurus. *Nam quod ait sensibus ipsis*] Ad argumentum, quod sensibus iudicatur, voluptatem esse bonum, respondetur, non iudicare sensum, quid sit summum bonum: sed id iudicium pertinere ad rationem: itaque rationem iudicaturam, aut ex opinionibus simplicibus esse veram illam Stoicorum: aut ex opinionibus mixtis illam Peripateticorum: ceteras reiecturam. *Primum Aristippi, Cyrenaicorumque omnium, quos non est veritum*] Pro, Quos non est puditum, seu puduit. proprium hominis est intelligere, & agere, non voluptate perfundi, quod commune est ipsi homini cum belluis, vt disputabat Arist. lib. 1. Ethicorum, cap 5. *Nec vero audiendus Hieronymus*] Hieronymus argumentabatur sic: Malum dolor est. Ergo carere eo malo satis est ad bene viuendum.

uendum. Sed negatur consequentia. & negatur illud, quod dicebat Ennius, Nimium boni esse, cui nihil esset mali, cū quærenda sit beata vita consīderando, vel agendo. Duplex enim est beatitudo hominis, vna contemplandi, altera agendi, vt docet Arist. lib. 10 Ethicorum. *Quæ possunt eadem contra Carneadeum illud summum bonum*] Putabat Carneades summum hominis bonum esse naturæ primis bonis aut omnibus, aut maximis frui. Dicitur hic non tam id probasse Carneadem, quam voluisse se opponere Stoicis: sed ad id adiungendam esse virtutem, vt expleatur cumulate vita beata. *Nam qui ad Virtutem adiungunt*] Hoc contra Calliphonis sententiam, & Diodori, quorum alter ad virtutem adiungebat voluptatem, alter indolentiam. Sed dicitur huiusmodi accessionem non esse probabilem, & reprehenduntur illi, quod addiderint ad virtutem primum vilissimas res, deinde singulas potius, quam omnia, quæ prima natura approbauisset. *Hæc cum Voluptate coniungerent*] In vetusto libro hæc verba non leguntur. *Quæ cū Aristoni & Pyrrhoni*] Ostenditur, quam ridicula esset Aristonis, & Pyrrhonis sententia, qui virtutem rerum selectione expoliabant, dum nihil prorsus dicerent interesse inter optime valere, & grauissime ægrotare. *Herillus autem*] Dicitur Herillus vnum quoddam bonum vidisse, sed non optimum. Restatis igitur vos. *Nam cum Academicis incerta luctatio est*] De his supra. *Ita ceterorum sententiis semotis*] Proponitur certamen inter virtutem, & voluptatem. *Honestū igitur, id intelligitur*] Apud Arist. lib. 1. Rhet. cap 9. Ac honestum quidem est, quod cum per se eligendum sit, laudabile est: vel quod cum bonum sit, iucundum est, quia bonum. *Quod quale sit*] Probatur à testimonio humano, & communi omnium iudicio, ac optimi cuiusque studiis, atq; factis, multa fieri propter honestatem, nulla habita ratione vtilitatis. *Homines enim, & si multis aliis*] Ostenditur differētia inter homines, & bestias, cum quibus partim conuenit. lib. 1. Officiorum: principio generi animantium omni est à natura tributum, vt se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur: omniaque quæ sint ad viuendum necessaria, inquirat, & paret, vt pastum, vt latibula, vt alia eiusdem generis: commune item animantium omniū

est coniunctionis appetitus procreãdi caussa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt, partim non conuenit, vt in seminibus quibusdam naturalibus ratione temporum, eodem libro: sed inter hominem, & belluam, hoc maxime interest, quod hæc tantum, quãtum sensus mouetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum: homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit: principia, & caussas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adiungit, atque annectit futuras: facile totius vitæ cursum videt, ad eam degendam præparat res necessarias. *Eadem ratio facit*] De seminibus iustitiæ, & liberalitatis sic eodem in loco: Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem: ingeneratque in primis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque vt hominum cœtus & celebrari inter se, & sibi obedire velit, ob easque caussas studeat parare ea, quæ suppeditent ad cultum, & ad victum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis, cæterisque quos charos habeat, tuerique debeat. quæ cura exsuscitat etiam animos, & maiores ad rem gerendam facit. Quod autem hic citatur auctoritas Platonis ad Archytam, similiter recensetur eodem libro officiorum his verbis: vt præclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus. sed ortus nostri partem patria, partem parentes vendicant, partem amici. *Et quoniam eadem natura*] De seminibus prudentiæ, & sapientiæ ita ibidem: In primisque hominis est propria veri inquisitio, atque inuestigatio. Itaque cum sumus necessariis negociis, cuiusque vacui, tũ auemus aliquid videre, audire, ac discere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad bene, beateque viuendum necessariam ducimus. ex quo intelligitur, quod verum, simplex, sincerumq; sit, id esse naturæ hominis aptissimum. *Eadem ratio habet*] De seminibus fortitudinis ibidem sic: Huic veri vidẽdi cupiditati adiuncta est appetitio quædam principatus, vt nemini parere animus bene informatus à natura velit, nisi præcipienti, & docenti, aut vtilitatis caussa iuste, & legitime imperanti: ex

quo

quo animi magnitudo existit, humanarumque rerũ contemptio. *Atque his tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur*] De seminibus temperantiæ eodem libro ad hunc modum: Nec vero illa parua vis naturæ est, rationisq;, quod vnum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat in factis, dictisque, qui modus. Itaque eorũ ipsorum, quę aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit. quam similitudinem natura, ratioque ab oculis ad animũ transferens, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis, factisque conseruandum putat: cauetque ne quid indecori, effœminatıve faciat, tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinose aut faciat, aut cogitet. quibus ex rebus conflatur, & efficitur id, quod quærimus, honestum: quod etiamsi nobilitatum nõ sit, tamen honestum sit: quodque vere dicimus, etiamsi à nullo laudetur, laudabile esse natura. *Habes vndique expletam, & perfectam, Torquate, formam honestatis*] Lib. I. Officiorum: Formam quidem ipsam, Marce fili, & tamquam faciem honesti vides: quæ, si oculis cerneretur, mirabiles amores, vt ait Plato, excitaret sapientiæ. *Si enim ad honestatem*] Contendit Epicurus, in honestate inesse voluptatem. *Vt enim consuetudo loquitur*] Argumentatur a consuetudine loquendi, vt id solum dicatur honestum, quod est populari fama gloriosum. Sic formatur argumentatio: Quod est populari fama gloriosum, expetitur propter voluptatem. At honestum est, quod populari fama gloriosum est. Ergo honestum expetitur propter voluptatem. ponitur prima minor: secunda maior: tertia conclusio. *Ego autem hoc etiã turpe esse*] Negatur minor propositio: & contenditur id, quod populari fama gloriosum est, & quod multitudinis rumore laudatur, aut esse turpe, aut non ob eam caussam honestum esse, quia laudetur à multis. *Itaque idem natura victus*] Commemoratur dictum Epicuri, Non posse iucunde viui, nisi honeste, & consideratur aut intelligi honeste viuere esse idem, quod iucunde: aut viuere populari fama. Si primo modo intelligatur, sequi illud absurdi, vt dicatur, Non posse honeste viui, nisi honeste viuatur. quam Dialectici appellant petitionem principij: si secundo modo, il-

lud turpitudinis euenire, vt sapientis vita ex insipientium sermone pendere videatur. *Quid ergo hoc loco*] Conficitur, non posse aliud honestum intelligi, nisi quod possit ipsum propter se iure laudari: alioquin laudem posse peti è macello. *Non is vir est*] Supra: idem natura victus, cui obsisti non potest. *Itaque Torquate*] Probatur auctoritate Torquati, laudari honestatem, & iustitiam aliquando ab Epicuro. *Quam te decebat*] Cum decorum sit illud, quod efficit, vt actiones nostræ videantur pulchræ, quemadmodum definiuit Plato, pulchri videntur philosophorum sermones mentione sapientiæ, fortitudinis, iustitiæ, temperantiæ, quo um verborum amore dicuntur præstantissimis ingeniis homines se ad philosophiæ studium contulisse. *Oculorum, inquit Plato*] Libro primo Officiorum auctoritate Platonis legitur, Si forma ipsa, & tamquam facies honesti cerneretur oculis, eam mirabiles amores excitaturam esse sapientiæ. Cum autem Torquatus superiori libro retulisset sapientiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem ad voluptatem, hoc in loco ostenditur contrarium, nempe sapientiam non referri ad voluptatem. *Cur iustitia laudatur?*] Ne iustitiam, de qua est illud prouerbium: Dignus est, qui cum in tenebris mices. *Sunt enim leuia & perinfirma*] Pro... non semper improbos excruciari animi conscientia, vt ii sint non simpliciter improbi, sed callide improbi, non qualis fuit L. Tibullus, sed qualis Q. Pompeius, & qualis P. Sextilius Rufus. *Nemo nostrum negabat*] In vetere libro: Nemo nostrum credebat. *Addebat se etiã in legem Voconiam iuratũ*] Quã tulit Q. Voconius Tribunus pl. an. vr. 584. Cœpione, & Philippo cos. N. quis census virginẽ, neve mulierem supra quadrante suorum bonorũ heredem institueret, plusque cuiquam legaret, quam ad heredem, heredesve perueniret, cuius legis Dio lib. 56. Gellius lib. 17. Liuius lib. 41. Cicero sæpe, Iustinianus inst. lib. 1. cap. de lege Falcidia mentionem faciunt. *Plus filiæ dandum*] Alias, Plus Fabiæ. *Vt igitur illis*] A simili. *Idemque erit Epicuro*] Etiam à simili. *Sed finge*] Exemplum rei fictæ, quæ dicitur parabola, cum est secundum verisimilitudinem, ad differentiam legis, seu apologi, qui est præter verisimilitudinẽ. *Vt noster Crassus*] Exemplum rei factæ. *Quam multa vere*] Probatur

quo-

quoque exemplo rei fictæ multa iniuste fieri posse, quæ nemo possit reprehendere. *Vt Sex. Peduceus*] Exemplum rei factæ, & quidem eximiæ probitatis exemplum. *Si scieris, inquit Carneades*] Exemplum quoque rei fictæ. *Transfert idem ad modestiam*] Probatur temperantiam non referri ad voluptatem, à definitione ipsius temperantiæ, quæ quidem est moderatio cupiditatum rationi obediens: ergo nõ refertur ad voluptatem. Ratione autem obedire est pudori consulere: quod non faciet, qui sine teste libidini pareat, sed rationi obediet, qui aliquid per se ipsum flagitiosum vitauerit, etiam si nulla comitetur infamia. *Quid fortes Viri?*] Probatur fortitudinem ad voluptatem nõ referri, exemplo Torquati imperiosi: P. Decij Patris, filij, nepotis: Leonidæ: Epaminondæ: trium aliorum, aut quattuor. *Et Vt A. Varius*. A simili *Quid enim te ipsum dignissimum*] Probatur etiam non referri fortitudinem ad voluptatem per ipsum Torquatum, per patrem eius, per ipsum Ciceronem. *At quam pulchre dicere Videbare*] Fingebatur à Torquato exemplum viri tum beati, tum miseri. *L. Thorius Balbus fuit Lanuuinus*] Adducitur exemplum viri omni exquisita voluptate abundantis. *Hũc Vero beatum oratio quidem Vestra sic cogitat : ego huic quem anteponam*] Legendum est: Oratio quidem vestra sic cogitat ego, &c. *Nec dubitabit isti Vestro beato M. Regulum*] Anteponitur Thorio M Regulus, de quo Gell. lib. 6. cap. 4. *Stuprata per Vim Lucretia*] Eidem Thorio anteponitur Lucretia, de qua vide multa apud Liuium in fine lib. 1. deque Bruto, & Tricipitino Lucretio patre, necnon Collatino coniuge. Vide quoque Valerium lib. 6. cap. 1. *Tenuis L. Virginius*] Similiter anteponitur Virginius, de quo Val. libr. 6. cap. 1. *Quod autem patrocinium*] Ostenditur differentia Epicureorum, & aliorum philosophorum in vsu testium. *Pugnant Stoici*] Conferuntur Epicurei cum Stoicis, & Peripateticis, & ostenditur inter illos differẽtia. *Illius tabula, quam Cleanthes*] Hac tabula significabatur imperium voluptatis. *At negat Epicurus*] Quæritur, qui honeste non viuit, an iucunde possit viuere. Quid affers, cur Thorius Posthumius, cur Chius, cur horum omniũ magister Orata. *Non iucundissime Vixerit:*] Putat Manutius quattuor hic commemorari Epicureos, L. Thoriũ

Balbum Lanuuinum: Posthumium: Curium, de quo legitur apud Pedianum versiculus ille Calui, Et talis Curius pereruditus: & C. Sergium Oratam. Legit igitur Curius, pro, cur chius. In quodam libro veteri legitur, Cur C. Chjnius. *Ipse negat, vt ante dixi*] Argumentum à repugnanti. Nam cum Epicurus negaret luxuriosorum vitam reprehēdendam esse, id repugnabat illi alteri negationi, cum idem negabat, quenquam, qui honeste non viuat, iucunde posse viuere. *Non igitur potestis*] Ab eo, quod fieri non potest, & ab inductione, ꝙ non possit retineri virtus, si ad voluptatē omnia referātur; quoniā nec iustitia retineatur: nec fortitudo: nec tēperantia: nec vlla alia virtus: nec ipsa amicitia, quæ vel virtus est, vel coniūcta cū virtute, vt ait Arist. initio lib. 8. Eth. *Nā nec vir bonus, & iustus*] Probatur nō posse retineri iustitiam, relatis omnibus ad voluptatem. *Quæ dici eadem de ceteris virtutibus*] Quod dictum est de iustitia, ostenditur intelligendum etiam esse de reliquis virtutibus. Dicuntur autem fundamenta virtutum poni in voluptate, tāquam in aqua, id est, in re nequaquam firma. *Quid enim? fortemne possumus*] Probaturne fortitudinem quidem retineri posse, si ipsa referatur ad voluptatem. *Eundem illum Torquatum*] Exemplum eius, qui pugnauit cum Gallo ad Anienem, & primus Torquatus est nominatus à torque detracto ei, quem superauit, & spoliauit. cuius occasione alius Torquatus commemorauit, cuius magnum, & insigne studium extitit erga Ciceronem temporibus illis, quæ nota sunt omnibus, id est, temporibus Catilinariæ coniurationis. *Iam si pudor*] Similiter probatur non posse retineri temperantiam, si referatur ad voluptatem. *Quid illud Torquate*] A turpi, quod pudet dicere in conuentu populi, in iudicio, in senatu, vt omnia referātur ad voluptatem. *Cur? nisi, quod turpis*] Si turpis est oratio, ne inter amicos quidē deberet exerceri. At illud. Ergo hoc. Ab antecedenti. *Indiuidua cum dicitis*] A minori. *Quid, si efficio*] Ostendit se scire, quid sit voluptas, afferens definitionē eius, vt sit iucūdus motus in sensu: & quid velit Torquatus esse voluptatem: vnam scilicet in motu cum aliqua varietate: alteram summam, cum omnis dolor absit. *Dic in quouis conuentu*] Ab absurdo, & repugnanti. *At vero illa*] A dictis Peripateticorum,

rum, & Stoicorum repugnantibus voluptati, quamuis vſurparentur à Torquato. *Quod ſi vultum tibi*] Ab eo, quod non eſt rectum. *Mihi quidem hæ vera videntur*] Quæ ſint veræ opiniones ab adiunctis. *Amicitiæ vero locus*] Probatur amicitiam non habere locum, ſi referatur ad voluptatem. *Quid autem eſt amare?*] Definitur ab Ariſt. lib. 2. Rhet. cap. 4. τὸ φιλεῖν tribus proprietatibus, quarum prima eſt, τὸ βούλεσθαι τινὶ ἃ οἴεται ἀγαθά: ſecunda ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὑτοῦ: tertia, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι. Cicero expreſſit primam proprietatem, quæ eſt, velle bonis aliquem affici quam maximis: & ſecundam, etiamſi ad ſe ex his nihil redeat: & tertiam prætermiſit. *Qui autem eſſe poteris*] Nemo poteſt habere animum amandi, niſi ſit captus amore. Amare autem, & amor coniugata ſunt. *At enim ſequor vtilitatem*] Si amicitia referatur ad vtilitatem, multa eueniēt abſurda, & repugnantia. *Vadem te ad mortem*] Nota ſunt, quæ feruntur de Damoni, & Pythia: de Pylade, & Oreſte: ad quæ duo paria amicorum additum eſt tertium Therei, & Pirithoi. *Faceres tu quidem Torquate*] Natura Torquati repugnat ipſius diſciplinæ. *Ratio iſta, quam defendis*] Repugnāt inter ſe laudare amicitiam, & euertere. *At coluit ipſe amicitias*] Ingenium Epicuri repugnabat moribus. *Sit iſta*] Notatur Græcorum peruerſitas. *Sed quamuis comis*] Epicurus fuit comis, non acutus. *At multis ſe probauit*] Reprehenditur teſtimonium multitudinis: & omni optimum dicitur eſſe rariſſimum. Oratores autem quandoque argumentantur à raro, quandoque à multo, & copioſo. verba Ariſtotelis ſunt de maiori, & minori bono, lib. 1. Rhet. cap. 7. καὶ τὸ σπανιώτερον τοῦ ἀφθόνου. οἷον χρυσὸς σιδήρου, ἀχρηστότερος ὤν. μείζων γὰρ ἡ κτῆσις διὰ τὸ χαλεπώτερον εἶναι. ἄλλον δὲ τρόπον τὸ ἄφθονον τοῦ σπανίου, ὅτι ἡ χρῆσις ὑπερέχει. τὸ γὰρ πολλάκις τοῦ ὀλιγάκις ὑπερέχει. ὅθεν λέγεται, ἄριστον μὲν ὕδωρ. *Ac mihi quidem*] Probatur maiorem eſſe vim honeſtatis, quam voluptatis ab exemplo Epicuri, & quorundam Epicureorum. *Atque vt ceteri*] A differentia. *E quibus vnum mihi videbar*] Dictum Epicuri, Amicitiam à voluptate non poſſe diuelli, adhuc reprehenſum eſt. *Attuliſti aliud humanius*] Dictum quorundam Epicureorum, amicitiam primum expeti vtilitatis cauſſa, deinde amari propter ſe, vſurpatur

contra ipsum Epicurum, quod aliquando possit recte fieri, vt amicitia exerceatur, nulla expectata, nec quæsita voluptate. *Posuisti autem dicere alios*] Dictum aliorum, fœdus quoddam facere inter se sapientes, vt quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos, reprehenditur à consequenti, quod si hoc fœdus facere potuerunt, etiam debeat facere illud, vt æquitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant. At falsum est consequens. Ergo & antecedēs. *Licet hic rursus*] Dicta Epicuri de amicitia repugnant ipsius rationi, & sententiæ. *Vtilitatis caussa*] Si amicitia vtilitatis caussa quæreretur, vtiliora essent puteoli; gramina, quā amicus Triarius. Quare essent magis expetenda. At hoc dicere absurdum est Ergo & illud. Sunt autem Puteoli vrbs Campaniæ notissima. *Collige omnia, quæ soletis, præsidium amicorum*] Ostenditur, si spectetur præsidium, posse id etiam parari sine Pyladea amicitia. *At qui cum ioca*] Fructus, qui percipitur ex amicitia, communicādo ioca, & seria, arcana, & occulta omnia, nihil facit ad eam vtilitatem, quam sibi proponebat Epicurus. *Vides igitur*] Conclusio de amicitia contra Epicurū. *Idipsum videamus*] Quæritur, Beate viuere Epicureorum quale sit. *Atque hoc dabitis*] A consequenti, si in voluptate consisteret beatitudo, voluptas esset in libertate sapientis. *Quis enim confidit*] At voluptas non est in libertate sapientis, sed fragilis & caduca. Ergo in voluptate non est posita beatitudo. *Qui autem diffidet*] Argumentatio huiusmodi est: Qui timet, non est beatus. At, qui diffidet perpetuitati bonorum suorum, timet, ne aliquando amissis illis sit miser. Ergo, qui diffidit perpetuitati bonorum suorum, non est beatus, nempe is, qui ponit beatitudinem in fragili, & caduca voluptate. Et est argumentum ab eo, quod adiunctum est voluptati. *Neque enim in aliqua parte*] Aristoteles quoque lib. 1. Ethicorum, cap. 7. in beato requirit vitam perfectam, & scribit vnam beatitudinem non efficere tres: neque vnam diem: sic nec vnam quidem diem, neque paruum tempus reddere beatum, & felicem. *Neque enim potest quisquam*] Idem Arist. eiusdem libri cap. 10. tradit, virum beatum, & felicem non esse varium & mutabilem, vt non facile mutetur ex felicitate in miseriam, nec à quibus-

libet miseriis mutetur, sed tantum à magnis, & multis. *Nã cum semel est suscepta*] A pari, quod tam beata vita est perpetua, quam sapientia effectrix beatæ vitæ. *Neque expectat, Vltimum tempus ætatis : quod Cræso scribit Herodotus præceptum à Solone*] Præcepit Solon ante obitum neminem appellari beatum posse: contra quod præceptum disputauit Aristoteles lib. I. Ethicorum cap. 10. *Etenim, quemadmodum tute dicebas*] Arguitur Epicurus inconstantiæ, & repugnantiæ. *In Voluptate corporis addam, si Vis, animi*] Quod exterum est, id in casu est, & non in potestate sapientis. At quibus rebus efficiuntur voluptates istæ Epicureæ, externę sunt: ergo in casu sunt, & non in potestate sapientis. *Ita sit beata Vita domina Fortuna*] Probat Aristoteles lib. I. Ethicorum cap. 9. felicitatem non esse à Fortuna: primum, quia quod fit à fortuna, est præter intentionem agentis: at felicitas, quæ est nobilissimus effectus, non est præter intẽtionem agentis: ergo non fit à fortuna. Deinde quia, quemadmodum, quæ à natura fiunt, tunc egregie fiunt, cum secundum naturã fiunt, & quæ ab arte, cum secundũ artem: sic, quæ à virtute, cũ secundũ virtutem, & non secundũ fortunã: at felicitas fit à virtute, cũ sit actio virtutis: ergo tunc egregie fit, cũ secũdum virtutẽ fit, & non secundũ fortunã. Præterea quia, ab ignobilissima caussa nobilissimus effectus prouenire nõ potest: at fortuna est ignobilissima caussa, & felicitas est nobilissimus effectus: ergo à fortuna felicitas prouenire non potest. Tum quia actus animi ex virtute est a caussa humana: at felicitas est actus animi ex virtute: ergo est a caussa humana. Tum vero quia ad nullum fortuitum est ordinatum studium: at ad felicitatem est ordinatum studium politicum: ergo felicitas non est fortuita. postremo quia, quod fit a casu, pariter euenit boui, & equo, & puero, & viro: at felicitas pariter non euenit boui, & equo, & puero, & viro, quia bos, & equus, & alia huiusmodi animalia actum ex virtute præstare non possunt, & puer ad agendum ex virtute idoneus non est, licet aliquis puer dicatur felix magis propter spem, quam quod talis reuera sit: ergo felicitas non fit a casu. Hæc quidem Aristoteles de fortuna: sed, si per fortunam intelligamus Deum, vt intellexisse veteres sapientes videntur, quod eleganter pro-

bauit M. Antonius Muretus in primam Catilinariam: felicitas erit etiam à fortuna. Docet enim idem Aristoteles ibidem, si bona minus prętantia proficiscuntur à Deo, multo magis existimandum esse, felicitatem à Deo existere, quæ est optima rerum humanarum: etiam si subiungat, si à Deo non daretur, sed ex virtute, & aliqua disciplina, vel exercitatione proficisceretur, eam profecto ex rebus diuinissimis esse: & rem optimam, tamquam præmium virtuti propositum, & finem: remque diuinam participatione, & similitudine: ac rem beatam adeptione: atque, quod acquiri per disciplinam, vel diligentiam ab omnibus hominibus potest, qui manci non sint ad virtutem adipiscendam, esse à caussa humana: talemque existere felicitatem: ergo esse à caussa humana. *Hæc bene dicuntur*] A repugnantibus, vt aliquis viuat tamquam Gallonius: & loquatur tamquam Pisus Frugi. *Huic ego si negaret*] Quid cōcederetur à Cicerone secuto Socratis auctoritatem, & quid reprobetur, tāquam repugnans. *Naturales diuitias dixit*] Repugnant inter se, dicere naturam paruo esse contentam, & tanti æstimare voluptatem, quanti æstimabant Epicurei. Et dicere non minorem voluptatem percipi ex vilissimis rebus, quā ex preciosissimis, repugnat sensui. & merito adhibetur locus repugnantium, qui inter Topicos valet plurimum ad refutandum, vt tradidit Arist. lib. 2 Rhet. cap. 23. *Qui enim voluptatem ipsam contemnunt*] A differentia, quod aliud conueniat illis, qui voluptatem contemnunt, & aliud illis, quibus voluptas summum est bonum. *Quid de dolore dicemus*?] Non potest esse beata vita in tormentis doloris, quæ repugnant beatitudini. *Ipse enim Metrodorus*] Descriptio viri beati facta à Metrodoro Epicureo, quam reprehendit ab eo, quod fieri non potest, vt exploratum sit, quomodo perpetuo sese habiturum sit corpus, & vt habitet in beata vita summi mali metus. *Traditur, inquit*] Absurdū est velle tradere rationem maximi mali negligendi. *Maximus dolor, inquit*] Reprehenditur ratio Epicurei argumentantis ab eo, quod adiunctum esset maximo dolori, vt scilicet esset breuis. Negatur enim tale adiunctum, & ostenditur summus dolor plures dies manere posse, & menses. Nisi intelligatur absurde is dolor, qui simul atque arripuit, inter-

terficit, quemque nemo timet. Et probatur exemplo Cn. Octauij summum dolorem & sæpe, & diu esse posse. *Quædam alia toleratio*] A differentia tolerationum. *Quamobrē turpe putandum est*] A turpi, quod turpe sit non simpliciter dolere, quod potest quandoque excusari à necessario, sed effeminare dolore. Sic Aristoteles lib. 3. Ethicorum concedit viro forti, vt doleat se mori in mari, vbi non possit vires exercere, & vbi pulchrum non est mori: sed non vt simpliciter doleat se mori, & vt timeat mortem. *Clamore Philoctеteo*] Expresso versibus Accij de Philocteta. *Huic Epicurus*] Probatur esse falsum illud, quod dicebat Epicurus, si grauis dolor, breuis, exemplo Philoctetæ. *Si longus, leuis: dat enim interualla, & relaxat*] Reprehenditur quoque illud adiunctum longo dolori, vt sit leuis: primum quia id non fiat sæpe, & sic non sit verisimile: deinde quia in longo dolore nulla sit relaxatio propter præteriti doloris memoriam recentem, & futuri, atque impendentis timorem. *Moriatur, inquit*] Quamuis mori possit esse aliquo modo optimum illi, qui in summo dolore versetur: tamen suadere mortem potest videri facinus, cū nemini liceat se ipsum interficere. *Potius ergo*] A meliori dicto. *Nam ista vestra*] Epicureorum illa dictata sunt, si grauis, breuis: si longus, leuis: sed ostenditur repugnantia dictorum, & factorum in Epicuro. EPICVRVS HERMACHO] Hanc epistolam Diogenes Laertius vult esse scriptam ad Idomeneū, vt patet in Epicuri vita. *Non ego iam Epaminondæ, non Leonidæ*] De quibus vide Val. lib. 3. cap. 2. *Veneuntque scripta eius*] In vetere libro: Vincuntur scripta eius. *Sic eiusdem testamentum*] Ostenditur Epicuri testamentum philosophi grauitati, ipsiusque sententiæ, & iudicio repugnare: & est argumētum à repugnantibus, seu à differentia. *In eo libro, quē modo nominaui*] In libro, quem Epicurus inscripserat κύριαι δόξαι. *Mortem nihil ad nos pertinere*] Verba Epicuri perpendit Plutarchus secundo librorum, quos de Homero composuit, & ex Plutarcho Gellius libr. 2. cap. 8. quæ fuerunt hæc, ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς: τὸ δὲ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ: τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Id eiusmodi est*] Opponitur, quod Epicurus non satis plane dixerit, quid esset τὸ διαλυθὲν. *Quæro autem, quid sit*] Putare nihil esse reliqui post mortē,

quod pertineat ad nos, & accurate, diligenterque cauere, & sancire, vt quædam fiant post mortem nostram, inter se pugnant. Disputauit quoque Aristoteles lib. 1. Eth. cap. 11. hanc quæstionem, vtrum res posterorum, & amicorum ad mortuos pertineant: illudque disputatione sua confecit, prosperitates, & aduersitates amicorum aut ad mortuos non pertinere, aut, si pertineant, mortuorum statum non immutare, vt neque efficiant ex felicibus infelices, neque ex infelicibus felices. & cap. 10. tradidit quædam mala, & bona viuentium pertinere ad mortuos, vt etiam ad viuos non sentientes, cuiusmodi sunt honores, & probra filiorũ, & omnino posterorum, tum prosperi, tum aduersi casus. *Quotannis mense Gamelione*] Ianuario Iunoni sacro, quæ præest τοῖς γαμηλίοις, & celebrationibus nuptiarum. *Putare vnum esse cuiusquam diem natalem*] Reprehenditur, quod dixerat Epicurus in testamento suo, vt celebraretur natalis suus: & reprehenditur ab eo, quod fieri nõ potest, primum quia non potest esse dies sæpius, qui semel fuit: deinde quia ne eiusdem modi quidem esse potest, nisi cum multa annorum intercesserint millia, vt omnium siderum eodem, vnde profecta sint, fiat ad vnum tempus reuersio: quã quidem fieri spatio vnius anni magni veteres tradiderunt. Duplex enim est annus, vnus vertens, qui ad Solis cursum accommodatus est, tempus scilicet à Calendis Ianuarij, vel à quolibet alio mensis die ad easdem Calendas, vel alium quemlibet diem: qua significatione Iuuenalis Saty. 7. dixit, Et cum se verterit annus: & Suetonius scripsit Caligulam immensas opes non toto vertente anno absumpsisse, quod est non expleto spatio vnius anni solaris: alter magnus, vel maximus, quem Solis, & Lunæ, vagarumque stellarum orbes conficiunt: cum scilicet ad idem signum, vbi quondam simul fuerunt, vna referũtur: cuius anni summa hyems est κατακλυσμὸς, nostri diluuium vocãt: æstas vero πύρωσις κόσμου, id est incendium, seu conflagratio mundi. His enim alternis temporibus mũdus tum ignescere, tum exaquescere videtur. Hunc annum Aristarchus putauit esse annorum vertentium duorum millium quadringentorum octoginta quatuor: Aretes Dyrrachinus quinq; millium quadringentorum quinquaginta duorum: Heraclitus, & Linus decem

rem millium octingentorum: Dion decem millium nongentorum octoginnta quatuor: Macrobius quindecim millium: Plato quadraginta nouem millium. Quam varietatem obseruans Cicero nihil definite dixit de hoc anno magno, sed tantum: cum multa annorum intercesserint millia. & in somnio Scipionis: in quo vix audeo dicere quã multa hominum secula contineantur. *Sed vt sit*] Cauere testamento, vt natalis dies colatur, & putare nihil ad nos post mortem pertinere, repugnantia sunt. *Hæc non erant eius*] Secutus est Democritum Epicurus de innumerabilibus mundis: nihil tamen tale Democritus censuit de natali die: & est argumentum à differentia. *Quod si dies*] A consequenti: si dies fuit notandus, is potius erat notandus, quo sapiẽs factus est, quam quo natus. At non est notatus is, quo sapiẽs factus est. Ergo ne is quidem notari debebat, quo natus est. *Non potuit, inquies*] Si notandus fuisset dies, quo natus est, quia sic potuit fieri sapiens, etiam notandus erat dies, quo anima eius nata est, propter eãdem caussam. *Res tota, Torquate*] Ab eo, quod repugnat hominũ doctrinæ. *Quos quidem dies*] Ab eo, quod magis conueniebat. *Qui in summo malo est*] A consequenti: Si dolor esset summum malum, sapiens, cum in dolore est, beatus non esset: At sapiens semper est beatus, etiam cum in dolore est: Ergo dolor non est summũ malum. *Iam illud, quale tandem est*] Dicebat Epicurus, Bona præterita non effluere sapienti: mala meminisse non oportere. Reprehenditur secundum dictum ab eo, quod fieri non potest. quod probatur auctoritate Themistoclis: & vocatur imperiũ Epicuri Manlianum, aut etiã maius, dum imperatur, quod fieri non potest. Notum est de Manlio, qui bello aduersus Latinos cum esset Consul, filiũ suum securi percussit, quia speculatum ab eo missus, ne pugnaret interdicto, hostem, à quo prouocatus fuerat, occidisset, vnde imperia aspera, & immitia Manliana dicta sũt. Gell. lib. 9. cap. 13. *Quid si etiam iucunda*] Ab antecedenti, si etiam iucunda memoria est præteritorum malorum, inutile est præceptum, quod mala meminisse non oportet. At, quod primum, est. Quod sequitur igitur. Probatur assumptio duobus prouerbiis, quorum alterum est, Iucundi acti labores: alterum Euripidis. Aristoteles quoque libr. 1. Rhet.

cap.11.vbi agit de rebus iucundis, ostendit mala quandoq; preterita delectare: & citat illud, ἀλλ' ἡδύ τι σωθέντα μεμνῆσθαι
» πόνων. Verum delectat saluum meminisse laborum. & illud ex lib.15. Odysseæ, Τέρπεται ἀνὴρ μνήμενος ὅστις πολλὰ πάθοι, καὶ
» πολλὰ ἐόργοι. Nam delectatur, memor est quicunque dolo-
» rum. Cum res est multas passus multasque peregit. *Sed ad bona præterita redeamus*] Reprehenditur primum dictum Epicuri, Bona scilicet præterita non effluere sapienti: & reprehenditur sic: Si bona præterita essent vere bona, probādum esset, quod Epicurus de iis dicebat. At non sunt vere bona, nempe voluptates corpore perceptæ. Atque inter præterita vere bona commemorantur trophæa C. Marij. Et dicitur intelligi ab Epicureis voluptates corpore perceptas: alioqui falsum existere, quod ipsi dicebant, omnes animi voluptates esse è corporis societate. *Non intelligo, cur Aristoteles*] Deridebat Aristoteles Sardanapali epigramma gloriantis se omnes secum libidinum voluptates abstulisse: & argumentabatur ab eo, quod fieri non potest nā, quod fluxum est, permanere non potest. At voluptas corporis fluxa est. Ergo permanere non potest *Itaque beatior Africanus*] A differentia inter Africanum, & Torquatū Epicureum. *Namque tibi monumenta*] Sunt, qui legāt, Munimenta. *Illud autem ipsum*] Si multa sunt, quæ per se, & sua sponte delectant, non sunt referenda omnia ad corpus. At, quod primum, est. Quod sequitur igitur. Ab antecedenti. *Qui probari potest*] Ab eo, quod non est probabile. *Sed dum efficere vultis*] A contrariis, Si sapiēs animi voluptates percipiat omnibus partibus maiores, quam corporis: animi quoque dolores percipiet omnibus partibus maiores, quā corporis. Itaque sequetur absurdum, vt sit aliquando miser. *Voluptatem bestiis*] Probat Aristoteles lib.1. Ethicorum, felicitatem non esse positam in voluptate: quia, quod homini commune est cum bestiis, non debet felicitas hominis existimari. At voluptas est homini communis cum bestiis. Ergo non debet felicitas hominis existimari. *Quid si etiam bestiæ*] A minori. Bestiæ quandoque non habēt propositam voluptatem. Ergo multo minus debēt habere homines. *Nos vero siquidem*] A consequenti, si in voluptate essent omnia, longe, multumque superaremur à bestiis. At non

non ſuperamur. Ergo in voluptate nō ſunt omnia. *Nec tamen ullo modo*] A differentia. *Quid enim tanto*] A conſequēti, Si omnia referrentur ad voluptatem, non eſſet opus tāto inſtrumento in optimis artibus comparandis, non tanto concurſu optimorum ſtudiorum, non tanto virtutum comitatu. At eſt opus. Ergo non referuntur. *Vt ſi Xerxes*] A ſimili. *Ad altiora quædam*] Probatur, homines ad altiora quædam, & magnificentiora natos eſſe, à partibus tum animi, tum corporis. *Quid ſi in ipſo corpore*] A minori, Si in corpore, multo magis in animo. *Quod ſi eſſet*] A conſequēti, ſi eſſet in voluptate ſummum bonū, optabile eſſet, maxima in voluptate perpetuo verſari. At hoc non eſt. Ergo ne illud quidem. *Cyrenaici quidem*] A differentia Cyrenaicorum, & Epicureorum. Cyrenaicorum autem philoſophia ab Ariſtippo Cyrenæo manauit. *Sed Phidiam*] Si Phidias, Polycletus, Zeuxis ad voluptatem ſuas artes non direxerunt: quanto minus debet id facere ciuis excellens? quod argumentum eſt à maiori. Vel ſi opifex aliquid ſibi proponit pręter voluptatem ad formatum pulchritudinem: quāto magis debet id facere ciuis excellens ad factorum pulchritudinem? quod argumentum eſt à minori. *Quæ autem eſt alia cauſſa*] A cauſſa erroris. *Quæro enim ex te*] A conſequenti, ſi beatitudo eſſet in voluptate corporis, dij non eſſent beati. At dij ſunt beati. Ergo beatitudo non eſt in voluptate corporis. *Aut ſi ſine eo genere voluptatis*] Ab antecedenti, ſi dei ſunt beati ſine voluptate corporis, idem eſt dicendum de ſapiente. At ſunt. Ergo dicendum. *Lege laudationes Torquate*] A conſequenti, Si omnia eſſent referēda ad voluptatem, laudationes ſumerentur nonnunquam ex eo, quod aliquis extitiſſet artifex callidus comparandarum voluptatum: itidemque elogia monumentorum. At hoc non eſt. Ergo ne illud quidem. *Nonne videmus*] Si omnia referrentur ad voluptatem, tollerentur vincula concordię, beneficium, & gratia. Probatur conſequentia, à differentia beneficij, & fœnerationis, & à proprietate gratiæ, vt non detur propter vllam vtilitatem tribuentis. Explicat Ariſtoteles lib. 2. Rhet. cap. 7. naturam gratiæ his proprietatibus: primum, vt detur indigenti: non enim gratia eſt, niſi cum in aliquo indigentem beneficium cōfertur: dein-

de, vt non detur pro re aliqua, & loco remunerationis: prę-terea, vt non idcirco detur, quo ei, qui tribuit, aliquid suppetat, isque aliquam vtilitatem consequatur: postremo, vt detur solo animo benefaciendi. *Maximas vero virtutes*] Si voluptas dominaretur, maximæ virtutes iacerent omnes. *Ac ne plura complectar*] Concluditur, bene laudatam virtutem voluptatis aditum intercludere, exẽplo ipsius Torquati, & Herculis. *Sic enim maiores nostri*] A nomine ærumnarum.

XII.

QVæ cum dixissem] Cum quatuor sint munera perorationis, bene cõstituere auditorem, seu lectorem, amplificare, mouere, memoriam renouare, hoc in loco bene constituitur auditor, & lector à modestia Torquati. *Credo Syronem*] Amplificatur laus Syronis, & Polydemi, Epicureorum, dum vocantur optimi viri, & doctissimi homines. *Age sane inquam*] Mouetur à Cicerone amor Triarij, dum dicitur æquius fuisse eum de tali dissensione iudicare: & à Torquato quodammodo ira eiusdem Triarij, dum reiicitur eius iudicium, ita vt profiteatur, se velle audacius agere posthac ea de re. *Quæ cum essent dicta*] Quartum munus perorationis est renouare memoriam eorum, quæ fuerint confirmata: quæ memoriæ renouatio, seu repetitio in hac peroratione necessaria visa non est. Itaque sine ea finis libro impositus est.

EXPLICATA ratione tractandarum quæstionum infinitarum, quæ sunt cognitionis, propositamque habent scientiam: consequens est, vt videamus, quomodo quæstiones infinitæ, quæ sunt actionis, propositumque habent cõsilium, sint pertractandæ. Sumamus autem exemplum à Cicerone in Lælio, seu de amicitia.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS QVARTVS

IN CICERONIS LÆLIVM, SEV DE AMICITIA.

I.



VA de re agatur, cõstat ex libri inſcriptione. Quæ vero inſunt in amicitia, ſunt quatuor cauſſæ, tum forma eius, ſcilicet amor mutuus, apertus, & confirmatus: tum materia, nempe proborum hominum: tum efficiens, nimirum probitatis cognitio: tũ finis, id eſt, honeſtæ vitæ coniunctio: de quibus plura Franciſcus Piccolomineus in philoſophia de moribus.

II.

GEnus quæſtionis eſt non definitum, ſed infinitum: nõ cognitionis, ſed actionis: Quibus officiis amicitia colenda ſit.

III.

COntrouerſia eſt multiplex: Quid ſit amicitia: Quanta ſit: An ſit ab vtilitate, an ab honeſtate, an à voluptate: Qualis ſit ex multorum opinionibus, & qualia officia ei conueniant.

IIII.

DVcuntur argumenta à locis Topicis, vt inferius apparebit.

V. VI.

EX doctrina Ciceronis in Partitionibus Oratoriis nec mores, nec affectus quæſtionibus infinitis conueniũt: poſſunt tamen conuenire, quatenus tractantur per dialogum, & per introductionem perſonarum, in quibus debet ſeruari decorum elocutionis ex moribus, & ex affectibus.

VII.

ELocutio ſcriptionis debet eſſe exactiſſima, vt tradit Ariſt. lib. 3. Rhetoricæ, qualem ſine dubio adhibet Cicero in omnibus ſcriptionibus ſuis. Cumque duplex ſit ratio orationis, vt docet Cic. lib. 1. Officiorum, vna, in qua eſt ſermo circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiariũ accommodatus: altera, in qua eſt contentio diſceptationum, quæ fiunt in iudiciis, concionibus, ſenatu, propria: ſeruatur dicendi genus ſermonibus congruens, tenue, acutum, omniá docens, & dilucidiora, non ampliora faciens, ſubtili quadam, & preſſa oratione limatum.

VIII.

IN hoc libro quatuor partes ſunt collocatæ, prooemiũ, propoſitio, fides, epilogus.

IX.

CVm duo ſint munera prooemiorum, parare animos auditorum, vel lectorum, & indicare finem, cuius gratia oratio inſtituta eſt, in prooemio huius dialogi primum parantur animi, exprimendo occaſionem talis dialogi, oſtendendo, qualis ſit hic dialogus, aperiendo commoditatem dialogorum: deinde indicatur finis huius ipſius dialogi, vt per interrogationem C. Fannij, & Q. Mutij, generorũ C. Lælij, & per reſponſionem ipſius C. Lælij poſt mortem Africani de amicitia diſputetur. *Q. Mutius Augur Scæuola*] Exprimitur occaſio dialogi, quod operã dedit Cicero Scæuolæ Auguri, vt ab eo diſceret ius ciuile: & poſt mortẽ Auguris etiam Scæuolæ Pontifici. Cum eſſet apud Augurem, ſermo eſt iniectus de P. Sulpitio, & Q. Pompeio, qui cum fuiſſent amiciſſimi, tamen poſtea capitali odio ſe inuicem proſecuti ſunt. hic eſt ille Pompeius, qui pollicitus erat Scipioni ſe pro Lælio prenſaturum, & pro ſe prenſauit, factuſque eſt Conſul an. ab v. c. 612. homo per ſe cognitus, nulla commendatione maiorum. De ea re, quod amici facti eſſent inimici, magna erat hominum admiratio, & querela. Itaque hac occaſione Scæuola narrauit Ciceroni ſermonẽ habitum à ſocero ſuo Lælio de Amicitia: & Cicero expoſuit in hoc libro ad T. Pomponium Atticum miſſo. *Cuius diſputationis ſententias*] Hic dialogus non eſt totus πρακτικὸς, καὶ δραματικὸς, ſcilicet actiuus: nec totus ἀπαγγελτικὸς, id eſt,

narra-

narratiuus, sed in proœmio narratiuus: in propositione, & fide, & epilogo actiuus: vt etiam Cato maior de senectute: in quibus dialogis seruatum est decorũ personarum, vt senex de senectute, & is, cuius amicitia fuisset memorabilis, de amicitia disputaret. *Genus autem hoc sermonum*] Dialogus hominum veterum auctoritate valentium, & eorum illustrium habet plus grauitatis. Alibi exposui quatuor alias dialogorum commoditates ex Marsilio Ficino, Platonis explicatore clarissimo. *C. Fannius, & Q. Mutius*] Hic indicatur finis dialogi.

X.

S*Vnt ista vera Læli*] Vt progressio fiat ad propositionem huius dialogi, quædam prius dicuntur, & primum, quẽadmodum nec melior fuit vir quisquam Africano, nec clarior, sic omnium oculos in Lælium esse coniectos propter eius sapientiã. Habiti sunt sapiẽtes apud veteres, Cepheus Mauritaniæ Rex cum Cassiopea vxore, Andromeda filia, Perseo genero suo, Prometheus apud Assyrios, Atlas Mauritaniæ Rex, Vlysses, Nestor, Cleobolus, Chilo, Periander, Pittacus, Solõ, Bias, Thales, Socrates apud Græcos, Acilius, Cato, Lęlius apud Romanos. *Itaque ex me quærunt, credo ex hoc item Scæuola*] Agitur de quibusdam, qui mortẽ suorum forti animo tulerunt. & primo loco, cum mortuus esset Africanus Minor, & non affuisset Lælius in hortis Bruti, vt solebat, atque hoc modo visus esset mœrore cõfectus: id mirantibus multis, Scæuola gener, qui animaduerterat eum tulisse moderate dolorem, quem acceperat tum summi viri, tum amantissimi morte, respondit valetudinem caussam, non mœstitiam fuisse: quod responsum confirmat Lælius ea ratione, quia nec ab officio, quod semper vsurpauit, cum valeret, abduci incommodo suo debuit: nec vllo casu arbitrabatur hoc constanti animo posse contingere, vt vlla intermissio fieret officij. *Tu autem Fanni*] Secundo loco præfert sibi Catonem in laude sapientiæ, eum, qui Censorius est dictus, & optimus Imperator, optimus Senator, optimus Orator habitus est, ac quater, & quadragies accusatus, atque absolutus. auctor Plinius libr. 7. cap. 27. mortemque filij sui æquo animo, sapienterque tulit. vt legitur etiam in Catone. *Meminerant Paullum, Viderant*

Caium] Tertio loco præfert eundem Catonem in dolore tolerãdo L. Aemilio Paullo, & C. Sulpitio Gallo: quorũ alter ex quattuor filiis duos iure adoptionis in Corneliam, Fabiamque gentem tralatos sibi ipse denegauit: duos morte præreptos septẽ dierum spatio amisit: nempe illum, qui triumphum patris funere suo quartũ ante diem præcessit: & illum, qui in triumphali curru conspectus post diem tertium expirauit. Quamobrem in oratione de rebus à se gestis ad populum his verbis vsus est: Cum in maximo prouẽtu felicitatis vestrę, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Iouem opt. max. Iunonemque Reginam, & Mineruam precatus sum, vt si aduersi quid populo Rom. immineret, totum in meam domum conuerteretur. Quapropter bene habet se res: annuendo enim votis meis id egerunt, vt vos potius meum casum doleatis, quam ego vestrum ingemiscerem: Alter vero in consulatu suo deuicit Ligures an. vr. 587. & in morte filij fortissimum se ostendit. Hos, & alios multos commemorabat Cicero in libello de consolatione, vt testatur D. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: quẽ libellum superioribus proximis annis frustra simulauit amens quidam, vt ego ostendi contra Carolum Sigoniũ. *Quamobrẽ caue Catoni anteponas*] Quarto dicit, ne Socratem quidem Catoni fuisse anteponendum, quod illius dicta: huius facta laudentur. *De me autem, vt iam cum vtroque loquar*] Hic agitur de consolatione Lælij in obitu Scipionis: Consolatur enim se Lælius, quod nihil mali accidisse Scipioni putet, etiam si, quidquid accidit, sibi acciderit. In 3. Tusc. traditum est, primam consolandi medicinam esse docere nullum malum accidisse: alteram agere de communi conditione vitæ: tertiam ostendere summam esse stultitiam, si dolore conficiamur, vbi proficere nihil possimus. Considerat autem in Scipione tria, tum felicitatem viuendi, tum felicitatem moriendi, tum conditionem post mortem. *Cum illo vero*] Primo loco considerat felicitatem viuendi in Scipione. *Qui summam spem ciuium*] Hæc est magna laus, agere supra ætatem, & supra opinionem omnium: vt docet Arist. lib. I. Rhet. *Qui consulatum petijt nũquam factus est consul bis: primum ante tempus: iterum sibi suo tempore, Reip. pene sero*] Populus Rom. cum res reminisce-

nisceretur eas, quas Scipio Legatus in Hispania, & Tribunus in Africa administrasset: in spem maximam veniebat posse se bellum Punicum per illum conficere: illum, dum peteret ædilitatem, non ædilem, sed Consulem creauit, an. ætatis 38. id est, quinque annis ante legitimum tẽpus. Rursus, cum suffragator Q. Fabij Max. in campum descendisset, factus est Consul. *Qui duabus Vrbibus euersis*] Carthagine, & Numantia. *Quid dicam de moribus*] Optimi, & suauissimi mores reddebant Scipionem omnibus amabilem, atque admirabilem. *Quid igitur hunc*] Considerat secundo loco felicitatem moriendi, ex eo, quod mortuus sit, priusquam molestiam senectutis experiretur, quæ aufert eam viriditatem, in qua erat Scipio: & celeriter mortuus sit, maximo cum honore domum reductus pridie quam excessit è vita. Cum enim ætas Scipionis vt dicitur in somnio eius, septenos octies solis anfractus, reditusque conuertisset, id est, sex & quinquaginta annos confecisset, domi suæ mortuus est inuentus. Ab eo Itali contra legem Semproniam patrocinium petiuerãt: & ipse agens hanc caussam clamoribus, & sibilis lacessitus ita dixit: Me hostium vociferatio nunquam perturbauit: multo minus aduersa eorum hominum acclamatio, quibus Italiam scio nouercam esse, nõ matrem: & dicentibus, tyrannum tollendum esse, respondit: Præclare patriæ oppugnatores me ante de medio tollere cupiunt, quod nec Scipione viuente Romam interiturã: nec Roma intereunte Scipionem victurum esse confidant. Cum autem fortis, ac validus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inuẽtus est: suspectaq; fuit, tamquam venenum ei dedisset, Sempronia vxor, hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, quibuscum simultas Africano fuerat. *Neque enim assentior ijs*] Considerat tertio loco conditionem post mortem: siue animus sit immortalis, vt probatur auctoritate antiquitatis, Pythagoreorum, Socratis, Scipionis: siue sit mortalis, vt putarunt Epicurus, Dicæarchus, Stoici. Iam, si animus est immortalis, mors est bonũ. Probatur antecedens auctoritate omnis antiquitatis quã quidem censuisse in morte esse sensum, neque excessu vitæ sic deleri hominem, vt funditus interiret, è Pontificio iure, & ceremoniis sepulcrorum probatum est: & ex hac opinio-

ne multos consecratos fuisse, dictum est in prima Tuscu-lana. Praeterea auctoritate Pythagoreorum tradit Cicero in eadem Tusculana, primum Pherecidem Syrum dixisse animos hominum esse sempiternos: eamque opinionem discipulum eius Pythagoram maxime confirmasse: & Architam, Timaeumque atque alios omnes Pythagoreos idē sensisse: sed rationē sententiae suae non fere reddidisse: primum autem Platonem de animorum aeternitate nō solum sensisse idem, quod Pythagoras, sed rationes etiam attulisse. Inde auctoritate Socratis, quem secutus est Plato. Postremo auctoritate Scipionis, cū disputaret de Rep. cuius sententia à Cicerone elegantissime expressa est in somnio Scipionis, quod est fragmentum libri sexti de Repub. Consequentiam tamen reprehendit Lactantius lib. 3. quia nullū discrimen esset virtutis, & sceleris, si nihil interesset, vtrumne Aristides sit aliquis, an Phalaris, vtrum Cato, an Catilina. Si vero animus est mortalis, mors non est malum, dum nihil sentitur post mortem. *Mecum autem incommodius, quem fuit aequius*] Dicit fuisse aequius se mori, quam Scipionem: dicit, se frui recordatione amicitiae, quam exercuit cum Scipione: dicit denique se delectari non tam fama sapientiae, quam spe illa, vt memoria amicitiae suae sit sempiterna, ita vt, cum vix tria, aut quattuor nominentur paria amicorum, amicitia Scipionis, & Laelij in eodem genere ponatur. Nota illa sunt, Theseus, & Pirythous: Damon, & Pythias: Orestes, & Pylades. Plutarchus addit Achillem, & Patroclum: Epaminondam, & Pelopidam. FAN. *Istud quidem, Laeli*] Fannius, & Scaeuola generi petunt à Laelio socero, vt de amicitia disputet, quid sentiat: qualem existimet: quae praecepta det. LAEL. *Ego vero non grauarer*] Laelius modeste agit de se ipsō, negans, se posse efficere, quod doctores Graeci, vt Gorgias, & alij consueuerunt, vt de qualibet re proposita disputarent: tamen hortatur eos, vt amicitiam omnibus rebus humanis anteponant, quod nihil sit tam naturae aptum, tam conueniens ad res vel secundas, vel aduersas, quam est ipsa amicitia. Eandem laudabat Aristoteles lib. 8. Eth. cap. 1. primum quia est virtus, aut coniuncta cum virtute: deinde quia est necessaria tū in rebus prosperis ad beneficium conferendum, tum in aduersis ad bene-

nefi-

neficium accipiendum, tum in iuuentute ad correctionem morum, tum in senectute ad obsequium habendum, & defectum actionum supplendum, tum in virili ætate ad honestas actiones exercendas: præterea quia est quiddam sociale, & familiare inter natos, & parentes naturaliter, non solum inter homines, verum etiam inter aues, & animalia ratione carentia, maxime vero inter homines, quos appellamus φιλανθρώπυς, & amatores hominum, quorumq; peregrinatio vim amicitiæ declarat: tum quia continet ciuitates; & idcirco à legumlatoribus maxime procuratur: tũ vero quia magis conseruat ciuitates, quam iustitia: nam si amicitia adest, & æqualitas inter amicos, iustitiæ legibus opus non est ad ciuitates conseruandas: si vero adest iustitia, ita vt suum cuique tribuatur in ciuitate, opus tamẽ est amicitia: denique quia est vna quædam ex rebus honestis, & præclaris.

XI. QVID SIT AMICITIA.

Sed hoc primum sentio] Quæritur, quid sit amicitia: cuius natura quambreuissime explicanda est primum ex doctrina Platonis: deinde ex mente Aristotelis: postremo ex sententia Ciceronis sub persona Lælij hoc in loco. Ac apud Platonem quidem duplex est amicitia: vna sine cognitione, & est coniunctio rerum ex conueniẽtia naturæ: vocaturq; Physica sympatheia, cui contraria est antipatheia: altera cũ cognitione, & est propria hominum, definiturque ex Lyside, & ex libris de Legibus, vt sit communio honesta voluntatis perpetuæ, cuius principium est conuenientia, finis vita vna, medium amor. Ponitur loco generis communio, quæ significat beneuolentiæ vicissitudinem. Non enim amicitię genus est virtus. nam licet apud Arist. libr. 2. Ethicorum cap. 7. enumeretur inter virtutes, cuius extremi sunt, qui exuperat, ἄρεσκος, καὶ κόλαξ, obsequiosus, & assentator, cum hac distinctione, quod obsequẽs iuuandus est nullius rei caussa, assentator vero propter lucrũ: qui deficit, δυσχερής, καὶ δύσκολος, litigiosus, & morosus: tamen lib. 4. cap. 6. dicitur differre à virtute innominata amandi, quia amicitia posita est in affectu: at virtus amandi in habitu. illa est inter notos, & familiares: hæc inter notos, & ignotos, inter fa-

miliares, & non familiares. libr. autem 8. cap. 1. dicitur esse virtus quædam, aut coniuncta cum virtute, nam aut spectatur in nobis, aut in aliis. Si in nobis, aut tamquam affectus, & non est virtus: aut tamquam habitus, & est virtus. Si in aliis, est bonum externum, coniunctum nihilominus cũ virtute, si loquamur de vera amicitia. Nec genus amicitiæ videtur esse similitudo, de qua agitur eodem cap. 1. nã tametsi quidam morales dixerunt, pares cum paribus veteri prouerbio facillime congregari: & quidam naturales, vt Empedocles, & alij affirmarunt simile appetere simile: tamen alij morales putarunt amicitiam esse potius dissimilitudinem, quia similes se odio habeãt, vnde apud Hesiodũ,

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

& alij naturales idem existimarũt, & Euripides dixit *γαῖαν ξηρανθεῖσαν ἐρᾶν ὄμβρον*: & Heraclitus, *τὸ ἀντίξουν συμφέρον*, & *καλλίστην ἁρμονίαν ἐκ τῶν διαφερόντων, καὶ πάντα κατ' ἔριν γίνεσθαι*. Sed respõsum est ad morales lib. 2. Rhet. c. 4. Similitudinem quidem per se esse caussam amoris: at per accidens odij, vt propter lucrũ, vel gloriam: & ad naturales lib. 8. Ethicorum cap. 8. Simile quidẽ appetere simile per se, sed quandoque contrarium appetere contrarium per accidens, vt scilicet ad mediocritatem perducatur. Itaque terra arida amat pluuiam, vt ad medium perueniat humidi participatione. In hac autem opinionum varietate ponitur loco generis communio, cum in amicitia requiratur beneuolẽtiæ vicissitudo. Dicitur honesta ad excludenda cõtubernia improborum, & congressus luxuriosorum, & ad excludendũ amabile vtile, & amabile iucundum, cum solum amabile honestum conueniat veræ amicitiæ. duplex enim est amicitia, vna vera, altera adumbrata. vera est propter solam honestatem: adumbrata est propter vtilitatẽ, vel propter voluptatem. prima conuenit virtute præditis: altera vel auaris vel luxuriosis. prima rara, vnde illud, Multos modios salis semel edendos, vt inuicem se norint: altera frequens. Dicitur voluntatis, vt significetur, non satis esse ad amicitiam perficiendam aliquam similitudinem opinionis, vel artis, vel aliarum rerum: sed requiri similitudinem voluntatis. vnde apud Salustium, Idem velle, & idem nolle ea demum

firma

firma amicitia est. Dicitur perpetuæ ad excludendas leues beneuolentias adolescentulorum, & ad distinguendam amicitiam à dilectione. Dicitur, cuius principium est conuenientia, quæ est natura quędam in pluribus eadem: & quodammodo cogit amare: & facit, vt amatus redamet amantem, tamquam sibi deditum, & tamquam rem suam: atque vt amatus se recognoscat in amante, tamquam in speculo, cum amatus sit sculptus in corde amantis. Dicitur, cuius finis est vna vita, nimirum vt ex duobus animis vnus animus fiat per vnam voluntatem, & ex vna voluntate vna vita, & ex vna vita vnius numinis, & eiusdem ideæ fruitio. Dicitur, cuius medium est amor. nam amicitia per amorem iungitur: & amor est desiderium pulchri: & pulchri sunt, quorum animi pulchri, cum homo sit animus. Quare qui amat animum, amat hominem: qui amat corpus, non amat hominem, sed id, quod hominis est. In primo enim Alcibiade probatur hominem non esse corpus: quia aliud est vtens, & quo vtitur, aliud imperans, & cui imperat. At homo vtitur corpore, & imperat corpori: ergo non est corpus. Marsilius Ficinus in conuiuium Platonis disputat, quod omnia, quę facit homo, facit animus, vt generat, nutrit, auget, currit, stat, sedet, loquitur, artis opera conficit, sentit, intelligit: ergo homo est animus. Idem probat Cicero in prima Tusc. Definitionem autem superius notatam ex doctrina Platonis collegit Marsilius Ficinus in Lysidem, seu de amicitia, nominans cognationem pro conuenientia. Apud Aristotelem vero duobus modis consideratur amicitia, aut communiter accepta, aut vera amicitia. lib. 8. Eth. cap. 2. Cernitur primo modo ex quattuor proprietatibus, vt sit propter aliquod amabile beneuolentia mutua, & aperta. Itaq; primo loco obseruandum est, amabile esse triplex, honestum, iucundum, vtile. vel amabile esse duplex, bonum, & iucundum, cum bonum subdiuidatur, vt sit vel honestum, vel vtile. Et bonum esse vel absolute, vel alicui bonum. Et bonũ esse, aut verum, aut apparens: vt ratione amabilium triplex sit amicitia, vna propter honestatem: altera propter vtilitatem: tertia propter iucunditatem: quam nos modo notabamus esse duplicem, vnam veram, alteram adumbratã, cum per veram intelligeremus honestã, & sub adumbrata

vtilem ac iucũdam comprehenderemus. Secũdo requiri in amicitia, vt amicus bene velit, i. desideret bonũ alteri nõ sui caussa, sed ꝓpter illũ. quæ volũtas nõ est in rebus inanimatis, nec erga res inanimatas, quas integras, & saluas omnes volunt ad vsus suos, vt vinũ, frumentũ, aliaq;. Tertio requiri, vt amet mutuo. nã si quis ita amet, vt non redametur, ea dicitur simpliciter beneuolentia, non amicitia. Quarto requiri, vt amet aperte: multi enim propter bonitatis, vtilitatisque opinionem etiam eos, quos nunquam viderint, quodammodo diligunt: fierique potest, vt eorum aliquis vicissim eodem modo in eum, qui amat, sit animatus: sed, si id occultum sit, beneuolentia est, non amicitia. Præterea vero amicitia cõmuniter accepta spectatur tripliciter, modo inter æquales, modo inter inæquales, modo in vno homine. Ac inter æquales quidem dupliciter, partim ratione amabiliũ, vt vna sit honesta, altera iucunda, tertia vtilis, de quibus lib. 8. cap. 3. & 4. partim ratione amantium, vt vna sit eorum, qui sunt amici animo, & habitu: altera eorum, qui vsu, & actione: de quibus in fine capitis 4. & 5. & 6. Inter inæquales vero etiam dupliciter: partim ratione excellentiæ, & præstantiæ, vt amicitia sit superioris cum inferiori, patris cum filiis, senioris cum iuniori, viri cum vxore, principis cum subditis: inter quas personas debita officia ab vtraque parte sunt præstanda: de quibus in cap. 7. & 8 partim ratione communicationis, vt species amicitiæ sequantur species ciuilis societatis. etenim species ciuilis societatis sunt sex: tres bonæ, Monarchia, Aristocratia, Timocratia: & tres malæ, Tyrannis, Oligarchia, Democratia. Sic totidẽ sunt domesticæ societates, seu amicitiæ: tres bonæ, patris cum filiis, boni mariti cum bona vxore, fratrum inter se: & tres malæ, domini cum seruis, mali mariti cum mala vxore, eorum, qui simul habitant sine domino, vel habent principem imbellem: de quibus a cap. 9. vsque ad 14. Denique cõsideratur amicitia in vno homine dupliciter, vt vna sit secundum consensum appetitus cum ratione: altera secundũ consensum rationis cum appetitu. Appetitiones enim sensuum cum recta ratione consentiunt in viro probo: at ratio paret appetitui in viro improbo. de quibus Franciscus Piccolomineus summus nostrorum temporum philoso-

phus

phus lib. 7. philosophiæ de moribus cap. 18. Atque hæc omnia pertinent ad amicitiam communiter acceptam. Quod si naturam veræ amicitiæ ex doctrina Aristotelis explicare velimus, expressis in definitione quattuor eius caussis, possumus eam definire, quemadmodum collegit idem Piccolomineus eiusdem libri cap. 3. & 4. vt sit amor mutuus, apertus, & confirmatus, proborum hominum, ex probitatis cognitione, ad honestæ vitæ coniunctionem. Patet igitur forma amicitiæ, vt sit amor mutuus, apertus, & confirmatus: patet materia, vt sit proborum hominum: patet efficiens, vt efficiatur ex probitatis cognitione: patet finis, vt propositam habeat honestæ vitæ coniunctionem. Iam accedamus ad explicandam sententiam Ciceronis de Amicitia sub persona Lælij. Aperit enim naturam amicitiæ, vt non nisi in bonis esse possit. *Neque id ad viuum reseco*] Quæritur, qui sint boni. Stoici enim putarunt solum sapientem esse bonum: cum describeretur sapiens stoicus, qui omnem virtutem, omnemque doctrinam haberet, essetque solus Rex, solus dictator, solus diues, solus possessor omnium, solus pulcher, solus liber, solus inuictus. Alij vero putarunt esse bonos, & sapientes, qui excellerent in vsu, vitaque communi, quales fuerunt C. Fabritius, M. Curius, T. Coruncanius. De Fabritio legendus est Gellius libr. 1. cap. 14. De M. Curio Valerius lib. 4. cap. 3. de T. Coruncanio. Florus in epit. 18. *Qui ita se gerunt*] Accipit in secunda significatione bonos. *Sic enim mihi*] Societas est inter homines: maior inter propinquiores: maxima inter amicos. Notum est illud: Oportet hominem ob id ipsum, quod homo est, ab homine non « alienum videri. &, Homo sum: humani à me nihil alienum « puto. & constat maiorem esse societatem inter ciues, quam peregrinos, inter propinquos, quam alienos. Probatur autem esse maximam inter amicos à differentia amicitiæ, & propinquitatis, quod à propinquitate beneuolentia abesse potest: ab amicitia non potest. Beneuolentia vero est vnum de attributis amicitiæ. Tria enim sunt præcipua attributa amicitiæ, tum beneuolentia, vnde lib. 9 Ethicorum cap. 4. definitur amicus, vt sit is, qui velit saluum, & incolumem amicum, eumque manere in vita ipsius caussa. tum beneficentia, vnde colligitur altera definitio eodem cap. vt sit is,

qui velit seruire, ac seruiat commodis amici, aut quæ videantur, illius caussa. tum concordia, vnde definitur, vt sit is, qui vita, victuque communi cum amico coniunctus est, quique eadem studia sequatur, aut qui & rebus aduersis amici doleat, & gaudeat secundis. Quæ tria comprehenduntur à Lælio Ciceroniano in definitione amicitiæ, vt sit cũ beneuolentia, & charitate, id est, amore benefaciẽte, & beneficentia amante, summa consensio omnium diuinarum, humanarumque rerum, id est, summa concordia.

QVANTA SIT AMICITIA.

Q*Va quidem haud scio, an excepta sapientia*] Amicitia est melior diuitiis, bona valetudine, potentia, honoribus, voluptate: quia voluptas conuenit etiam bestiis, vt argumentatur quoque Aristoteles lib. 1. Ethicorũ, vbi probat in voluptate non esse positam propriam hominis felicitatem: illa vero superiora incerta, & caduca sunt, & à fortuna pendentia. Est autem laus comparationis, vnde colligitur argumentum à minori, si illa expetenda sunt, multo magis amicitiam esse expetendam. *Qui autem in virtute*]. Amicitia est maius bonum, quam virtus. nam plura bona sunt maius bonum, quam vnum connumeratum, vt docet Arist. libr. 1. Rhet. cap. 7. & qui dicit amicitiam, dicit simul virtutem: non contra. *Iam virtutem*] Virtus accipi potest duobus modis, vel quæ perfecta sit, vel quæ homini cõuenit. *Hic accipitur secundo modo. Paullos, Catones, Caios, Scipiones, Philos*] Significat Aemilium Paullum, Catonẽ Censorium, C. Sulpitium Gallum, Scipionem minorem, P. Fusium Philum, qui loquebantur in libris Ciceronis de Rep. *Amicitia tantas opportunitates habet*] Quod est vtilius ad multa, maius bonum est: At amicitia est vtilior ad multa, quam cætera præter sapientiam: ergo est maius bonum. Iã ostenditur magnitudo amicitiæ ex magnis opportunitatibus eius. *Principio cui potest*] Primo loco efficit vitam vitalem *Quid dulcius*] Secundo est dulcissima. *Quis esset*] Tertio affert fructum in rebus prosperis. *Aduersas vero*] Quarto affert consolationem in aduersis. *Denique ceteræ res*] Quincto pluribus rebus est opportuna, cum aliæ singulæ fere singulis rebus sint opportunæ. *Neque ego nunc*] Sexto si

non

non sit vulgaris, & mediocris, quæ tamen ipsa delectat, & prodest, sed vera & perfecta, non modo secundas res ornat, & aduersas reddit leuiores, & prælucet in posterũ: sed etiam miracula quædã facit. *Verum etenim amicum*] Notum est illud, quod amicus est alter ipse. *Quocirca & absentes adsunt*] Primum miraculum. *Et egentes abundant*] Secũdum miraculum. *Et imbecilles valent*] Tertium. *Et, quod difficilius est, mortui viuunt*] Quartum. Addendum vero est ex doctrina Platonis, quod qui amat, de se non cogitat: qui de se non cogitat, in se non cogitat: qui in se non cogitat, in se non agit: qui in se non agit, in se non est: qui in se non est, non viuit: qui non viuit, mortuus est: ergo qui amat, mortuus est. Itaque amor est vna mors: & mutuus amor in amicitia est duplex mors. Sed pro vna vel duplici morte habentur duæ, vel quattuor vitæ: nimirum in amore simplici duæ vitæ, dum amans reuiuiscit in amato per ardentem eius cogitationem, & similiter reuiuiscit per sui ipsius in eo recognitionem: in amore autẽ mutuo, & in amicitia quattuor vitæ, prout amicorum vterque duplici fruitur vita. *Quod si exemeris*] Septimo est necessaria ita, vt sine ea cetera bona stare non possint. Quoties autem vnum quidem sine hoc non fit: alterum vero sine hoc fit, maius bonũ est, quod sibi magis sufficit, & minus indiget altero: vt tradit Arist. lib. 1. Rhet. cap. 7. *Id si minus intelligitur*] Probatur necessitas amicitiæ à contrario. *Agrigentinum quidem doctũ quendam virum*] Idem probatur à testimonio Agrigentini Empedoclis, de quo Horatius in Poetica: Dicam, Siculique poetæ narrabo interitum, &c. Melius vero Cicero nominauit doctum virum, quam Horatius poetam. nam ex sentẽtia Aristotelis non fuit poeta. *Itaque si quando aliquod officium*] Affertur exemplum Orestis, & Pyladis ex M. Pacuuio: & argumentum ducitur à minori: si in re ficta, quid in vera?

VNDE SIT AMICITIA,
AB VTILITATE NE,
AN AB HONESTATE,
AN A VOLVPTATE,

H*Actenus mihi videor*] Cum Lælius laudata amicitia vellet finem dicendi facere, rogatus est à Fannio, &

Scæuola, generis suis, vt, quemadmodum in hortis Scipionis, cum de Repub. disputatum est, quam disputationem Cicero in suis de Republ. libris expressit, ipse Lælius vir iustissimus de iustitia disputauit aduersus Philum, qui iustitiam vituperabat: sic vir amicissimus de amicitia ageret. Quibus precibus adductus, cum arbitraretur difficile esse, & iniquum studiis generorum, præsertim in re bona, obsistere, proponit illam quæstionem pertractandam, vtrum amicitia oriatur ab indigentia ratione vtilitatis, an à natura ratione honestatis, an a voluptate, vt putabant Epicurei. *Nam vtilitates quidem*] A consequenti, Si oriretur amicitia ab vtilitate, posset coniungi cum simulatione. At hoc non est. Ergo ne illud quidem. *Quapropter à natura mihi videtur*] Ab antecedenti, Si amicitia conuenit fere omnibus, proficiscitur à natura. At illud est. ergo etiā hoc. *Quod quidem quale sit*] Probatur assumptio, ex bestiis. *Quod in homine*] Ex charitate hominum inter natos, & parentes. libr. 8. Ethicorum cap. 12. probat Aristoteles maiorem esse amorem parentum in filios, quam filiorum in parentes: primum ex possessione, quia parentes amant filios, sicut possidentes res possessas, & filij parentes, sicut res possessæ possidentes: deinde ex scientia, quia parentes magis sciunt suos esse filios, quam contra: præterea ex propensione, quia parentes propendent in filios, & filij exeunt à parentibus, coniunctiorque & copulatior est terminus, qui tendit, quā terminus, in quem tendit: tum ex tempore, quia parentes diligunt prius, filij posterius: denique ex dilectione sui ipsorum, quia parentes amant filios, vt se ipsos, & partem sui ipsorum, filij vero amant parentes, vt alteros. *Deinde cum similis sensus*] Ex coniunctione eorum, qui moribus, & natura congruunt ob lumen virtutis, qua nihil amabilius. Hominem autem homini conciliat ratio, & oratio, natio, & lingua, ciuitas, propinquitas, affinitas, mores similes: vt traditum est lib. 1. Officiorum. *Quippe cum propter virtutem*] Probos amamus etiam, quos nunquam vidimus, vt Fabritium, Curiumque, de quibus supra: & improbos odio habemus, vt Tarquinium Superbum, septimum Regem Romanorū, qui vrbe eiectus est: & Sp. Cassium, qui agro Hernicorum Latinis, & ciuibus largiendo regnum affectare visus

visus est: & Sp. Melium, qui frumento largiendo incidit in regni affectati suspicionē: quibus cū solet coniūgi M. Mālius Capitolinus, qui ære alieno plebē eximebat. *Cū duobus ducib.*] Amarūt Romani virtutē etiā in hoste, vt in Pyrrho: non in Annibale, cuius crudelitatem odio habuerunt. *Quid si tanta vis probitatis est*] A minori. *Quanquam confirmatur amor*] Tametsi confirmatur amor vtilitate: non tamen ab ea oritur amicitia. quod probatur à consequenti. nam si ortus amicitiæ esset ab vtilitate, humilis sane existeret, ac minime generosus. At absurdum est consequens, ergo & antecedēs. Quemadmodum autem hoc in loco traditur tribus rebus confirmari amorem, beneficio accepto, studio, & cōsuetudine adiuncta: ita libr. 8. Ethicorum cap. 5. præcipitur conseruari amicitiam tribus rebus, præsentia, quæ pertinet ad consuetudinem, iucunditate vitæ, quæ pertinet ad studium, vt alter altero studiose delectetur: & redamatione, cuius proprium est beneficium ita collatum in amicum, vt ipsius solius caussa factum esse videatur. *Quod si ita esset*] A consequenti, Si ortus amicitiæ esset ab vtilitate, egentissimi essent aptissimi ad amicitiam. At non sunt, sed potius minime indigentes. quod probatur exemplo Africani, & Lælij. *Vt enim benefici*] A simili. *Ab ijs, qui pecudum ritu*] Epicurei omnia referebant ad voluptatem: & hoc modo etiam amicitiam: qui hoc in loco valde reprehendūtur, quod pecudum ritum sequantur. Sic Arist. lib. 1. Eth. cap. 5. eos, qui ponūt felicitatem in voluptate, ait esse plebeios, & nequissimos homines, mancipiorumque prorsus similes, ac pecudum vitam præeligere, Sardanapalique vestigiis insistere, dum ex tribus vitæ generibus, quæ videntur excellere, voluptario, ciuili, in contemplatione posito, voluptarium potissimum consectantur. *Ipsi autem intelligamus*] Illud disputatione conficitur, à natura oriri amicitiam, facta significatione probitatis, qui ortus est grauior, & verior, & efficit amicitias sempiternas. *Nam si vtilitas*] A consequenti, Si amicitia esset ab vtilitate, & non à natura, esset mutabilis, & nō sempiterna: At non est mutabilis, sed sempiterna: ergo non est ab vtilitate, sed à natura.

DE IMPEDIMENTIS AMICITIAE.

FAN. *Tu vero perge, Lali*] Ad quæstionem, QVALIS SIT AMICITIA, pertinet illud, quod modo dictum est, amicitiam non esse mutabilem, sed sempiternā. quod profecto intelligendum est de vera, & perfecta. Cum enim hæc à natura oriatur, quæ mutari non potest, etiam ipsa est sempiterna. Dum vero agitur de amicitia dissoluēda, agitur de vulgari, & mediocri, quæ dissolui potest multis impedimentis. *Nam vel vt non idem expediret*] Primum impedimentum est ratio vtilitatis, cum aliquid alteri prodest, alteri nocet. *Vel vt de Repub.*] Secundum est dissensio in rebus ciuilibus, qualis fuit inter Cæsarem, & Catonem. *Mutari etiam mores*] Tertium est mutatio morum, vel aduersis rebus, vel ingrauescente ętate. quod probatur exemplo puerorum, qui summos amores suos sæpe cum prætexta, sumpta toga, deponunt. *Sin autem ad adolescentiam*] Quartū est contentio aliqua. *Magna etiam dissidia*] Quinctum est postulatio rei turpis. Hæc autem impedimentorū cōmemoratio reducitur ad locum enumerationis partiū.

QVATENVS AMOR IN AMICITIA PROGREDI DEBEAT.

QVamobrem id primum] Ostenditur, quid facere debeant amici eorum, qui improbi reperiuntur: Sexque exempla perpenduntur, Cariolani, Sp. Cassij, Sp. Melij, T. Gracchi, C. Gracchi, Themistoclis. *Nam si Coriolanus*] Post mortē Superbi cęptæ sunt plebi iniuriæ fieri a primoribus. Quare plebs secessit in montem sacrum: nec reuocari potuit, nisi per apologum Menenij Agrippæ de ventre, & mēbris. Tunc creati Tribuni pl. Eo anno, qui fuit ab vr. c. 260. C. Martius cepit Coriolos, oppidum Latij, vnde Coriolanus est dictus. postea cum magna vis frumēti ex Sicilia aduecta esset, Coriolanus egit in Senatu, ne frumentum plebi concederetur, nisi restituerent iura extorta per secessionē. Accusatus, & damnatus Coriolanus à Volscis exceptus est. Cum oppugnaret patriā an. 268. materna pietate deterritus est, posteaquā ad eum iuit Veturia mater, & Volumnia vxor, & filij Coriolani. auctor Liuius lib. 2. *Num Buscelinū*] Sp. Cassium Buscelinum, qui, quod agrum Hernicorū Latinis, & ciuib. R. largiretur, propter regni suspicionem an.

267.

a67. necatus est. *Num Sp. Melium*] Qui ob affectatum regnum frumento largiendo, an. 314. à C. Seruilio Ahala magistro equitū L. Quinctij Cincinnati occisus est. *Tit. quidē Gracchum*] An. 620. Ti. Gracchus tulit legem, Ne quis ex agro publico plus, quam quingenta iugera possideret: vt dimidium filiis attribueretur: quod reliquum esset, id pauperibus, qui nihil haberent, diuideretur. Cum iterum Tribunus pl. creari vellet, auctore P. Scipione Nasica in Capitolio ab optimatibus occisus est, ictus fragmentis subselliorum. Is derelictus est à Tuberone, non à C. Blossio Cumano. *Perfectà quidem sapientia*] A differentia, Si amici essent sapientes, possent statuere inuicem se omnia facturos: si communes non ita. Primi generis commemorantur Papus Aemilius, & C. Luscinius, qui fuerunt bis vna Consules, an. 471. & 475. & collegæ in censura an 478. & M. Curius, & T. Coruncanius. Secundi generis Tit. Gracchus, C. Carbo, C. Cato, C. Gracchus frater Tiberij. *Hac igitur prima lex in amicitia*] Infra pluribus verbis. *T. Gracchus regnum occupare conatus est*] An. 620. vt supra quoq; notatum est. *Quid in P. Scipionem effecerint*] An. 624. vt supra. *De C. Gracchi autem Tribunatu*] An. 630. Lex T. Gracchi, quod eo occiso contemneretur à fratre eius C. Graccho relata est in Tribunatu: biennioq; post is à L. Opimio cos. interfectus est. *In tabella iam ante quanta sit facta labes*] Leges tabellarias Cicero lib. 3. de Legibus nominat multas, Gabiniā de mādandis magistratibus: Cassiam de populi iudicio: Papiniam de iubendis legibus, & vetandis: Cœliam de Perduellione, quem Cassius in sua lege exceperat: inde multas alias, ne quis inspiceret tabellam, ne rogaret, ne appellaret: Gabinia lata lex est an. vr. 614. Cassia an. 618. Nec multis post annis Papiria, & Cœlia. *Quis clarior in Græcia Themistocle?*] Qui ad Artemisium, & Salaminem contra Xerxem mari prospere pugnauit: deinde ostracismo in exiliū pulsus, & ad eū, quem deuicerat, Xerxem profectus patriæ arma intulit: denique sibi mortem consciuit, vt fecerat etiam Coriolanus. *Hæc igitur prima lex amicitiæ*] Septem exprimit.

QVORVNDAM GRÆCORVM OPINIONES DE AMICITIA.

N*Am quibusdam*] Sequitur Lælius, vt primum dicat

considerandas esse de amicitia Græcorum opiniones, quod nihil illis sit argutius: deinde quosdam, qui habiti sunt sapientes, existimasse, fugiēdas esse nimias amicitias propter securitatem: quæ tamen opinio falsa est: præterea nonnullos putasse vtilitatis caussa amicitias esse expetendas: quæ opinio quoque refellitur. *Nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis*] Tribuit scriptoribus Græcis argutias. In præclaris autem literarum studiis nulli fuerunt præstantiores Græcis. Quare Horatius hortabatur ad eorum opera perlegenda: *Vos exemplaria Græca*

Nocturna versate manu, versate diurna.

Et laudabat Græcos in hunc modum:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo

Musa loqui, præter laudem nullius auaris.

Partim fugiendas esse nimias amicitias] Hæc opinio fuit Biantis illius, qui dicebat plures esse peiores, τοὺς πλέονας κακοὺς δὲ Βίας ἀπέφηνε πριηνεύς. & malle se inter inimicos, quā inter amicos iudicare: nam ex amicis alterum prorsus futurum inimicum, ex inimicis alterum amicum: vt narrat
›› Diogenes Laertius: &, Ita ames tamquā aliquando osurus:
›› ita odio habeas, tamquam aliquando amaturus. Quam sententiam reprehendit Aristoteles, quod oporteat amare, non vt aiunt, sed tamquam semper amaturum: insidiatoris enim alterum est: vt legitur lib. 2. Rhet. cap. 21. *Alios autem dicere aiunt*] Hæc opinio fuit Epicuri, vt amicitia referretur ad vtilitatem, de qua etiam supra. *Neque enim est consentaneum*] Reprehensio primæ opinionis a consequēti, si cura fugienda est in amicitia, virtus quoque fugienda est, quæ necesse est, vt aliquam curam suscipiat. At virtus nō est fugienda. Ergo ne cura quidem in amicitia. *Atque etiā mihi quidem videtur*] Reprehensio alterius opinionis etiā à consequenti, quod si vera esset talis opinio, vt amicitia ad vtilitatem referenda esset, amicitia vtilitatem, non vtilitas amicitiam consequeretur. At non vtilitatem amicitia, sed vtilitas amicitiam consequitur. Ergo illa opinio vera non est. *Quod si forte*] Probatur, tyrannos, cum ceciderint, intelligere, quam fuerint inopes amicorum, exemplo Tarquinij. *Non enim solum ipsa fortuna cæca est*] Hoc ex vulgari opinione, non ex sapientum hominum, qui antiquis tempo-

tribus

ribus floruerunt, sententia existimantium fortunam nihil aliud esse, quam diuinam voluntatem: atque hoc modo nō esse cæcam, cum Dei oculus, vt dicitur, videat omnia, sed cæcos potius esse illos, qui non vident, ea omnia, quæ a fortuna fieri videntur, diuino consilio fieri, & habere verissimas caussas partim subtiliter explicatas a Theologis, partim etiam in arcanis diuinitatis abditas, ac tetrulas: quemadmodum M. Antonius Muretus in primam Catilinariam doctissime, & elegantissime disputauit.

DE FINIBVS AMICITIÆ, ET QVASI TERMINIS DILIGENDI.

Constituendi autem sunt] Primo loco ostenditur, de finibus, & quasi terminis amicitiæ, quæ præcipuæ fuerint veterum opiniones. *Vt eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos*] Nam amicus est alter ipse, vt dicebat Pythagoras: & vna anima in duobus corporibus, vt Aristoteles. vnde Horatius dimidium animæ suæ Virgiliū appellauit, vbi sic nauem alloquitur:

Nauis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor,
Et serues animum dimidium mea.

Vt nostra in amicos beneuolentia illorum erga nos beneuolētia pariter, æqualiterque respondeat] Pythagorei dicebant amicitiam esse æqualitatem. *Vt quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis*] Potest esse amicus magnanimus, modestus, inflatus, pusillanimus, de quibus Arist. lib. 4. Eth. cap. 3. *Nec enim illa prima vera est*] Reprehenditur prima sentētia a consequenti, quod si vera esset, quæ pro nobis non facimus, ne pro amicis quidem faceremus: &, quæ incommoda pro nobis non patimur, ne pro amicis quidem pateremur. At falsum est consequens. Ergo & antecedens. *Altera sententia est*] Reprehenditur secunda sententia etiam a cōsequenti. nam si vera esset, exigua existeret, & exilis amicitia, non ditior, & affluentior. *Tertius vero finis*] Reprehenditur tertia sententia itidem a consequenti: quoniam si vera esset, contingeret, vt essemus pusillanimi cum pusillanimis. Quamobrem contra primam sententiam debemus

quædam facere, vel pati pro amicis, quæ pro nobis non faceremus, nec pateremur. Et contra secundam sententiam debemus imitari magnanimum, qui, vt tradit Aristoteles, talis est, vt afficiat beneficiis alios, ipse affici erubescat, & plura semper retribuat. Et contra tertiam sententiam, si in amico animus fuerit abiectior, & spes amplificandę fortunæ fractior, non debemus esse tales in eum, qualis ille in se est, sed potius eniti, & efficere, vt amici iacentem animũ excitemus, inducamusque in spem, cogitationemque meliorem. quod egregie fecisse Philiscum erga Ciceronem in exilium abiectiore animo proficiscentem, dum eum mirabiliter est consolatus, narrauit Dio lib. 38. *Negabat vllam vocem inimiciorem*] Reprehenditur dictum vel Biantis, vel alterius cuiusdam, qui dicebat, Hac fini ames tamquã forte fortuna osurus: hac itidem tenus oderis, tamquam fortasse post amaturus. Arist. lib. 2. Rhet. cap. 13. vbi agit de moribus seniorum tribuit hoc dictum Bianti, dum scribit in hanc sententiam, quod neque magno amore, neque magno odio prosequuntur: sed secundum pręceptum Biantis & amant, tamquam odio habituri: & odio habent, tamquam amaturi. Eiusdem libri cap. 21. tradit, amare tamquã postea osutum, esse *ἐπιϐούλου*, & insidiatoris. Diogenes quoque idem dictum commemorat in vita Biantis, & Val. lib. 7. cap. 3. Gellius tamen tale dictum vult esse Chilonis, lib. 1. cap. 3. *His igitur finibus vtendum arbitror, vt cum emendati mores amicorum sint*] Ab iis vitiis alieni, quæ amicitiæ aduersantur, vt est perfidia, leuitas, auaritia, ambitio, alia huiusmodi. *Tum sit inter eos*] Conferant inter se res, & consilia, idemque velint, ac nolint. *Et, si qua fortuna acciderit, vt minus iusta amicorum volũtates sint adiuuandæ, in quibus eorũ aut de capite agatur, aut fama, declinandum sit de via est, modo ne summa turpitudo sequatur: est enim, quatenus amicitiæ dari venia possit*] Videndum est, quid in hunc locum Ciceronis scripserit Gellius lib. 1. cap. 3. *Nec vero negligenda est fama*] Bona hominũ existimatio: potest enim fama esse etiam mala. *Virtus, quam sequitur charitas, minime repudianda est*] In virtute enim posita vera amicitia est.

DE HA-

DE HABENDO AMICORVM DELECTV ET RATIONE CONFICIENDAE AMICITIAE.

SEd (*sæpe enim redeo ad Scipionem*] Notatur negligētia de amicis. *Capras, & oues*] A minori. *Sunt igitur firmi*] Primum habenda est hominum experientia: deinde iudicandum, quales sint: denique deligendi firmi, stabiles, & constantes. Contra vero fit. primum enim deliguntur amici: deinde iudicantur, sed difficulter, quia sunt amici: denique experientia fit amicitiæ iam contractæ. De experiētia commemorat Arist. lib. 8. Eth. cap. 3. illud prouerbium. οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους, πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι. quod conuertit Cicero, multos modios salis simul edēdos esse, vt inter se norint. De iudicio Theophrastus apud Plutarchum περὶ φιλαδελφίας, ait, οὐ δεῖν φιλοῦντα κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν. Non oportere amantem iudicare, sed iudicantem amare. Firmi vero, stabiles, & constantes sunt virtute præditi: non, qui sequuntur vtilitatem, & voluptatē. *Quidam sæpe*] Ostenditur, quibus in rebus fiat experiētia futurorum amicorum. Nam primo loco perspiciuntur in parua pecunia. *Quidam autem*] Secundo in magna pecunia. *Si vero*] Tertio in ratione honoris. *Quid hæc vt omittam*] Quarto in calamitatibus. Notum est illud Ciceronis. Vt aurum igni: sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici potest. *Qui igitur vtraque in re*] Hic agitur de proprietatibus deligendorum amicorum: sex enim requiruntur in vera amicitia: primo loco constantia in rebus bonis, & malis. *Firmamentum autem*] Secundo propter constantiam fidelitas. *Simplicē præterea*] Tertio propter fidelitatē synceritas. *Addendum eodem est*] Quarto propter synceritatē fuga criminationum. *Ita fit verum illud*] Quincto propter fugam criminationū bonitas. *Accedat huc suauitas*] Sexto propter bonitatem suauitas sermonum, & morum. Hæc est vna de illis rebus, quas docebat Aristoteles lib. 8. Eth. cap. 5. pertinere ad conseruationem amicitiæ. Conseruatur enim amicitia tum per præsentiam amicorum, qui possunt esse præsentes vel reuera, vel per litterarum salutationem, quæ quidem intermissa solet dissoluere amicitias iuxta illud, πολλὰς δὲ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν: tum per iucunditatem,

vitæ:vnde ſenes,& ſeueri non ſunt idonei ad amicitiam: & nihil eſt tam amicorum proprium, quam iucunda vitæ ſocietas: tum per redamationem: ſi quis enim amaret, & non redamaretur, amicitia minime perduraret. Iam colliguntur ſex genera hominum non idonea ad amicitiam, & ſex peridonea, quæ inter ſe ſunt contraria: vt 1. inconſtantes: conſtantes. 2. infidi: fideles. 3. præditi multiplici ingenio, & tortuoſi, qui non iiſdem rebus mouentur, nec natura conſentiunt: ſimplices, communes, & conſentientes. 4. faciles ad crimina vel inferenda, vel credenda: non ita faciles. 5. mali, qui fingunt, & diſſimulant, nec ab amico oblatas criminationes depellunt, ſed ſunt ſuſpicioſi, ſemper aliquid exiſtimantes ab amico eſſe violatum: boni. 6. triſtes, & in omni re ſeueri: ſuaues.

DE VETERIBVS, ET NOVIS AMICIS.

Exiſtit autem hoc loco] Quæritur à ſimili, An, vt equis vetulis teneros anteponere ſolemus: ſic amici noui, digni amicitia, veteribus ſunt anteponendi. *Indigna homine dubitatio*] Reſpondetur à differentia. Non eſt eadem ratio amicitiarum, & aliarum rerum: non enim amicitiarum eſſe debent, vt aliarum rerum ſatietates. Legitur apud Ariſtot. lib. 1. Rhet. *οὗ ἔστιν ὑπερβολὴ, τοῦτο ἀγαθόν*. Iam quarum rerum non eſt ſatietas, earum vetuſtas placet magis, quam nouitas. At amicitiæ non eſt ſatietas. Nam eſt vel virtus: vel coniuncta cum virtute, vt traditur in principio libri 8. Ethicor. Itaq; conſiſtit in mediocritate, & non in exuperantia. Aliquæ autem ſunt res eiuſmodi, vt in eis nihil vnquam poſſit eſſe nimium, ſed, quo maiores fuerint, eo ſoleant eſſe præſtantiores: talis enim eſt ſapientia: talis virtus moralis: talis amicitia. De virtute tamen aliud videtur imperitæ multitudini. Ariſtides enim ob eam cauſſam expulſus eſt patria, quod præter modum iuſtus eſſet: vt legitur apud Cic. in 5. Tuſc. *Veterrima quæque*] A ſimili, vt ea vina, quæ vetuſtatem ferunt: ſic veterrimæ quæque amicitiæ eſſe debent ſuauiſſimæ. *Verumque illud eſt*] A teſtimonio communis dicti, quod ſuperius quoque notatum eſt ex lib. 8. Eth. c. 3 *οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους, πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι*

Atqui

Atqui in ipso equo] A simili, vt certis rebus vtimur magis veteribus, quã nouis, nisi aliquid impediat: sic etiam amicis. *Sed in ijs etiam, quæ sunt inanimata, consuetudo valet*] Propter consuetudinem homines quandoque delectantur locis, alioquin incommodis, vbi nati sunt. vt vrbibus quibusdam Græciæ, quæ sunt tam molesto sole, & tam noxio austro, vt fere quotannis eo morbo corripiantur, qui vno cõtactu inficit multos. Et castello quodam Hispaniæ Tarraconensis adiuncto lacunæ, vnde is vapor exhalatur, vt omnia circum ad mille passus teterrimo compleantur odore.

DE AMICIS EXÆQVANDIS.

SEd *maximum est in amicitia*] Superiores amici sunt pares inferioribus: & inferiores colunt superiores. quod probatur exemplo Scipionis, & eorum, qui, cùm in famulatu fuerint, aut deorum, aut Regum filij in fabulis inuenti esse dicuntur. Iam dicebant Pythagorei amicitiam esse æqualitatem: Ergo per amicitiam ęqualis erit conditio principis, & subditorum, patris, & filiorum: quod videri potest absurdum. Dionysius Syracusanus cum vidisset Damonẽ, & Pythiam veros amicos esse inter se, ita vt in periculo capitis alter pro altero vadem se daret, rogauit eos, vt se tertium amicum reciperent: non idcirco tamen debebant illi se æquales Regi, existimare. Q. Fabius Maximus Cunctator à senatu legatus missus ad filium Consulem Suessam, equo descendere à filio iussus est, & obsecutus dixit, Non ego, fili, summum imperium tuum contempsi: sed experiri volui, an scires Consulem agere: nec ignoro, quid patriç venerationi debeatur: verum publica instituta priuata pietate potiora iudico. Eximi potest hæc dubitatio si dicatur, amicos considerari aut quantum ad voluntatem, & sic esse æquales: aut quantum ad dignitatem, & hoc modo non semper esse æquales.

DE VITIIS VITANDIS IN AMICITIA.

VT *igitur ij, qui sunt in amicitia*] Enumerantur septẽ vitia in amicitiis vitanda. Primo loco inuidia, ne amicus ostendat se inuidere bonis amici. *Sic inferiores dolere*

non debent] Inferiores amicos non oportet esse inuidos. Dolor autem propter bonum alterius est multis modis: aut quod ille habeat, quod nos nõ habemus, & est inuidia: aut quod nos non habeamus, quod ille habet, & est æmulatio: aut quod ille habeat, quod nos quoque habemus, & est ζηλοτυπία, & obtrectatio: aut quia ille sit indignus, & est stomachatio. Loquitur Lælius de primo dolore. *Quorum plerique*] Secundo loco exprobratio, ne exprobret amicus ea, quę fecerit pro amico, quod est contra præceptum magnanimitatis traditum ab Aristotele lib. 4. Eth. ca. 3. vbi legitur, Thetidem non commemorasse beneficia Ioui, quibus eũ affecerat, nec Lacedæmonios Atheniensibus, quæ in eos contulerant, sed tantum beneficia accepta. *Quamobrem vt ij*] Tertio loco contemptio, ne alter ab altero se contemni ,, putet. Notum est illud, Tribus ex optimis rebus tres pessi- ,, mas oriri, è veritate odium: è familiaritate contemptum: è ,, felicitate inuidiam. Ac solent quidem contemnere scurræ, & importuni, qui malunt, vt legitur apud Quinctilianum, amicum, quam dictum perdere. Putant vero se contemni rustici, & duri, qui neque ipsi aliquid ridiculi dicunt, neque eos, qui dicunt, moderate ferunt. Mediocriter autem se habent versatiles & faceti. *Tantum autem*] Quarto loco exuperantia facti, ne quis plus tribuat amico, quam tribuendum sit. Affertur exemplum Scipionis de P. Rutilio, & eius fratre, de quibus legitur sic in 4. Tusc. Aegre tulisse P. Rutilium fratris repulsam consulatus, scriptum apud Fannium est: sed tamen transisse modum videtur, quippe qui ob eã caussam à vita recesserit. moderatius igitur ferre debuit. & apud Plinium lib. 7. cap. 36. P. Rutilius morbo leui impeditus, nunciata fratris repulsa in consulatus petitione, illico expirauit. *Omnino amicitia*] Quincto loco præproperum iudicium, ne iudicetur amicitia, nisi corroboratis iam, & confirmatis ingeniis, & ætatibus. *Isto enim modo nutrices, & pedagogi*] Plutarchus de educ. liber. Nutrices, & alumnæ suppositam quandam, & ascriptitiam beneuolentiam habent, vtpote mercedis gratia diligẽtes. Differre autẽ pędagogos à magistris declarauit Plato in Lyside ad hũc modũ: Quis tibi dominat? pędagogus. Nũquid seruus? Seruus noster. Graue vero liberũ seruo subiici. Sed quid agẽdo pædagogus

gogus hic tibi imperat? Dum ad magiſtros me ducit. *Recte etiam*] Sexto loco intemperata beneuolentia, ne impediantur vtilitates amicorum. *Nec enim (vt ad fabulas redeā) Troiam Neoptolemus capere potuiſſet*] Apud Lycomedem Scyri inſulæ Regem Thetis Achillem dormiente præceptore Chirone clam raptum depoſuit, vt ibi inter eius Regis filias muliebri habitu indutus latitaret, ne ad bellum Troianum, à quo illum non eſſe reuerſurum ſciebat, proficiſci cogeretur: apud quem cum deliteſceret, ex Deidamia Regis filia Pyrrhum ſuſcepit, Neoptolemum appellatum. Notant quidam hoc in loco Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα, vt Neoptolemum nominauerit pro Achille. *Atque in omni re*] Septimo loco inconſiderata petitio, ne ea petantur, quæ impetrari non debent. Lib.3. Off. Sol Phaetonti filio, (vt redeamus ad fabulas) facturū ſe eſſe dixit, quidquid optaſſet: optauit, vt in currum patris tolleretur: ſublatus eſt: atque is, antequam conſtitit, ictu fulminis deflagrauit. Theſeus optauit interitum Hippolyti filij ſui, cum is patri ſuſpectus eſſet de nouerca: quo optato impetrato, Theſeus in maximis fuit luctibus.

DE AMICITIIS DIMITTENDIS VEL NON DIMITTENDIS.

E*St etiam quaſi quædam calamitas*] Amicitiæ aut ſunt remittendæ: aut frangendæ: aut deponendę ſine inimicitia: aut non deponendæ. Sermo autem habetur de vulgari, & mediocri amicitia, non de vera, & perfecta: non de amicitia ſapientum, ſed de amicitia eorum, qui ante oculos ſunt: non de familiaritatibus optimorum, ſed de amicitiis communibus. *Erumpunt ſæpe vitia*] Primo loco propter vitia amicorum ſunt remittendæ amicitiæ, & diſſuendæ magis, quam diſcindendæ, vt præcipiebat Cato. *Niſi quædam admodum intolerabilis iniuria*] Secundo loco propter iniuriam admodum intolerabilem amicitiæ ſunt frangendæ, & ſtatim alienatio, diſiunctioque facienda eſt. *Si autem morum*] Tertio loco propter morum, aut ſtudiorum commutationem, aut in Reip. partibus diſſenſionem ita deponendæ ſunt amicitiæ, vt inimicitię non ſuſcipiantur. Affertur exemplum Scipionis, qui ſe remouit ab amicitia Qu.

Pompeij,& Metelli grauiter sine vlla acerbitate. *Cauendū vero est*] Quarto loco,cum iniuriæ sunt tolerabiles, amicitiæ non sunt deponendæ.

DE DIGNIS AVT INDIGNIS AMICIS.

Omnino *horum vitiorum*] Cautio,& prouisio adhibenda est,vt non amentur indigni. *Digni autem sunt*] Digni existimādi sunt virtute præditi, quæ est vera caussa, cur diligamur. *Rarum istud*] Pauci sunt digni. probatur à prouerbio, quod omnia præclara rara: & quod nihil ex omni parte perfectum. *Sed plerique*] Multi indigni, quippe qui solam spectant vtilitatē. *Itaque pulcherrima illa*] Vt se quisque diligit per se,non propter vtilitatem: sic debet diligere amicum,qui est alter idem *Quod si hoc apparet*] A minori. *Sed plerique peruerse*] Plerique sunt peruersi.

DE STABILITATE AMICITIAE.

In *talibus ea*] Stabilitas amicitiæ confirmari potest primo loco,si frenetur appetitus. *Deinde æquitate*] Secūdo, si colatur æquitas,& iustitia. *Neque solum colent*] Tertio, si adhibeatur verecundia, ita vt alter alterum vereatur, & cū obseruantia quadam respiciat. *Itaque in ijs perniciosus*] Nō debet admitti in amicitia licentia libidinum, & peccatorū. *Hæc est inquam societas*] Bona amicitiæ sunt multa, si virtute nitatur,sine qua vera amicitia esse non potest.Supra præferebatur amicitia virtuti. *Quocirca, dicendum est enim*] Repetit Lælius de iudicio faciendo, antequam diligamus: & de negligentia in amicis & diligendis,& colendis. Nam traditum est supra, primum experientiam hominum esse adhibendam: deinde iudicium faciendum: denique delectum habendum Sed præpostera retinetur ratio. Quare nō est mirum,si minus stabiles sunt amicitiæ.

OMNES CONSENTIRE DE AMICITIA.

Vna *est enim amicitia*] Argumentum ducitur à differentia, quod de aliis dissentiunt, vt de virtute, de diuitiis,de

tiis, de ceteris: At de amicitia omnes vno ore consentiunt. *Et ij, qui ad Rempub. se contulerunt*] Commemorat Arist. lib. 1. Ethicorum cap. 5. tria genera vitæ, quæ maxime excellunt, vnum voluptarium: alterum ciuile: tertium in contẽplatione positum. Sed ciuile est duplex, vnum publicum: alterum priuatum. Quare Lælius mentionem facit primum vitæ ciuilis publicæ. *Et ij, qui rerum*] Deinde vitæ in contemplatione positæ. *Et ij, qui suum negotium*] Præterea vitę ciuilis priuatæ. *Postremo ij*] Postremo vitæ voluptarię. *Serpit enim*] Concludit amicitiam in omni genere vitæ maxime requiri. *Quinetiam si quis*] Etiam Timon Atheniensis, qui laborabat odio generis humani, vt Hippolytus, odio mulierũ, volebat habere aliquem amicum, vt Alcibiadem, apud quem euomeret virus acerbitatis suæ. *Atque hoc maxime indicaretur*] Exemplum rei fictæ. *Verum igitur illud est*] Testimonium Architæ Tarentini, eius, qui primus cubum inuenit, & columbam ligneam tam affabre effinxit, librauit, inflauit, vt viuę volatum imitaretur. Is dixit insuauem cœli admirationem fore, nisi aliquis haberetur, cui ea narraretur.

DE VSV AMICITIÆ.

SEd cum tot signis] Cauendum est, ne offendantur amici acerbis monitionibus, & contumeliosis obiurgationibus, ita tamen, vt vtilitas in amicitia, & fides retineatur. *Molesta veritas est*] Notatum est supra, ex tribus rebus optimis tres pessimas oriri, ex veritate odium, ex felicitate inuidiam, ex familiaritate contemptum. Hic autem comparatur veritas cum obsequio. *Omnis igitur hac in re*] In veritate seruãda inter amicos debet esse monitio sine acerbitate, & obiurgatio sine cõtumelia. *In obsequio autem*] In præstãdo amicis obsequio debet esse comitas, non assentatio. *Scitum enim est illud Catonis*] Testimonium Catonis, quod multo melius de quibusdam acerbi inimici merentur, quã amici dulces. *Sic habendum est*] Dicebat Diogenes melius esse in coruos incidere, quam in adulatores. *Secerni autem blandus amicus*] Distinguendi sunt falsi amici à veris. quod probatur fieri posse argumento ducto a pari. *Concio, quæ ex imperitissimis*] A minori, si imperitissimi discernunt, multo magis periti debent discernęre. *Quibus blanditiis*] Proba-

tur imperitissimos quandoque recte iudicare quid intersit inter popularem, id est, assentatorē, & leuem ciuem, & inter constantem, seuerum, & grauem exemplo C. Papirij nō consulis, vt corrupte legebatur, sed Tribuni pl. an. 623. ante mortuū Scipionem vno, cuius lex de Tribunis pl. reficiendis dissuadente Lælio repudiata est. Et exemplo C. Licinij Crassi, qui ferebat legem, vt populus Sacerdotes crearet, cū ea potestas antea ipsorum Sacerdotum fuisset: & aduersante Lælio spretus est. *Is primum instituit in forum versus agere cum populo*] Plutarchus id tribuit C. Graccho. *Atque id actum est prætore me*] An. ab vrb. cond. 608. *Quinquennio ante, quam Consul sum factus*] Qui consulatus fuit an. 613. *Quod si in Scena*] A minori. *Ita fit, vt is assentatoribus*] Arist. lib. 1. Rhet. c. 11. φίλαυτοι πάντες διὸ φιλοκόλακες ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. *Omnino est amans sui virtus*] A differentia, Aliud est de virtute simpliciter, aliud de virtutis opinione. *Nec parasitorum in Comœdiis*] Ostenditur parasitorum assentationem in Comœdiis esse facetam propter milites gloriosos. *Semper auget*] Proprium assentationis. *Quamobrem, quamuis blanda ista vanitas*] Cauendum est à callida assentatione. *Aperte enim adulantem*] Duplex est adulator, vnus apertus, alter callidus & occultus. *Vt in Epicureo*] Recte quidam legendū putarunt, In Epiclero, quæ fuit Cęcilij Comœdia.

XII.

PERORATIO, SEV EPILOGVS.

S*Ed nescio quo pacto*] Renouat memoriam perfectæ amicitiæ, de qua superius agebat, quæque exercetur inter perfectos homines, id est, sapientes, ea nimirum sapientia præditos, quæ videtur in hominem cadere posse. *Virtus inquam*] Amplificat vinculum amicitiæ virtutem: quæ & cōciliat, & conseruat amicitias: ex qua exardescit amor, siue amicitia, quorum vtrumque dictum est ab amando, quod definitur, vt sit eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla vtilitate quæsita: & apud Aristotelem libr. 2. Rhet. cap. 4. velle alicui, quæ putat bona, illius caussa, sed nō ipsius, & pro viribus eorum effectorem esse: quæ denique efficit, vt amemus non solum superiores, quemadmodum Lælius adolescens senes illos L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum,

Gallum, P. Naſicam, T. Gracchum Scipionis ſocerum dilexit: ſed etiam multo magis æquales, quemadmodum idem Lælius Scipionẽ, L. Furium, P. Rutiliũ, Sp. Mummiũ maxima beneuolentia complexus eſt: & inferiores quoque, quemadmodum ipſe Lęlius ſenex in adoleſcentium charitate acquieuit, C. Fannij, & Q. Mutij generorum ſuorum, Q. Tuberonis, & P. Rutilij Virginij. *Mihi quidem Scipio*] Mouet affectum, & voluptatem commemoratione Scipionis amici ſui extincti. Nam in mortuorum quoque commemoratione eſt quædam voluptas. verba Ariſt. ſunt lib. I. Rhet. cap. II. *ἡ μὲν γὰρ λύπη περὶ τὸ μὴ ὑπάρχειν: ἡδονὴ δὲ ἐν τῷ μεμνῆσθαι, καὶ ὁρᾶν πως ἐκεῖνον, καὶ ἃ ἔπραττε, καὶ οἷος ἦν. διὸ καὶ τοῦτ' εἴρηται, ὡς φάτο, τοῖσι δὲ πᾶσιν ἐφίμερον ὦρσε γόοιο.* *In hac mihi*] Exemplum perfectæ amicitiæ. *Hæc habui de amicitia, quæ dicerem: Vos autem hortor*] Conſtituit bene auditores erga ſe, oſtendens ſe gratificatum eſſe illis, vt diſputaret de amicitia, & hortans illos ad colendam virtutem, & amicitiam, cum ſine virtute amicitia eſſe non poſſit, & excepta virtutẽ nihil amicitia præſtabilius exiſtat.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS QVINCTVS

DE VSV LOCORVM TOPICORVM IN QVAESTIONIBVS INFINITIS.



QVONIAM in quæſtionibus infinitis pertractãdis plurimum valent loci Topici, aliqua propoſita quæſtione ſinguli ſunt experiendi, & ad vſum reuocandi, maxime illi, qui in eo, de quo agitur hærent. Nam extrinſecus aſſumpti, vt locus teſtimonii diuini, & locus teſtimonii humani, cum quid auctoritate diuina, vel humana comprobatur, clariores ſunt, quam vt-

nostra egeant declaratione. Ac ipsum quidem, de quo agitur, declarat S. Seuerinus Boethus esse vel subiectũ, de quo sermo habetur, vel prædicatum, seu attributum quæstioni, quod dicitur de subiecto: Id est, vel id, de quo quæritur, vel id, quod quæritur. Exempli gratia, si sit proposita quæstio, An lex sit honorãda, id, de quo quæritur est lex, & id, quod quæritur, est, an sit honorãda. In ipso autem, de quo agitur, loci præcipui, insiti, & inhærentes, ac maxime artificiosi sunt octodecim: Definitio, partes, notatio, coniugata, genus, species, similitudo, differentia, contraria, adiuncta, antecedentia, consequentia, repugnantia, caussæ, effectus, maiora, minora, paria: qui quidem, quomodo exerceri possint in proposita quæstione, tũ ratione subiecti, tum ratione prædicati, breuiter videndum est, & ex singulis argumenta ducenda sunt.

1. Ex definitione legis: Negari non potest, legem honorandam esse, quæ definita est, omnium diuinarum, & humanarum rerum regina, quam oportet præsidere & bonis, & malis, & principem, & ducem esse, & regulam esse iustorum, & iniustorum, & eorum, quæ natura ciuilia sunt, animantium, commendatricem quidem virtutum, emẽdatricem autem vitiorum: vel lex est, cui omnes homines decet obedire, cum propter multa, & varia, tũ maxime, quia sit inuentio quædam, & donum Dei: vel recta ratio imperandi, atque prohibendi: vel ratio summa insita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. vel iustorum, iniustorumque distinctio ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quę supplicio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos.

Ex definitione rei honorandæ: Id honorãdum est, quod benefecit, vel benefacere potest: vt traditur ab Aristot. lib. 1. Rhet. At lex & benefecit, & benefacere potest: ergo honoranda.

2. Ex partibus legis: Partes legis sunt honorandæ: vt diuina lex, quam Platonici prouidentiam vocant, id est, præpotentis Dei vim, naturam, rationem, potestatem, mentẽ, numen, quo mũdus vniuersus regitur: & cœlestis lex, quod fatum nominãt, id est fatalem, & immutabilem continuationem

tionem ordinis sempiterni: & lex mouens, quam naturam appellant: & lex humana, cui naturalis prudentiæ nomen imposuerunt. vel, vt diuidit Arist. vna cōmunis, altera propria: & illa, vt diuidunt iurisconsulti, aut naturalis, aut gentium; hæc vero aut scripta, aut non scripta, in moribus scilicet, atque institutis posita. Quod si partes legis sunt honorandæ, sequitur, legem quoque honorandam esse.

Ex partibus rei honorandæ: Res honoranda est sextuplex, prout benefacit sex modis, vt colligitur ex Arist. lib. 1. Rhet. vel ad salutem: vel ad diuitias: vel ad aliquod aliud bonum, cuius difficilis sit possessio: vel omnino: vel vbi oportet: vel quando oportet. At his omnibus modis lex benefacit, & prodest generi humano. Ergo est honoranda, & sui cultores reddit partibus honoris dignos, vel omnibus, vel pluribus, quę apud Aristotelem enumerantur vndecim, sacrificia, monumenta vel in metris, vel sine metris, præmia, delubra, præsessiones, sepulchra, statuæ, nutrimenta publica, barbaricæ adorationes, barbaricæ excessiones, dona.

3. Ex notatione legis: Græci τὸν νόμον ἀπὸ τοῦ νεμίζειν, id est, à suum cuique tribuendo: Latini legem à legendo appellarunt, vt vis tum æquitatis, tum delectus in ea posita esse videatur: quæ quidem vis cum honoranda sit, quis legem honorandam esse, negare ausus fuerit?

Ex notatione rei honorandæ: Illud honorandum appellant, cui honor tribuendus esse videatur. Qualis sine dubio est lex.

4. Ex coniugatis legis: Lex, & legumlatores sunt coniugata. At legumlatores sunt honorandi: vt Draco, qui leges Atheniensibus primus omnium tulit: vt Solon, qui ex septē illis inclytis sapientibus fuit, cuiusque etiā legibus vsi sunt Athenienses: vt Lycurgus, qui Lacedæmoniis iura constituit: vt Charondas, qui Catanæis: vt Minos, qui Cretensibus: vt Plato, qui Magnesiis, & Siculis: vt Zoroastres, qui Bachianis, & Persis: vt Zamolsis, qui Scythis: vt Trismegistus, qui Aegyptiis: vt alij, qui aliis gentibus, & nationibus. Cōsequitur ergo, vt legem quoque honorandam esse existimemus.

Ex coniugatis rei honorandæ: Honor, & res honoranda

ſunt coniugata. Quare cum honor legi cōueniat, ſequitur, vt honoranda appellari merito queat.

5. Ex genere legis: Omne iuſtum eſt honorandum: ergo etiam lex. Nam lex ſub iuſto, tamquam ſub genere continetur: &, quidquid dicitur de genere, etiam de ſpecie dici poteſt.

Ex genere rei honorandæ: Res excellens genus eſt, cui ſubiiciuntur tamquam ſpecies res honoranda, & res laudāda. Quoniam vero deſtructo genere, deſtruitur ſpecies, profecto ſi lex non eſſet res excellens: nec honoranda, nec laudanda eſſet: &, quoniam poſita ſpecie, ponitur genus, idcirco, ſi lex eſt vel honoranda, vel laudanda, ſequitur, vt ſit res excellens.

6. Ex ſpecie legis: Duæ ſunt ſpecies legis, vna communis, altera propria: & communis partim naturalis, partim gentium: & propria partim ſcripta, partim non ſcripta: & quælibet ſpecies legis eſt honoranda: ergo lex eſt honoranda.

Ex ſpecie rei honorandę: Duæ ſunt ſpecies rerum honorandarum, tum honeſta, tum vicina honeſtis: At lex eſt vel honeſta, vel vicina honeſtis: ergo honoranda.

7. Ex ſimilitudine: Vt corpora noſtra ſine elementorū temperamento, & diligenti curatione viuere diu non poſſunt: & idcirco tale temperamentum, taliſque curatio laudanda eſt: ita Reſpublicæ ſine recto gubernandi ordine, & ſine lege, cito intereant, neceſſe eſt, & ob id talis ordo, taliſque lex honoranda eſt.

Et laudandum, atque honorandum, laus, & honor, ſimilia ſunt, etiamſi maius quoddam, & præſtantius eſſe honorem, quam laudem, lib. 1. Ethicorum Ariſtoteles docuit. Quare, vt Deus non ſolum eſt laudandus, ſed etiam honorandus: ſic lex tamquam res diuina non ſolum laudāda eſt, ſed etiam honoranda.

8. Ex differentia: Videte, quid inter decreta ſcripta, & leges interſit. illa etiam iniuſta eſſe poſſunt: hæ nunquam à iuſtitia recedere poſſe exiſtimantur. illa cum populis, & ciuitatibus orta ſunt: hæ ante populos, & ciuitates fuerunt. illa mutabilia ſunt: hæ ſua natura immutabiles. illa ſexcentis è chartis, & commentariis, & præceptionibus diſcūtur,

acci-

accipiuntur, leguntur: hæ vero ex natura ipsa accipiuntur, hauriuntur, exprimũtur. ad illa docti & instituti pauci quidam homines: ad has facti, & imbuti sunt omnes. illa non semper honoranda sunt: hæ semper honorandæ.

Et interest quiddam inter laudandum, & honorãdum, inter laudem, & honorem: ita vt virtutes, & opera humana magis laudentur, quam honorẽtur: res vero diuinæ potius honorentur, quam laudentur. Nam illis tribuũtur laudes, & encomia: his vero honores. Itaque cum lex sit potius diuina, quam humana, profecto magis videtur honoranda, quam laudanda. Quod si honor in communiore significatione accipiatur, & hominibus quoque tribuatur, multum tamen intererit inter res ipsas honorandas: cum aliæ tales sint propter publicum commodum, vt magistratus, & imperia: aliæ propter priuatum commodum, vt cura familiaris, & temperantiæ actio: aliæ propter vtrumque, vt lex. Et aliæ honore dignæ sint propter bellum, vt arma, & scientia rei militaris: aliæ propter pacem, vt philosophia, & studia litterarum: aliæ propter vtrumque tempus, & belli, & pacis, vt leges, & legum studia.

9. Ex contrariis: Destructio legis est probro digna: sublata enim lege non modo vrbes, & Respub. & genus humanum, sed mundus quoque vniuersus tollitur. Ergo conseruatio legis est honoranda. Et legum contemptio est inhonoranda, quia euertit vrbes, & Respublicas. Quid enim Athenas clarissimum quondam Græciæ lumen, quid Carthaginem toti fere Africæ, atque Hispaniæ imperantem, quid denique Romam ipsam totius fere orbis terrarũ dominam perculit aliud, nisi legum contemptus, atq; despicientia? Quid euertit Corinthum, quid Numantiam, quid Assyriorum imperium sustulit, quid Macedonum, nisi iuris ipsius neglectio? Ergo legum obseruatio est honoranda.

Et honorandum, atque inhonorandum sunt contraria. Ac illud quidem conuenit legi, & magnifaciendum est: hoc vero non conuenit, & despiciendum est, atque vitandum.

10. Ex adiunctis: Ratio, qua nihil in omni cœlo, atque terra diuinius esse existimatur, & in homine est, & in Deo: iisque inter quos est rationis societas: est etiam recta ratio communis: & recta ratio est lex: ergo lex homines cũ Diis

consociat, & ob id valde honoranda est. Praeterea si inter homines & Deos est communio legis, & iuris, adiungitur, vt sint eiusdem ciuitatis, id est, huius communis ciuitatis, qui mundus vocatur. Quod si sunt eiusdem ciuitatis, & qui sunt eiusdem ciuitatis, agnatione, & gente tenentur, adiungitur, vt Deorum agnatione, & gente teneri homines videantur. Cumque id per legem fiat, honorandam esse legẽ, negari non potest.

Et rei honorandæ adiungitur, vt ab ea multæ vtilitates, multaque ornamenta proficiscantur. Quare merito esse honorandæ leges, & legum studia videntur, quæ diuitias afferre magnas iurisperito in ciuitate existimãtur: quibusque nihil ad gloriam adipiscendam, & ad honores consequendos est opportunius. Fiunt enim iurisperiti ditissimi, ac Rerump. gubernatores.

11. Ex antecedentibus: Si lex vnicuiq; tribuit, quod suũ est, honoranda est: At tribuit: Ergo honoranda.

Si honorandum est, quod benefacit, vel benefacere potest, lex honoranda est. At quod primum est. Quod sequitur igitur.

12. Ex consequentibus: Si lex non esset honoranda, ius suum vnicuique non tribueret. At tribuit. Ergo honorãda.

Si lex non esset honoranda, illud non esset honorãdum, quod benefacit, vel benefacere potest: At illud est honorãdum, quod benefacit, vel benefacere potest: Ergo lex est honoranda.

13. Ex repugnantibus: Illa inter se repugnant, esse legẽ, & nõ esse iustam. Quare non omnia, quæ pro legibus scripta sunt, leges haberi oportet. Ecquis enim nominauerit leges Dionysij, Alexandri Pheręi, Phalaridis, aliorumq; immunium tyrannorum decreta? *Anne latrocinari, furari, adulterare, testamenta falsa supponere, iura erunt, quia hæc voluntate, & iussu alicuius tyranni, vel suffragijs, & scitis imperitæ multitudinis proponi publice possint?* Nullo enim modo separari lex a iustitia potest. Quamobrẽ, quod malum est, id iniustum: quod iniustum, id non legitimũ: quod non legitimum, id ex lege non esse censendum est.

Præterea aliquid esse iustum, & non honorandum, pugnãt inter se. Itaq; si lex iusta est, quomodo non honorãda?

14. Ex caussis: Legis caussa est diuina: ergo lex est effectus diuinus, & hoc modo honoranda. Id quod vel ab illis significatum est, qui ferentes populis leges non se illarum inuentores, sed aliquem Deum prædicarunt. Etenim *N. Pompilius*, qui populum Rom. summa æquitate, & prudentia statim post Romulum rexit, dicebat sibi cum dea Aegeria cõgressus esse nocturnos, eiusque monitu se ea, quę accepta diis immortalibus forent, instituere. Draco, & Solo legum inuentionem in Mineruam retulerunt. Lycurgus, & Charondas, & Minos, quidquid instituerunt, id se ab Apolline, à Saturno, à Ioue accepisse dixerunt. Plato autem, omne inuentum Ioui, & Apollini: & Zoroastres Horomasi tribuit: & Zamolsis iura sua accepta veste: Trismegistus vero Mercurio retulit: & Moses non alicui ficto numini, quemadmodum ceteri, sed illi optimo, maximoque Deo, cuius nutu, & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur, tribuit leges ab ipso institutas. *Accedit, quod natura quoque caussa est legis, & quidem honoranda: vnde sequitur, etiam legem honorandam esse.* Quis enim non intelligat, natura nos esse propensos ad diligendos homines, quod aiunt fundamentum esse iuris: eademque natura ab iniuria nos arceri angere conscientiæ, fraudisq; cruciatu? Id quod summi quõdam Poetæ fictis fabulis prodiderunt, cũ Eumenides, quarum & Athenis fanum erat, & apud Romanos Lucus Furinæ, speculatrices esse, ac vindices facinorum, & scelerum: eosque qui aliquid impie, sceleratequę commisissent, tędis ardentibus agitare, & perterrere dixerunt.

Et caussa honoris est beneficium, vel benefica voluntas. Quæ quidem caussa cum in lege reperiatur, vt omnibus benefaciat, aut benefacere propositum habeat, quis eam honorandam esse, non confiteatur?

15. Ex effectibus: Legis effectus sunt honorandi: ergo lex est honoranda: qua nihil vtilius humano generi datum esse constat. *Quæ enim res alia homines ad virtutem inflammat, hortatur ad decus, reuocat à flagitio?* Quæ vis alia efficit, vt auguste, ac sancte veneremur Deum: patriæ, quæ communis est omnium nostrum parens, seruiamus: parentes, à quibus vita, patrimonium, libertas, ciuitas nobis tradita est, charissimos habeamus: vxores amemus: ac liberos

Quod cum pariter efficiant lex & philoſophia, ſequitur, vt pariter debeant honorari.

Illud addendum eſt, quod, tametſi in ſuperiori quæſtione ex omnibus locis argumenta ſumpſimus ratione ſubiecti, & prædicati: tamen, cum aliqua quæſtio eſt pertractanda, adhibendum eſt iudicium, vt meliora argumenta eligātur: quia non omnes loci in omnem quæſtionem poſſunt conuenire. Nam, quemadmodum ſcriptum reliquit Cicero lib. 2. de inuen. vt omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus litteris ſcribitur: ſic omnem in quæſtionem non omnis argumentorum copia, ſed eorum neceſſaria pars aliqua conueniet. & ab eodem ſcriptum eſt in partitionibus: In qualibet quæſtione ſcrutandum eſſe, & quærendum ex omnibus locis: ſed adhibendum iudicium, vt leuia argumenta ſemper reiiciantur, nonnunquam etiam communia prætermittantur, & non neceſſaria.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS SEXTVS

DE VSV ARTIS RHETORICÆ ARISTOTELIS IN GENERE DELIBERATIVO.

I.



QVI orationem deliberatiuam ſit cōfecturus, ei primum vtendum eſt capite 22. lib. 2. vt eam rem penitus, diligenterque cognoſcat, de qua ſit acturus, eaque teneat, quæ in eiuſmodi re inſunt, atque eius propria ſunt. Quomodo enim, inqt philoſophus, poſſemus conſulere Athenienſibus, vtrum bellandum ſit, necne, non tenentes, quæ potentia ipſorum ſit, naualiſne, an pedeſtris, vel vtrunque, & ipſa quanta: & reditus qui: vel

amici; vel inimici: præterea vero quæ bella gesserint, & quo modo, & alia huiusmodi? Ratio autem in hoc genere cognoscendi illa, quæ insita sint, & selecta, atque opportunissima, petenda est ex capite 4. lib. 1. vbi traditum est, deliberationem non esse de iis rebus, quæ fiunt ex necessitate, vt cœlum moueri: vel fieri non possunt, vt hominem semper viuere: vel contingunt naturaliter, vt hominem otiri ingeniosum, memorem, robustum: vel contingunt fortuito, vt hominem inuenire thesaurum: sed de iis, quæ contingunt ex voluntate humana, & fieri à nobis possunt, vt de quinque maximis, & præcipuis, de quibus publice consultatur. Nimirum

1. De parãdis pecuniis, de quibus duo sunt cognoscenda: Tum vectigalia, vt, si quid desit, adiungatur: si quod minus sit, augeatur.

Tum sumptus ciuitatis, vt aut tollantur, aut minuãtur. Ad quam consultationem duo vtilia sunt: priuatarum rerũ experientia, & historia.

2. De bello, & pace, de quibus tenenda sunt quattuor:
   1. Facultas ciuitatis:
   2. Bella eius, & finitimorum, & eorum, quibuscum bellandum, vel non bellandum sit:
   3. Facultates, an similes, an dissimiles sint:
   4. Bella etiam aliena, vt ex rebus gestis aliorum de futuris, quæ ad nos pertineant, coniecturam faciamus.

3. De custodia regionis, de qua cognoscenda sunt quatuor:
   1. Modus custodiendi:
   2. Multitudo custodum:
   3. Forma præsidiorum:
   4. Loca eorundem præsidiorum.

Quæ omnia cognoscuntur per peritiam regionis.

4. De rebus ad victum pertinentibus, de quibus quattuor sunt scienda:
   1. Quãtus sumptus sit necessarius ad rem cibariã:
   2. Quid habeatur tum natiuum, tum ascitum:
   3. Quæ sint exportanda:
   4. Quæ importanda.

5. De legibus ferendis, de quibus quattuor sunt obseruanda:

1. Quot, & quę sint formę Rerumpub. vt qualis sit nostra cognoscatur:
2. Quæ vnicuique prosint: vt quæ ad Reipub. finem pertineant:
3. Quomodo corrumpantur, vel à propriis, vel à contrariis:
4. Qui fuerit superior Reipub. status, & proprius, vel alienus.

Ad quam consultationem duo maxime prosunt, peregrinatio, & historia.

II.

COgnita diligenter, penitusque perspecta re illa, qua de agendum est, obseruanda est natura generis, in quo futura oratio est, ex capite 3. lib. 1. vt quattuor spectentur:

1. Auditor, qui est disceptator rerum futurarum, ad quem accommodanda oratio est:
2. Partes, quæ sunt suasio, & dissuasio, quarum ita altera est eligenda, vt in alterum non incurratur:
3. Tempus, quod futurū est, de quo agere hominis prudentissimi est:
4. Finis, qui est vtile, & perniciosum: semper enim hunc finem spectare in deliberationibus debemus: alia vero assumere, si possimus, vel iustum, vel iniustum, vel honestum, vel turpe: sin minus, dimittere, & proprium finem tantum pertractare, qui nunquam dimittendus videtur:

III.

ADdenda est cognitio status, seu constitutionis, quæ ab Aristotele controuersia nuncupatur: & est prima conflictio dictorum contrariorū, quo argumenta omnia sunt referenda. De hac in lib. 3. cap. 17. ad hunc modum: In deliberatiuis,

1. Aut contenderit aliquis, non futura esse:
2. Aut futura quidem, quę ille censet, sed non iusta:
3. Aut non vtilia:

4. Aut

4. Aut non tanta.

Cum autem omnis deliberatio ſit rerum futurarum, omnem de rebus futuris controuerſiam πραγματικὴν, id eſt, negotialem Hermogenes appellat, cuius tractationem vtile erit in hoc genere obſeruare: ſed prius intelligendum eſt, in quot, & quas ſpecies apud ipſum Hermogenem, auctorem talium rerum grauiſſimum, ſtatus ſit diſtributus. Id quod ex ſequenti patebit deſcriptione.

Στάσις Status eſt duplex,
- in quo obſcura eſt iudicatio, qui dicitur στοχασμὸς, cõiecturalis.
- in quo eſt manifeſta iudicatio
  - vel infinita, qui dicitur ὁρικὴ definitiuus.
  - vel finita q dicitur ποιότης generalis & habet quæſtionẽ,
    - vel de re, & dicit λογικὴ rationalis,
      - de re futura πραγματικὴ negotialis.
      - de re præterita δικαιολογία iuridicialis:
        - ἀντίληψις abſolutus.
        - ἀντίθεσις aſſumptiuus
          - ἀντίστασις comparatio.
          - ἀντέγκλημα relatio criminis.
          - μετάστασις remotio criminis.
          - συγγνώμη cõceſſio.
    - vel de ſcripto & dicit νομικὴ legitimus
      - ῥητὸν, καὶ διάνοια ſcriptum, & ſententia.
      - συλλογισμὸς ratiocinatiuum.
      - ἀντινομία contrariæ leges, ſeu cõtrarietas ex lege.
      - ἀμφιβολία ambiguũ.

Est præterea status, qui dicitur μετάληψις, translatiuus,

Non An sit: } Sed an oporteat quærere { An.
Nec Quid: Quid.
Nec Quale. Quale.

Omnino, an oporteat in litem descendere: est enim παραγραφὴ & exceptio { partim in scripto, a scripto aliquo accipiēs quæstionem. | partim sine scripto de { loco | tempore | persona | caussa | modo } }

1. Status coniecturalis est in hunc modum: Deprehensus est, qui sepeliebat nuper mortuum corpus in deserto, & cædis accusatur.

2. Status definitiuus: Ex sacro priuatus quis surripuit pecunias. Iubēte lege sacrilegum quidem mori: furem vero dare duplum: tamquam sacrilegus in iudicium vocatur: dicit se furem esse.

3. Cum status generalis sit vel rationalis, vel legitimus: & rationalis sit vel negocialis, vel iuridicialis: status negocialis est sic: Deliberant Athenienses, an oporteat sepelire cæsos in Marathone ex barbaris. vbi obseruandum est Negocialem Ciceronis differre à Negociali Hermogenis. Nā ille comprehendit omnes caussas, quę ex iure ciuili pendēt: hic caussas deliberátiui generis. Caussæ enim ex iure ciuili pendentes apud Hermogenem ad status legitimos referuntur.

Præterea cum status iuridicialis sit vel absolutus, vel assumptiuus: exemplum absoluti est: Agricola philosophantem filium abdicat: & contendit se iuste agere.

Cumque assumptiuus sit vel comparatio, vel relatio criminis, vel remotio criminis, vel concessio:

Compa-

Comparatio eſt, cum reus in ſe ipſum totum factum refert, & confitetur, ſe aliquid iniuſte feciſſe, ita tamen, vt aliquod beneficium maius ex eo iniuſto extitiſſe argumentetur.

Relatio criminis eſt, cum reus refert factum in eum, qui paſſus eſt. Remotio criminis eſt, cum reus refert factum in rem aliquam, vel perſonam, quæ culpæ affinis eſſe poſſit, vt Legatus, quem triginta dierū ſpatio exire oportebat, mille drachmis acceptis in viaticum à Quæſtore, non accepit: & ob id non exiuit: deinde accuſatur.

Conceſſio eſt, cum reus refert factum in id, quod culpæ affine eſſe non poteſt, vt Decem præfecti militares, cū propter tempeſtatem caſtra non mutaſſent, accuſati ſunt.

Cum ſtatus legitimus ſit quadruplex, exemplum ſtatus ex ſcripto, & ſententia eſt: Qui mœnia aſcenderit, capite puniatur. Quidam in obſidione vrbis mœnia aſcendens de Repub. meritus eſt: & ex verbis legis accuſatur, ſed ex ſententia defenditur.

Exemplum ratiocinatiui eſt, Ex adultera natum non concionari: ex meretrice natum ſententiam dicere prohibet quiſpiam, non ſcriptum cum ſcripto conferens.

Exemplum ex cōtrariis legibus eſt, Exheredatus nequid patrimonij participato. In naufraga naui qui remanſerit, dominus eſto nauis.

In naufraga naui exheredatus remāſit, & cuſtodit eam, vt rem patris, vel ex contrarietate orta à lege, Stuprata vel nuptias ſtuprantis, vel mortem eligito. Duas vnus ſtuprauit. Hæc quidem nuptias huius: altera vero mortem elegit.

Exemplum ambigui eſt, Meretrix ſi coronam auream geſtauerit, publica eſto. Quæritur, an publicanda ſit meretrix, an corona. Status translatiuus eſt manifeſtus.

Addit Ariſtoteles ſtatum quantitatis, lib. 3. cap. 17.

In genere autem deliberatiuo potiſſimum cognoſcere debemus ϛάσιν πραγματικὴν, id eſt, ſtatum negotialem proprium deliberationum, qui ſex rebus tractatur:

1. Νομίμῳ, id eſt, legitimo,

Quod partim ſpectatur ἀπὸ ῥητοῦ, in ſcripto, & pertinet ad ſtatus legitimos.

Partim μὴ ἀπὸ ῥητοῦ non in scripto, vt cum quæritur τὸ ἔθος ὡς νόμιμον, consuetudo tamquam legitimũ, & tractatur per

- ἐνστάσιν, id est, instantiam, vt post ea, quæ in Pylo gesta sunt, Cleon dignum existimabat se Pythium appellari, & dicebat, Non peto noua: nã etiã Pericles fuit Olympius nominatus.
- ἀντιπαράστασιν, vt Noua quidem peto, quia magna gessi.

2. Δικαίῳ, id est, iusto, de quo in statu iuridiciali, & in genere iudiciali.

Hæc autem duo argumenta à legitimo, & à iusto, assumuntur ex genere iudiciali, si assumi possint, cum vnum genus seruiat alteri. auctor Arist. lib. 1. Rhet. cap. 3.

3. Συμφέροντι, id est vtili, quod est proprium argumentum generis iudicialis, tamquam proprius finis, & est duplex.
— Χρήσιμον, conducibile.
— ἀναγκαῖον, necessarium.

Et dupliciter spectatur,
Quid facientibus nobis contigerit.
Quid non facientibus nobis etiam contigerit.

Nam nobis id facientibus, quod suadetur quattuor cõtingent.

1. ὑπάρχοντα ἀγαθὰ παραμένει quę adsunt bona permanebunt.
2. τὰ οὐκ ὄντα προσέσται quæ non adsunt aduenient.
3. τὰ ὑπάρχοντα φαῦλα οὐ παραμένει quæ adsunt mala non permanebunt.
4. τὰ οὐκ ὄντα οὐ προσληψόμεθα quæ non adsunt, non assequemur.

Nobis vero id non facientibus, quattuor contingent.

1. τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθὰ ἀπολεῖται: quæ adsunt bona, perdentur.
2. τὰ οὐκ ὄντα, προσγενησόμεθα δὲ οὐ προσέσται quæ non adsunt, sed erant euentura, non euenient.
3. τὰ ὑπάρχοντα φαῦλα παραμένει quæ adsunt mala permanebunt.

4. τὰ

4. τὰ ἐκ ὄντα φαῦλα προσέσται quæ non adſunt mala, accident.

4. Δυνατῷ, id eſt, eo, quod fieri poteſt, quod eſt duplex

- οὐ χαλεπὸν: non difficile, vel ſimpliciter, vel cõparate.
  - per ἔνδειαν — quod non χαλεπὸν difficile.
  - per ἀντιπαράστασιν — quod quamuis χαλεπὸν, neceſſarium tamen, ne incidamus εἰς χαλεπότερα, in difficiliora.
- ῥᾴδιον. facile.

Et δυνατὸν cõſideratur — ἐκ παρακολουθούντων προσώποις: ex iis, quæ ſunt attributa perſonis.

PHILIPPVS
ſenex:
inuiſus ſuis:
carens claſſe, pecuniis, & eiuſmodi.

Et quamuis poſſibile ſit commune aliis generibus cauſſarum: tamen eſt magis proprium deliberatiui, vt dicetur in argumentis.

5. Ἐνδόξῳ, id eſt, glorioſo, & honeſto, quod aſſumitur ex genere demonſtratiuo.

Si hoc fecerimus, qua laus conſequetur.
Si non fecerimus, quod probrum eueniet.

6. Τῷ ἐκβησομένῳ, id eſt, euenturo, κατὰ ὑπόθεσιν εἰς ἑκάτερα ἐκβαινόντων: ſecundum ſuppoſitionem, in vtraque capita eorũ, quę eueniant, vt ſiue vincemus, ſiue non, auxiliari tamen vtile erit.

IIII.

CVm ſtatus eſt cognitus, habenda ratio eſt argumentorum, quę à quattuor vberrimis, quaſi fontibus ducun-

ſunt coniugata. Quare cum honor legi cōueniat, ſequitur, vt honoranda appellari merito queat.

5. Ex genere legis: Omne iuſtum eſt honorandum: ergo etiam lex. Nam lex ſub iuſto, tamquam ſub genere continetur: &, quidquid dicitur de genere, etiam de ſpecie dici poteſt.

Ex genere rei honorandæ: Res excellens genus eſt, cui ſubiiciuntur tamquam ſpecies res honoranda, & res laudāda. Quoniam vero deſtructo genere, deſtruitur ſpecies, profecto ſi lex non eſſet res excellens: nec honoranda, nec laudanda eſſet: &, quoniam poſita ſpecie, ponitur genus, idcirco, ſi lex eſt vel honoranda, vel laudanda, ſequitur, vt ſit res excellens.

6. Ex ſpecie legis: Duæ ſunt ſpecies legis, vna communis, altera propria: & communis partim naturalis, partim gentium: & propria partim ſcripta, partim non ſcripta: & quælibet ſpecies legis eſt honoranda: ergo lex eſt honoranda.

Ex ſpecie rei honorandę: Duæ ſunt ſpecies rerum honorandarum, tum honeſta, tum vicina honeſtis: At lex eſt vel honeſta, vel vicina honeſtis: ergo honoranda.

7. Ex ſimilitudine: Vt corpora noſtra ſine elementorū temperamento, & diligenti curatione viuere diu non poſſunt: & idcirco tale temperamentum, taliſque curatio laudanda eſt: ita Reſpublicæ ſine recto gubernandi ordine, & ſine lege, cito intereant, neceſſe eſt, & ob id talis ordo, taliſque lex honoranda eſt.

Et laudandum, atque honorandum, laus, & honor, ſimilia ſunt, etiamſi maius quoddam, & præſtantius eſſe honorem, quam laudem, lib. 1. Ethicorum Ariſtoteles docuit. Quare, vt Deus non ſolum eſt laudandus, ſed etiam honorandus: ſic lex tamquam res diuina non ſolum laudāda eſt, ſed etiam honoranda.

8. Ex differentia: Videte, quid inter decreta ſcripta, & leges interſit. illa etiam iniuſta eſſe poſſunt: hæ nunquam à iuſtitia recedere poſſe exiſtimantur. illa cum populis, & ciuitatibus orta ſunt: hæ ante populos, & ciuitates fuerunt. illa mutabilia ſunt: hæ ſua natura immutabiles. illa ſexcentis è chartis, & commentariis, & præceptionibus diſcūtur,

acci-

accipiuntur, leguntur: hæ vero ex natura ipsa accipiuntur, hauriuntur, exprimũtur. ad illa docti & instituti pauci quidam homines: ad has facti, & imbuti sunt omnes. illa non semper honoranda sunt: hæ semper honorandæ.

Et interest quiddam inter laudandum, & honorãdum, inter laudem, & honorem: ita vt virtutes, & opera humana magis laudentur, quam honorẽtur: res vero diuinæ potius honorentur, quam laudentur. Nam illis tribuũtur laudes, & encomia: his vero honores. Itaque cum lex sit potius diuina, quam humana, profecto magis videtur honoranda, quam laudanda. Quod si honor in communiore significatione accipiatur, & hominibus quoque tribuatur, multum tamen intererit inter res ipsas honorandas: cum aliæ tales sint propter publicum commodum, vt magistratus, & imperia: aliæ propter priuatum commodum, vt cura familiaris, & temperantiæ actio: aliæ propter vtrumque, vt lex. Et aliæ honore dignæ sint propter bellum, vt arma, & scientia rei militaris: aliæ propter pacem, vt philosophia, & studia litterarum: aliæ propter vtrumque tempus, & belli, & pacis, vt leges, & legum studia.

9. Ex contrariis: Destructio legis est probro digna: sublata enim lege non modo vrbes, & Respub. & genus humanum, sed mundus quoque vniuersus tollitur. Ergo conseruatio legis est honoranda. Et legum contemptio est inhonoranda, quia euertit vrbes, & Respublicas. Quid enim Athenas clarissimum quondam Græciæ lumen, quid Carthaginem toti fere Africæ, atque Hispaniæ imperantem, quid denique Romam ipsam totius fere orbis terrarũ dominam perculit aliud, nisi legum contemptus, atq; despicientia? Quid euertit Corinthum, quid Numantiam, quid Assyriorum imperium sustulit, quid Macedonum, nisi iuris ipsius neglectio? Ergo legum obseruatio est honoranda.

Et honorandum, atque inhonorandum sunt contraria. Ac illud quidem conuenit legi, & magnifaciendum est: hoc vero non conuenit, & despiciendum est, atque vitandum.

10. Ex adiunctis: Ratio, qua nihil in omni cœlo, atque terra diuinius esse existimatur, & in homine est, & in Deo: iisque inter quos est rationis societas: est etiam recta ratio communis: & recta ratio est lex: ergo lex homines cũ Diis

consociat, & ob id valde honoranda est. Præterea si inter homines & Deos est communio legis, & iuris, adiungitur, vt sint eiusdem ciuitatis, id est, huius communis ciuitatis, qui mundus vocatur. Quod si sunt eiusdem ciuitatis, & qui sunt eiusdem ciuitatis, agnatione, & gente tenentur, adiungitur, vt Deorum agnatione, & gente teneri homines videantur. Cumque id per legem fiat, honorandam esse legẽ, negari non potest.

Et rei honorandæ adiungitur, vt ab ea multæ vtilitates, multaque ornamenta proficiscantur. Quare merito esse honorandæ leges, & legum studia videntur, quæ diuitias afferre magnas iurisperito in ciuitate existimãtur: quibusque nihil ad gloriam adipiscendam, & ad honores consequendos est opportunius. Fiunt enim iurisperiti ditissimi, ac Rerump. gubernatores.

11. Ex antecedentibus: Si lex vnicuiq; tribuit, quod suũ est, honoranda est: At tribuit: Ergo honoranda.

Si honorandum est, quod benefacit, vel benefacere potest, lex honoranda est. At quod primum est. Quod sequitur igitur.

12. Ex consequentibus: Si lex non esset honoranda, ius suum vnicuique non tribueret. At tribuit. Ergo honorãda.

Si lex non esset honoranda, illud non esset honorãdum, quod benefacit, vel benefacere potest: At illud est honorãdum, quod benefacit, vel benefacere potest: Ergo lex est honoranda.

13. Ex repugnantibus: Illa inter se repugnant, esse legẽ, & nõ esse iustam. Quare non omnia, quæ pro legibus scripta sunt, leges haberi oportet. Ecquis enim nominauerit leges Dionysij, Alexandri Pherei, Phalaridis, aliorumq; immanium tyrannorum decreta? *Anne latrocinari, furari, adulterare, testamenta falsa supponere, iura erunt, quia hac voluntate, & iussu alicuius tyranni, vel suffragijs, & scitis imperitæ multitudinis proponi publice possint?* Nullo enim modo separari lex a iustitia potest. Quamobrẽ, quod malum est, id iniustum: quod iniustum, id non legitimũ: quod non legitimum, id ex lege non esse censendum est.

Præterea aliquid esse iustum, & non honorandum, pugnãt inter se. Itaq; si lex iusta est, quomodo non honorãda?

14. Ex caussis: Legis caussa est diuina: ergo lex est effectus diuinus, & hoc modo honoranda. Id quod vel ab illis significatum est, qui ferentes populis leges non se illarum inuentores, sed aliquem Deum prædicarunt. Etenim *N. Pompilius*, qui populum Rom. summa æquitate, & prudentia statim post Romulum rexit, dicebat sibi cum dea Aegeria cõgressus esse nocturnos, eiusque monitu se ea, quæ accepta diis immortalibus forent, instituere. Draco, & Solo legum inuentionem in Mineruam retulerunt. Lycurgus, & Charondas, & Minos, quidquid instituerunt, id se ab Apolline, à Saturno, à Ioue accepisse dixerunt. Plato autem, omne inuentum Ioui, & Apollini: & Zoroastres Horomasi tribuit: & Zamolsis iura sua accepta veste: Trismegistus vero Mercurio retulit: & Moses non alicui ficto numini, quemadmodum ceteri, sed illi optimo, maximoque Deo, cuius nutu, & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur, tribuit leges ab ipso institutas. *Accedit, quod natura quoque caussa est legis, & quidem honoranda: vnde sequitur, etiam legem honorandam esse.* Quis enim non intelligat, natura nos esse propensos ad diligendos homines, quod aiunt fundamentum esse iuris: eademque natura ab iniuria nos arceri angere conscientiæ, fraudisq; cruciatu? Id quod summi quondam Poetæ fictis fabulis prodiderunt, cũ Eumenides, quarum & Athenis fanum erat, & apud Romanos Lucus Furinæ, speculatrices esse, ac vindices facinorum, & scelerum: eosque qui aliquid impie, scelerateque commisissent, tædis ardentibus agitare, & perterrere dixerunt.

Et caussa honoris est beneficium, vel benefica voluntas. Quæ quidem caussa cum in lege reperiatur, vt omnibus benefaciat, aut benefacere propositum habeat, quis eam honorandam esse, non confiteatur?

15. Ex effectibus: Legis effectus sunt honorandi: ergo lex est honoranda: qua nihil vtilius humano generi datum esse constat. *Quæ enim res alia homines ad virtutem inflammat, hortatur ad decus, reuocat à flagitio?* Quæ vis alia efficit, vt auguste, ac sancte veneremur Deum: patriæ, quæ communis est omnium nostrum parens, seruiamus: parentes, à quibus vita, patrimonium, libertas, ciuitas nobis tradita est, charissimos habeamus: vxores amemus: ac liberos

educemus? Quæ virtus alia docet, clientelæ, cognationis, affinitatis, amicitiæ rationem habendam: promissa, pacta, conuenta esse seruanda: proditiones, insidias, seditiones, stupra, corruptelas, adulteria, incesta vindicāda? Quod bonum aliud pupillos, & viduas tuetur, pauperes seruat, innocentes, qui potētium opibus circumueniri, atque vrgeri videntur, consolatur? Quæ manus alia voluptatibus bonorum imitatricibus, malorum autem matribus omniū, & doloribus, quibus humanæ sæpe mentes obcæcantur, quasi immanissimis belluis adhibet frena? Denique, cum in animis nostris insita sit, atque innata imperandi cupiditas, nihil profectò aliud ad ipsum imperium comparādum lege aptius inuenitur, cum per eam nobis parere diues, nobis reges obedire, nobis imperatores ipsi obtemperare videantur: vt merito Iuriscōsulti duces ducum, reges regum, & imperatores imperatorum sint appellandi.

Et rerum honorandarum effectus sunt honorādi, vt benefacere omnibus, quæcunque occasio offeratur, & propensionem quandam præ se ferre ad benefaciendum. Qui effectus conueniunt legi, & iis, qui legum studium profitentur. Idcircoque lex honoranda est.

16. Ex maiori: Si lex inter probos viros honoranda non esset, multo minus inter improbos homines honoranda esse videretur. Atque si, quod magis benefacit, honorandū non esset, multo minus quod minus benefacit, honorandum esset. vt si lex, quæ magis benefacit, quam temperantiæ opus, honoranda non esset, multo minus temperantiæ opus, quod minus benefacit, cum sit bonum minus commune, honorandum esse videretur.

17. Ex minori: At lex etiam inter improbos homines honore digna existimatur. Ergo multo magis honoranda inter probos viros censenda est. An vero Bergulo Illyrico, Viriato Lusitano, aliisque latronibus æquabiliter prædā dispertientibus honore, & obseruantia dignas visas fuisse leges, tamquam necessarias ad opes firmandas, atq; augēdas fatebimur: viris autem bonis vendentibus, ementibus, conducentibus, locantibus, aliaque negocia contrahentibus, non esse dignas leges, quæ obseruentur, & honorentur, putabimus?

Atque

Atque, si temperantiæ opus est honorandum, quanto magis lex, & iustitiæ opus esse honorandum, debet existimari? Bonum enim, quo cõmunius est, eo maius est, vt docet Arist. lib. 1. Eth.

18. Ex pari: Res pariter antiquæ, sunt pariter honorandæ: At lex, & mens diuina sunt vetustate pares: ergo tam vna, quam altera est honoranda. Non enim existimare debemus, tum denique incepisse legem, cum scripta est: quia non à scriptis originem duxit: sed vna cum mente diuina, quæ sine ratione, ac lege esse non potest, semper fuit: vel tam honoranda est lex, quam philosophia: vtraque enim æque nos Deo quam simillimos reddit. Etenim, cum alia omnia in Deo præstantissima sunt, atque optima, tum nihil præstantius, ac melius, quam duplex ratio: altera, qua rerum omnium notitiam habet, & intelligit veritatem: altera, qua humanæ vniuersitatis saluti consulit, & eius quadã procuratione tenetur. Hac duplici ratione, quã legem esse constat, si non reuera homines ad Dei conditionem accedunt, præsertim vero dum his infirmis corporum compagibus, & his terrenis membrorum vinculis detinentur: at certe, quoad humana patitur natura, videntur accedere, dũ tam philosophi, qui philosophiam quandam Dei similitudinem definiuerunt, quam iurisconsulti, qui legitimã profitentur philosophiam, rerum caussas inuestigant, & omnibus rebus sequendam esse naturam contemplantur; atque actiones omnes intuentur, considerant, & perpendũt, vitæ autem degendæ, familiæ custodiendæ, Reipub. gerendæ modum ostendunt, & mores conformando, propinquũ propinquo, ciuem ciui, hospitem hospiti, omnino hominẽ homini conciliando, ac populis leges, & iudicia administrando, excellenti quadam voluntate de genere humano bene merentur: vt, quemadmodum Deus recte a nobis nõ sapientissimus solum, sed optimus etiam, ac maximus appellatur: ita diuino beneficio tam illi, qui sunt veri philosophi, quam illi qui sunt veri iurisconsulti, non modo sapientissimi, & prudentissimi, sed etiam beneficentissimi, & excellentissimi merito nominentur, & tamquam diuinitate quadam præditi honorandi esse videantur.

Ac res sunt pariter honorandæ, quæ pariter prosunt.

Quod cum pariter efficiant lex & philosophia, sequitur, vt pariter debeant honorari.

Illud addendum est, quod, tametsi in superiori quæstione ex omnibus locis argumenta sumpsimus ratione subiecti, & prædicati: tamen, cum aliqua quæstio est pertractanda, adhibendum est iudicium, vt meliora argumenta eligãtur: quia non omnes loci in omnem quæstionem possunt conuenire. Nam, quemadmodum scriptum reliquit Cicero lib. 2. de inuen. vt omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus litteris scribitur: sic omnem in quæstionem non omnis argumentorum copia, sed eorum necessaria pars aliqua conueniet. & ab eodem scriptum est in partitionibus: In qualibet quæstione scrutandum esse, & quærendum ex omnibus locis: sed adhibendum iudicium, vt leuia argumenta semper reiiciantur, nonnunquam etiam communia prætermittantur, & non necessaria.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS SEXTVS

DE VSV ARTIS RHETORICÆ ARISTOTELIS IN GENERE DELIBERATIVO.

I.



QVI orationem deliberatiuam sit cõfecturus, ei primum vtendum est capite 22. lib. 2. vt eam rem penitus, diligenterque cognoscat, de qua sit acturus, eaque teneat, quæ in eiusmodi re insunt, atque eius propria sunt. Quomodo enim, inqt philosophus, possemus consulere Atheniensibus, vtrum bellandum sit, necne, non tenentes, quæ potentia ipsorum sit, naualisne, an pedestris, vel vtrunque, & ipsa quanta: & reditus qui: vel amici,

amici; vel inimici: præterea vero quæ bella gesserint, & quo modo, & alia huiusmodi? Ratio autem in hoc genere cognoscendi illa, quæ insita sint, & selecta, atque opportunissima, petenda est ex capite 4. lib. 1. vbi traditum est, deliberationem non esse de iis rebus, quæ fiunt ex necessitate, vt cœlum moueri: vel fieri non possunt, vt hominem semper viuere: vel contingunt naturaliter, vt hominem otiri ingeniosum, memorem, robustum: vel contingunt fortuito, vt hominem inuenire thesaurum: sed de iis, quæ contingunt ex voluntate humana, & fieri à nobis possunt, vt de quinque maximis, & præcipuis, de quibus publice consultatur. Nimirum

1. De parandis pecuniis, de quibus duo sunt cognoscenda: Tum vectigalia, vt, si quid desit, adiungatur; si quod minus sit, augeatur.

Tum sumptus ciuitatis, vt aut tollantur, aut minuãtur. Ad quam consultationem duo vtilia sunt: priuatarum rerũ experientia, & historia.

2. De bello, & pace, de quibus tenenda sunt quattuor:
   1. Facultas ciuitatis:
   2. Bella eius, & finitimorum, & eorum, quibuscum bellandum, vel non bellandum sit:
   3. Facultates, an similes, an dissimiles sint:
   4. Bella etiam aliena; vt ex rebus gestis aliorum de futuris, quæ ad nos pertineant, coniecturam faciamus.

3. De custodia regionis, de qua cognoscenda sunt quatuor:
   1. Modus custodiendi:
   2. Multitudo custodum:
   3. Forma præsidiorum:
   4. Loca eorundem præsidiorum.

Quæ omnia cognoscuntur per peritiam regionis.

4. De rebus ad victum pertinentibus, de quibus quattuor sunt scienda:
   1. Quãtus sumptus sit necessarius ad rem cibariã:
   2. Quid habeatur tum natiuum, tum ascitum:
   3. Quæ sint exportanda:
   4. Quæ importanda.

5. De legibus ferendis, de quibus quattuor sunt obseruanda:

1. Quot, & quę sint formę Rerumpub. vt qualis sit nostra cognoscatur:
2. Quæ vnicuique prosint: vt quæ ad Reipub. finem pertineant:
3. Quomodo corrumpantur, vel à propriis, vel à contrariis:
4. Qui fuerit superior Reipub. status, & proprius, vel alienus.

Ad quam consultationem duo maxime prosunt, peregrinatio, & historia.

II.

COgnita diligenter, penitusque perspecta re illa, qua de agendum est, obseruanda est natura generis, in quo futura oratio est, ex capite 3. lib. 1. vt quattuor spectentur:

1. Auditor, qui est disceptator rerum futurarum, ad quem accommodanda oratio est:
2. Partes, quæ sunt suasio, & dissuasio, quarum ita altera est eligenda, vt in alterum non incurratur:
3. Tempus, quod futurũ est, de quo agere hominis prudentissimi est:
4. Finis, qui est vtile, & perniciosum: semper enim hunc finem spectare in deliberationibus debemus: alia vero assumere, si possimus, vel iustum, vel iniustum, vel honestum, vel turpe: sin minus, dimittere, & proprium finem tantum pertractare, qui nunquam dimittendus videtur:

III.

ADdenda est cognitio status, seu constitutionis, quæ ab Aristotele controuersia nuncupatur: & est prima conflictio dictorum contrariorũ, quo argumenta omnia sunt referenda. De hac in lib. 3. cap. 17. ad hunc modum: In deliberatiuis,

1. Aut contenderit aliquis, non futura esse:
2. Aut futura quidem, quę ille censet, sed non iusta:
3. Aut non vtilia:

4. Aut

4. Aut non tanta.

Cum autem omnis deliberatio ſit rerum futurarum, omnem de rebus futuris controuerſiam πραγματικὴν, id eſt, negotialem Hermogenes appellat, cuius tractationem vtile erit in hoc genere obſeruare: ſed prius intelligendum eſt, in quot, & quas ſpecies apud ipſum Hermogenem, auctorem talium rerum grauiſſimum, ſtatus ſit diſtributus. Id quod ex ſequenti patebit deſcriptione.

Στάσις Status eſt duplex,
- in quo obſcura eſt iudicatio, qui dicitur στοχασμὸς, coniecturalis.
- in quo eſt manifeſta iudicatio
  - vel infinita, qui dicitur ὅρος definitiuus.
  - vel finita q dicitur ποιότης generalis & habet quæſtionẽ,
    - vel de re, & dicit λογικὴ rationalis,
      - de re futura πραγματικὴ negotialis.
      - de re præterita δικαιολογία iuridicialis:
        - ἀντίληψις abſolutus.
        - ἀντίθεσις aſſumptiuus
          - ἀντίστασις comparatio.
          - ἀντέγκλημα relatio criminis.
          - μετάστασις remotio criminis.
          - συγγνώμη cõceſſio.
    - vel de ſcripto & dicit νομικὴ legitimus
      - ῥητὸν, καὶ διάνοια ſcriptum, & ſententia.
      - συλλογισμὸς ratiocinatiuum.
      - ἀντινομία contrariæ leges, ſeu cõtrarietas ex lege.
      - ἀμφιβολία ambiguũ.

Est præterea status, qui dicitur μετάληψις, translatiuus,

Non An sit:
Nec Quid: } Sed an oporteat quærere { An. Quid. Quale.
Nec Quale.

Omnino, an oporteat in litem descendere: est enim παραγραφὴ & exceptio {
- partim in scripto, a scripto aliquo accipiés quæstionem.
- partim sine scripto de { loco, tempore, persona, caussa, modo }

1. Status coniecturalis est in hunc modum: Deprehensus est, qui sepeliebat nuper mortuum corpus in deserto, & cædis accusatur.

2. Status definitiuus: Ex sacro priuatus quis surripuit pecunias. Iubēte lege sacrilegum quidem mori: furem vero dare duplum: tamquam sacrilegus in iudicium vocatur: dicit se furem esse.

3. Cum status generalis sit vel rationalis, vel legitimus: & rationalis sit vel negocialis, vel iuridicialis: status negocialis est sic: Deliberant Athenienses, an oporteat sepelire cæsos in Marathone ex barbaris. vbi obseruandum est Negocialem Ciceronis differre à Negociali Hermogenis. Nā ille comprehendit omnes caussas, quę ex iure ciuili pendēt: hic caussas deliberatiui generis. Caussæ enim ex iure ciuili pendentes apud Hermogenem ad status legitimos referuntur.

Præterea cum status iuridicialis sit vel absolutus, vel assumptiuus: exemplum absoluti est: Agricola philosophantem filium abdicat: & contendit se iuste agere.

Cumque assumptiuus sit vel comparatio, vel relatio criminis, vel remotio criminis, vel concessio:

Compa-

Comparatio eſt, cum reus in ſeipſum totum factum refert, & confitetur, ſe aliquid iniuſte feciſſe, ita tamen, vt aliquod beneficium maius ex eo iniuſto extitiſſe argumentetur.

Relatio criminis eſt, cum reus refert factum in eum, qui paſſus eſt. Remotio criminis eſt, cum reus refert factum in rem aliquam, vel perſonam, quæ culpæ affinis eſſe poſſit, vt Legatus, quem triginta dierũ ſpatio exire oportebat, mille drachmis acceptis in viaticum à Quæſtore, non accepit: & ob id non exiuit: deinde accuſatur.

Conceſſio eſt, cum reus refert factum in id, quod culpæ affine eſſe non poteſt, vt Deum præfecti militares, cũ propter tempeſtatem caſtra non mutaſſent, accuſati ſunt.

Cum ſtatus legitimus ſit quadruplex, exemplum ſtatus ex ſcripto, & ſententia eſt: Qui mœnia aſcenderit, capite puniatur. Quidam in obſidione vrbis mœnia aſcendens de Reip. meritus eſt: & ex verbis legis accuſatur, ſed ex ſententia defenditur.

Exemplum ratiocinatiui eſt, Ex adultera natum non concionari: ex meretrice natum ſententiam dicere prohibet quiſpiam, non ſcriptum cum ſcripto conferens.

Exemplum ex cõtrariis legibus eſt, Exheredatus nequid patrimonij participato. In naufraga naui qui remanſerit, dominus eſto nauis.

In naufraga naui exheredatus remãſit, & cuſtodit eam, vt rem patris, vel ex contrarietate orta à lege, Stuprata vel nuptias ſtuprantis, vel mortem eligito. Duas vnus ſtuprauit. Hæc quidem nuptias huius: altera vero mortem elegit.

Exemplum ambigui eſt, Meretrix ſi coronam auream geſtauerit, publica eſto. Quæritur, an publicanda ſit meretrix, an corona. Status tranſlatiuus eſt manifeſtus.

Addit Ariſtoteles ſtatum quantitatis, lib. 3. cap. 17.

In genere autem deliberatiuo potiſſimum cognoſcere debemus στάσιν πραγματικήν, id eſt, ſtatum negotialem proprium deliberationum, qui ſex rebus tractatur:

1. Νομίμῳ, id eſt, legitimo,

Quod partim ſpectatur κατὰ ῥητὸν, in ſcripto, & pertinet ad ſtatus legitimos.

Partim μὴ ἀπὸ ῥητοῦ non in scripto, vt cum quæritur τὸ ἔθος ὡς νόμιμον, consuetudo tamquam legitimũ, & tractatur per

- ἔνστασιν, id est, instantiam, vt post ea, quæ in Pylo gesta sunt, Cleon dignum existimabat se Pythium appellari, & dicebat, Non peto noua: nã etiã Pericles fuit Olympius nominatus.
- ἀντιπαράστασιν, vt Noua quidem peto, quia magna gessi.

2. Δικαίῳ, id est, iusto, de quo in statu iuridiciali, & in genere iudiciali.

Hæc autem duo argumenta à legitimo, & à iusto, assumuntur ex genere iudiciali, si assumi possint, cum vnum genus seruiat alteri. auctor Arist. lib. 1. Rhet. cap. 3.

3. Συμφέροντι, id est vtili, quod est proprium argumentum generis iudicialis, tamquam proprius finis, & est duplex. — Χρήσιμον, conducibile.
— ἀναγκαῖον, necessarium.

Et dupliciter spectatur,
Quid facientibus nobis contigerit.
Quid non facientibus nobis etiam contigerit.

Nam nobis id facientibus, quod suadetur quattuor cõtingent.

1. ὑπάρχοντα ἀγαθὰ παραμένει quę adsunt bona permanebunt.
2. τὰ οὐκ ὄντα προσέσται quæ non adsunt aduenient.
3. τὰ ὑπάρχοντα φαῦλα οὐ παραμένει quæ adsunt mala non permanebunt.
4. τὰ οὐκ ὄντα οὐ προσληψόμεθα quæ non adsunt, non assequemur.

Nobis vero id non facientibus, quattuor contingent.

1. τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθὰ ἀπολεῖται: quæ adsunt bona, perdentur.
2. τὰ οὐκ ὄντα, προσγενησόμεθα δὲ οὐ προσέσται quæ non adsunt, sed erant euentura, non euenient.
3. τὰ ὑπάρχοντα φαῦλα παραμένει quæ adsunt mala permanebunt.

4. τὰ

4. τὰ οὐκ ὄντα φαῦλα συμβήσεται quæ non adſunt mala, accident.

4. Δυνατῷ, id eſt, eo, quod fieri poteſt, quod eſt duplex
- οὐ χαλεπὸν: non difficile, vel ſimpliciter, vel cōparate.
  - per αὔξησιν — quod non χαλεπὸν difficile.
  - per ἀντιπαράστασιν — quod quamuis χαλεπὸν, neceſſarium tamen, ne incidamus εἰς χαλεπότερα, in difficiliora.
- ῥᾴδιον. facile.

Et δυνατὸν cōſideratur — ἐκ παρακολουθούντων προσώποις: ex iis, quæ ſunt attributa perſonis.

PHILIPPVS
ſenex:
inuiſus ſuis:
carens claſſe, pecuniis, & eiuſmodi.

Et quamuis poſſibile ſit commune aliis generibus cauſſarum: tamen eſt magis proprium deliberatiui, vt dicetur in argumentis.

5. Ἐνδόξῳ, id eſt, glorioſo, & honeſto, quod aſſumitur ex genere demonſtratiuo.

Si hoc fecerimus, qua laus conſequetur.
Si non fecerimus, quod probrum eueniet.

6. Τῷ ἐκβησομένῳ, id eſt, euenturo, κατὰ ὑπόθεσιν εἰς ἑκάτερα ἐκβαινόντων: ſecundum ſuppoſitionem, in vtraque capita eorū, quę eueniant, vt ſiue vincemus, ſiue non, auxiliari tamen vtile erit.

IIII.

CVm ſtatus eſt cognitus, habenda ratio eſt argumentorum, quę à quattuor vberrimis, quaſi fontibus ducun-

tur, tũ à propositionibus propriis eius generis, in quo versatur oratio: tum à propositionibus assumptis ex aliis generibus, si assumi possint: tum à propositionibus communibus, quæ tamen magis propriæ sint illius generis, in quo loqueris: tum à locis Topicis. propositiones propriæ generis lib. 1 cap. 2. appellantur formæ propositiones assumptas voco, quæ præter proprium finem eius generis, in quo versamur, ducuntur a finibus aliorum generum, vt traditum est eodem lib. 1. cap. 3. Propositiones communes quamuis communiter conueniant omnibus generibus: tamen quędam cuidam generi magis conueniunt, quàm aliis, vt docet Arist. lib. 2. cap. 18. Loci Topici ad quamlibet quæstionẽ pertractandam pertinent. Iam in genere deliberatiuo primum animo perlustrandæ sunt propositiones deliberatiui, nimirum quæ probant aliquid esse vtile, vel perniciosum: & apud Aristotelem lib. 1 quattuor modis considerantur. Tum cap. 5. quatenus sunt eorum, quæ parant felicitatem, vel partem aliquam felicitatis. Etenim, inquit ille, de hac, & de iis, quæ ad hanc referuntur, & de iis, quæ huic cõtraria sunt, omnibus existunt & suasiones, & dissuasiones. Quæ enim hanc, vel particulam aliquam parant, vel maiorem ex minori efficiunt, oportet agere. Quæ vero corrũpunt, vel impediunt, vel contraria efficiunt, non agere. Quamobrem cognoscendum est, quid sit felicitas, & quæ sint partes eius, vt ad eas comparandas, retinendas, augendas fiant adhortationes, à contrariis dehortationes. Tum cap. 6. quatenus sunt bonorum confessorum, id est, eorum, quæ omnes esse bona confitentur, ità vt de illis nemo fere dubitare videatur. Tum eodem capite, quatenus sunt bonorum controuersorum, de quibus quandoque potest existere controuersia, vtrũ sint bona, necne. Tum cap. 7. quatenus sunt bonorum comparatorum, ex quorum collatione probatur, quod maius, quod minus sit. Atq; hæc est prima ratio parandorum argumentorum. Altera ratio est, vt videamus, an assumi possit à genere iudiciali iustum, vel iniustum: & à demõstratiuo honestum, vel turpe: ita vt illud, quod suadetur tamquam vtile, dicatur etiam iustũ, & honestum: & illud, quod dissuadetur, tamquam perniciosum, ostendatur quoque iniustum, & turpe. Quæ si assumi non possint,

possint, satis esse debebunt argumenta vtilitatis nunquam in deliberationibus prætermittenda. Illi enim, qui deliberant, inquit Aristoteles cap. 3. alia quidem sæpenumero dimittunt: se vero inutilia suadere, aut ab vtilibus dissuadere, non confitebuntur. Tertia ratio est, vt propositiones communes animo perlustrentur, in primis illæ, quæ tametsi omnibus generibus communes sunt, tamen ei generi, quod tractamus, magis accommodatæ sunt. Nam, quemadmodum propositiones facti, & non facti generi judiciali aptissimæ sunt: magni, & parui demõstratiuo: sic eius, quod fieri, & eius, quod non fieri potest, futuri, & non futuri deliberatiuo, vt legitur lib. 2. cap. 18. de quibus propositionibus agitur cap. 19. Postrema ratio est, vt parentur argumenta à locis Topicis, tum ab iis, qui sunt enthymematum verorũ, & declarantur cap. 23. tum ab iis, qui sunt enthymematum adumbratorum, & explicantur cap. 24. tum ab iis, qui sunt enthymematum dissoluendorum, & explanantur cap. 25. Cum autem loci Topici fuerint à nobis expositi in quęstionibus infinitis: & propositiones, quæ solent assumi ex aliis generibus, ex præceptis illorum generum peti queant: enumerandæ hic sunt tum propositiones propriæ generis deliberatiui: tum propositiones communes magis deliberatiuo, quam aliis generibus accommodatæ.

PROPOSITIONES PROPRIÆ GENERIS DELIBERATIVI.

PRimo loco sunt eorum, quę parant felicitatem, vel partem aliquam felicitatis, cap. 5. lib. 1. Rhet.

Est autem felicitas

ex sententia Arist.
1. Bona actio cum virtute:
2. Sibi sufficiens vita:

ex sentent. aliorũ
3. Vita iucundissima cum securitate:
4. Bona constitutio possessionum, & corporum, cum facultate talium rerum conseruatrice, atque effectrice.

Et partes felicitatis sunt: Partim extra ipsum – vt nobilitas, multa proles, bona proles, diuitiæ, bona fama, honor,

multorum amicitia, bonorum amicitia, bona fortuna.

partim in ipso:
- corpore, vt quinque virtutes, sanitas, pulchritudo, robur, magnitudo, facultas certandi, præterea etiam bona senectus.
- animo, vt prudentia, fortitudo, iustitia, temperantia.

Ac nobilitas quidem est duplex:

1. Publica, quæ requirit quattuor:
   1. Vt populi sint indigenæ:
   2. Vt antiqui:
   3. Vt eorum auctores fuerint illustres:
   4. Vt multi in ipsis fuerint illustres.

2. Priuata, quæ itidem requirit quattuor:
   1. Vt existat tum à viris, tum à feminis:
   2. Vt legitima sit origo:
   3. Vt auctores generis fuerint illustres:
   4. Vt multi in familia illustres.

Cum multa proles manifesta sit:

Bona proles cernitur,
- Partim publica — Potissimum in iuuenibus, in quibus spectātur. — tum corporis virtutes, tum animi virtutes temperātia, & fortitudo.
- Partim priuata — Potissimum in fœminis, in quibus debent esse: Duæ virtutes corporis — pulchritudo, magnitudo. Duæ virtutes animi — temperantia, operis studiū sine sordibus.

1. Diui-

1. Diuitiarum partes ſunt,
- tum inanimatæ
  - vel mobiles, vt numi, & ſupellectilia:
  - vel immobiles, vt multitudo terræ, locorum poſſeſſiones.
- tum animatæ
  - vel participes ratiõis, vt ſerui.
  - vel expertes ratiõis, vt pecora.

2. Atq; in diuitiis
- Quædam ſunt ſecura, quæ poſſidentur eo in loco, & eo modo, vt in poſſidentis arbitrio ſit ipſorum vſus.
- Quædam liberalia, quæ ſunt ad voluptatem.
- Quædam vtilia, ex quibus fructus percipiuntur.

3. Conſiſtunt autem diuitiæ magis in vtendo, quam in poſſidendo.

Bona fama eſt,
- Si quis exiſtimetur ab omnibus virtute præditus:
- vel habere aliquid, quod alij appetunt.

1. Honor eſt ſignum honorantis, quod ſignificat beneficam opinionem honorati.

2. Honorantur vero
- qui benefecerunt.
- qui benefacere poſſunt.

3. Et beneficium eſt
- vel ad ſalutem:
- vel ad diuitias:
- vel ad aliquod aliud bonum, cuius non facilis ſit poſſeſſio:
- vel cum datur omnino:
- vel vbi oportet:
- vel quando oportet.

4. Ac honoris partes ſunt 1. ſacrificia. 2. monumenta in metris, vel ſine metris. 3. præmia. 4. delubra. 5. præſeſſiones. 6. ſepulchra. 7. ſtatuæ. 8. nutrimenta publica. 9. barbaricæ adorationes. 10. barbaricæ exceſſiones. 11. dona quorum ſunt amantes: tum ſtudioſi pecuniæ, quatenus

donũ est traditio possessionis: tum studiosi honoris quatenus donum est signum honoris.

Sanitas requirit duo: non solum, vt corpora sint morborum expertia: sed etiam vt habeant vsum rerum.

In iuuentutis pulchritudine requiruntur duo: corporis vtilitas ad labores & ad cursum, & ad vim: iucunditas ad voluptatem.

In pulchritudine vigentis ætatis duo: corporis vtilitas ad labores bellicos: iucunditas cum terrore.

In pulchritudine senectutis duo: corporis vtilitas ad labores necessarios: indolentia.

Robur est facultas mouendi alterũ, id est,
- trahendi:
- pellendi:
- tollendi:
- deprimendi:
- collidendi:

Virtus magnitudinis duo requirit, exuperantiam: ne propter exuperantiam tardiores reddantur motiones.

Certandi facultas spectatur:

1. In cursu, vnde cursores:
2. In lucta, vnde luctatores:
3. In pugilatu, vnde pugiles:
4. In lucta, & pugilatu simul, in quibus valebãt Pancratiastici:
5. In cursu, lucta, & pugilatu, in quibus valebant Quinquertiones.

Bona senectus requirit duo
- tarditatem:
- indolentiam.

Constat
- partim ex bonis corporis, vt sanitate, robore:
- partim ex bonis fortunæ, vt diutius duret.

Amicitia multorum, & bonorum patet ex definitione amici: Quicunque eorum, quæ arbitratur bona esse illi, cui est amicus, effector est propter illum.

1. Bona fortuna est, cum adsunt ea bona, quorum fortuna est caussa.

2. Et

2. Et fortuna est caussa nonnullorum, quorum etiam ars, vt sanitatis, quæ si præter rationem eueniat, à fortuna dicitur euenire: & nonnullorum, quorum etiam natura, vt pulchritudinis, & magnitudinis, quæ quandoq; fiunt præter rationem, vt si ex multis fratribus vnus sit pulcher, & magnus, alij deformes, & parui.

3. Signa earum rerũ, quæ à fortuna proficiscũtur sunt,
Vt in illis versetur inuidia:
Vt fiant præter rationem.

De virtutibus animi proprius locus est in genere demõstratiuo.

PROPOSITIONES PROPRIÆ GENERIS DELIBERATIVI:

Secundo loco sunt bonorum confessorum, & enumerantur decem cap. 6. in hunc modum:

1. Bonum est, quod per se eligendum est, vt honestum: amicus, & amicitia: felicitas: viuere.

2. Cuius caussa eligimus aliud, vt felicitas, gloria.

3. Quod appetitur ab omnibus, vt voluptas.

4. Quod est bonum ex communi intelligentia, vt adiuuare patriam, amicos, propinquos.

5. Quod est singulis accommodatũ, vt classis Venetis, equitatus Cæsari.

6. Quo præsente res bene se habet, vt virtus animi, & corporis.

7. Quod sibi sufficiens est, vt felicitas.

8. Quod idoneum est ad bona efficienda tripliciter:
Tamquam naturale aliquid, vt æquilibritas quattuor qualitatum efficit sanitatem:
Tamquam instrumentum, vt cibaria:
Tamquam actio, vt exercitatio corporis.

Hoc modo dicuntur esse bona virtutes animi, & corporis: iucunda: honesta: diuitiæ: amicus, & amicitia: honor, & gloria: ingenium, memoria, docilitas, velox animi motus: scientiæ, artes, quia talia idonea sunt ad bona efficienda.

9. Quod habet consequentia bona, dupliciter:
Vel post, vt si discimus, consequitur post, vt sciamus:

Vel simul, vt si sani sumus, simul consequitur, vt viuamus.

Vt sumptiones bonorum habent hoc consequẽs simul, vt non habeamus malum:

Et depulsiones malorum habent hoc consequens post, vt habeamus bonum.

Et bona est pro minori bono maioris sumptio:

Et pro maiori malo minoris sumptio.

Et honor, & gloria habent hoc consequens plerunque, vt adsint illa, in quibus honorantur.

10. Quod habet vim prohibendi contraria, vt scientia rei militaris, præsidia militum, tormenta militaria.

PROPOSITIONES PROPRIÆ GENERIS DELIBERATIVI.

Tertio loco sunt bonorum controuersorum, & enumerantur tres & viginti cap. 6. vt infra notatum est.

1. Bonum est, cuius contrarium est malum: vt bellum malum: ergo pax bona. paupertas mala: ergo diuitię bonę.

2. Cuius contrarium inimicis prodest, vt timidos nos esse inimicis prodest: ergo fortes nos esse nobis bonum est.

3. Cuius contrarium inimici volunt, vt inimici discordiam inter nos volunt: ergo concordia nobis bona.

4. Cuius non est nimium, vt virtutis non est nimium: ergo virtus bona.

5. Cuius caussa multum laboratum est, & multum insumptum, vt doctrinæ caussa multi labores, & sumptus suscipiuntur: ergo doctrina bona.

6. Quod multi appetunt, & quod apparet pugna dignum, vt magistratus multi appetũt, & propter eos pugnatur: ergo magistratus boni.

7. Quod laudandum est, vt diuitem esse laudãdum est: ergo bonum.

8. Quod inimici, & improbi laudant, vt Scipionem etiam Annibal laudauit, tamquam bonum Imperatorem: ergo Scipio bonus.

9. Quod ex prudẽtibus aliquis, vel bonis viris, vel mulieribus iudicauit esse bonum, vt Achillem Homerus.

10. Quod præeligendum est, vt mala euenire inimicis.

11. Quod

11. Quod volunt, vt homines volunt malum minus.

12. Quod proprium est, vt vxor viri propria.

13. Quod nemo alius habet, vt quinque summa habuit Crassus, ditissimus, nobilissimus, eloquentissimus, iurispe-ritissimus, pontifex maximus.

14. Quod eximium est, vt aulæa Luculli.

15. Quod congruens ipsis, vt eximia cōnubia diuitibus.

16. Quod deficit, vt Dario aqua deficiebat in fuga.

17. Quod bene deducitur in actum, vt si facile a princi-pe vrbs aliqua occupari queat.

18. Quod gratū est amicis, & odiosum inimicis, vt nos obtinere dignitates, & sequi studia litterarum.

19. Quod præeligunt illi, quos admiramur, vt studium legum.

20. In quo ingeniosi sumus, & experti, vt in sua quisque arte.

21. Quod nemo improbus eligit, vt vita solitaria.

22. Quod cupiunt, vt honores, & imperia.

23. In quo singuli tales sunt, vt studiosi victoriæ, studio-si honoris, studiosi pecuniarum, & aliarum rerum.

PROPOSITIONES GENERIS DELIBERATIVI PROPRIAE.

Quarto loco sunt bonorum comparatorum, & enume-rantur septem & sexaginta cap. 7.

1. Plura vno, & paucioribus, si illud vnum, vel illa pau-ciora connumerata sint, maius bonum sunt, vt sapientia, robur, & diuitiæ simul, quam sapientia sola.

2. Si maximum superat maximum, etiam genera supe-rant genera, & è conuerso: vt si maximus iurisconsultus est maior maximo medico, etiam generatim iuriscōsulti sunt maiores medicis: & è conuerso.

3. Quod non consequitur, est maius.

Vel maius bonum, vt si sanus est, simul consequitur, vt viuat: si viuit simul non consequitur, vt sanus sit: ergo sanū esse, maius bonum est, quam viuere.

Vel maius, id est, latius, vt si discit, posterius consequi-tur, vt sciat: si scit, posterius non consequitur, vt discat: ergo discere maius est, & latius, quam scire.

Vel maius vitium, vt si sacrilegus est, facultate consequitur, vt sit fur: si fur est: facultate nō consequitur, vt sit sacrilegus: ergo sacrilegium est maius, quam furtum.

4. Quod magis superat, est maius, vt Dictatura magis superat Præturam, quam Consulatus: & Pōtificatus magis superat Episcopatum, quam Cardinalatus.

5. Quod est efficiens maioris boni, maius est, vt Philosophia est efficiens maioris boni, quæ curat animum, quā medicina, quæ curat corpus.

6. Cuius efficiens est maius, etiam ipsum est maius, vt salubre efficiens sanitatis est maius, quam iucundum efficiens voluptatis.

7. Quod eligendum per se, quam quod non per se, vt robur, quam salubre.

8. Quod est finis, quam quod non est finis, vt bona habitudo corporis est finis exercitationis.

9. Quod minus indiget, vt sapiens pauper, quam diues auarus.

10. Quod magis sibi sufficit, vt Sol, quam Luna.

11. Quod principium est, maius est, vt Leodamas accusans Callistratum dixit, iniustius egisse eum, qui consuluerit, quam qui egerit: nō enim actū fuisset, nisi consuluisset.

12. Quod est caussa, maius est, vt Leodamas accusans Chabriam dixit iniustiorem fuisse eum, qui egerit, quam qui consuluerit: non enim factum esset, nisi extitisset, qui ageret: nam propter hoc consilium est, vt agant.

13. Quod à maiori principio est, maius est, vt Feudatarius Pontificis, quam Ducis.

14. Quod à maiori caussa est, seu fine, maius est, vt quod fit propter honestatem, quam quod propter vtilitatem.

15. Quod est principium rei maioris, maius est, vt Imperator efficiens victoriæ, quā architectus efficiēs ædificij.

16. Quod est caussa, id est finis rei maioris, est maius, vt honestas, quam lucrum.

17. Rarius, quam copiosum, maius bonum est, vt aurū, quam ferrum propter difficiliorem possessionem.

18. Copiosum, quam rarum, vt aqua, propter frequentiorem vsum.

19. Difficilius, quam facilius, vt fieri sapientem, quam diui-

diuitem,quia rarius.

20. Facilius,quam difficilius, vt fieri equitem, quã doctorem, quia euenit magis ex voluntate.

21. Cui contrarium est maius,vt sanitati est magis contrarium,quam diuitiis.

22. Cuius priuatio est maior, vt libertatis priuatio maior,quam ciuitatis.

23. Virtus,quam nondum virtus, maius bonum est, vt fortitudo, quam accessio ad fortitudinem.

24. Vitium, quam nondum vitium, maius malum est, vt intemperantia,quam accessio ad intemperantiam.

25. Quorũ opera maiora sunt, ea maiora sunt,vt Pompeij opera honestiora, quã Cæsaris: & Catilinæ opera turpiora,quam Clodij.

26. Quorum vitia, & virtutes maiores sunt,etiam opera maiora sunt,vt maior iniustitia fuit Cæsaris, quam Syllæ:& maior clementia Cæsaris, quam Pompeij.

27. Quorum exuperantia electione dignior est, vel honestior illa maiora sunt,vt visus,quam odoratus, sodalium, quam pecuniarum.

28. Meliorum exuperantiæ meliores sunt,vt visus, quã odoratus, & honestiorum honestiores, vt sodalium, quam pecuniarum.

29. Quorum cupiditates honestiores sunt, vel meliores,ea maiora sunt,vt doctrinæ,quam pecuniæ.

30. Honestiorum, vel meliorum cupiditates honestiores,vel meliores sunt,vt doctrinæ,quam pecuniæ.

31. Quorum scientiæ honestiores vel meliores sunt, illa honestiora,vel meliora sunt,vt iuris ciuilis,quã medicinæ.

32. Meliorum,& honestiorum sciẽtiæ,meliores, & honestiores sunt,vt iuris ciuilis,quam medicinæ.

33. Quod iudicarent, vel iudicarunt prudentes, vt honeste mori,quam turpiter viuere.

34. Quod inest melioribus, vt fortitudo, quam robur.

35. Quod eligeret melior,vt iniuria affici, quã afficere.

36. Voluptarium,quam minus voluptarium, vt minus molestum, & diutius voluptarium.

37. Honestius, quam minus honestum, vt opes partę virtute,quam fœnore.

38. Quorum ipsi sibi, aut amicis caussa esse malunt, ea sunt maiora bona, vt longæ vitæ, sanitatis, quietis.

39. Diuturniora, quam minus diuturna, vt bona animi, quam corporis, & externa.

40. Firmiora, quam minus firma, vt bonarum artium cognitio, quam diuitiarum possessio.

41. Quod maioris est coniugatum, maius est: vt quod fortiter agitur, honestius est, & electione dignius, quam quod temperanter agitur: & eius, quod fortiter agitur, cōiugata sunt fortitudo, & fortis: eius vero, quod temperanter agitur, temperantia, & temperans: ergo fortitudo electionė dignior est, quam temperantia: & esse fortem, electione dignius est, quam esse temperantem.

42. Quod omnes eligunt, quam quod non omnes, vt scire, quam diuitias possidere.

43. Quod plures, quam quod pauciores, vt vitam ciuilem plures eligunt, solitariam pauciores.

44. Quod controuersantes, vel inimici, vel iudicantes, vel quos isti iudicant, maius esse affirmant, vt recte sensit Annibal de Africano apud Antiochum, quamuis inimicus.

45. Interdum, cuius omnes participes sunt, maius est, vt habere ius ciuitatis, quam non habere: quia dedecus est eius non esse participem.

46. Interdum, cuius nemo, aut cuius pauci, vt appellari parentem patriæ: quia rarius.

47. Laude digniora, quia honestiora, vt ingenium, quā robur.

48. Quorum honores sunt maiores, sunt maiora, vt iuris ciuilis, quam medicinæ.

49. Quorum pœnæ maiores sunt, maiora sunt, vt sacrilegij, quam furti.

50. Maiora confessis, & iis, quæ magna videtur, vt gloria diuitiis.

51. Quæ diuiduntur in partes, apparent maiora, vt cum fit amplificatio à toto ad partes.

52. Quæ componuntur, & construuntur, maiora vidētur, vt cum fit amplificatio à partibus ad totum.

53. Quæ augentur ex circumstantiis, maiora apparent, vt ex occasionibus, ætatibus, locis, temporibus, facultatibus: vt

bus: vt cum aliquid actum esse dicitur supra facultatem, supra ætatem, supra similes, sic, ibi, tunc.

54. Natiuum, quam ascitum, vt doctrina propriis studiis, & proprio ingenio formata, quam præceptis alienis comparata.

55. Eius, quod magnum est, maxima pars, vt ciuitatis iuuentus, perinde ac anni ver.

56. In maiore necessitate vtilia, vt in senectute, in morbis.

57. Quod propius accedit ad finem, vt Cardinalatus, quam Episcopatus.

58. Quod ipsi bonum est, quam quod simpliciter, vt Venetis Classis.

59. Quod fieri potest, quam quod non potest, vt longinquitas vitæ, quam immortalitas.

60. Quæ posita sunt in fine vitæ, id est, beatitudine, vt virtus, & virtutis actio.

61. Quæ sunt ad veritatem, quam quæ ad opinionem, vt beneficium accipere, quam dare.

62. Quæ magis esse, quam videri volunt, vt sanum esse, quam videri, sunt maiora iis, quæ magis videri, quam esse volunt, vt iustum videri, quam esse.

63. Vtilius ad multa, vt diuitiæ, & sanitas, ad vitam, & bonam vitam, & voluptatem, & rerum honestarum administrationem.

64. Minus molestum, & quod iucundum est, vt indolentia, & voluptas.

65. Ex duobus quod eidem adiunctum maius efficit totum, vt fortitudo adiuncta principi eum maiorem reddit, quam temperantia.

66. Quæ non latent præsentia, quam quæ latent, vt diuitem esse, quam videri.

67. Quod amandum est magis, bonũ est maius, vt vnus oculus vnum oculum habẽti amandus est magis, quam ei, qui duos oculos habeat.

PROPOSITIONES COMMVNES MAGIS GENERI DELIBERATIVO QVAM ALIIS ACCOMMODATAE.

De eo, quod fieri potest, cap. 19 lib. 2.

1. Si contrarium fieri potest, etiam contrarium fieri potest:

Si vt conualuerit, etiam vt ægrotauerit.

2. Si simile, etiam simile.

Si vnus ciuis, etiam alter.

3. Si difficilius, etiam facilius.

Si pulchra domus, etiam simpliciter domus.

4. Si principium, etiam finis.

Si fundamentum, etiam domus.

5. Si finis, etiam principium.

Si domus, etiam fundamentum.

6. Si posterius, etiam prius, & è conuerso.

Si vir, etiam puer, & è conuerso.

7. Quorum amor, vel cupiditas naturaliter est, ea fieri possunt plerunque, vt scientiæ amor, & cupiditas est.

8. Quorum scientiæ, & artes sunt, ea fieri possunt.

Si nauigandi scientia est, potest scite nauigari.

9. Quorum principium, vt oriantur, in iis est, quæ nos coegerimus, & persuaserimus, ea fieri possunt.

Cogere autem possumus nobis subiectos, & seruientes: persuadere vero amicis.

10. Quorum partes fieri possunt, etiã tota fieri possunt.

Si obstragulum, & ligula, & solea, etiam calcei.

11. Quæ tota fieri possunt, etiam eorũ partes fieri possunt.

Si calcei, etiam obstragulum, & ligula, & solea.

12. Si genus, etiam species.

Si nauis, etiam triremis.

13. Si species, etiam genus.

Si triremis, etiam nauis.

14. Si vnum ex relatis, etiam alterum.

Si duplum etiam dimidium: si dimidium, etiam duplum.

15. Si sine arte, vel apparatu, multo magis per artem, & diligentiam.

16. Si à deterioribus, vel inferioribus, vel imprudentioribus, multo magis à contrariis.

De futuro, eodem capite.

1. Quod est in potestate, & voluntate, erit.

2. Quod

2. Quod est in cupiditate, & ira, & ratione commodi cum facultate, erit.

3. Si ante facta sunt, quæcunque vt prius fiant, naturā habent, vt si nubilatum est, verisimile est pluiturum.

4. Si quod est huius caussa, factum est, etiam hoc verisimile factum iri, vt si fundamentum factum est, etiam domus fiet.

V.

PRæter argumenta spectandi sunt mores, quos tradit Arist. lib. 2. c. 1. plus valere in genere deliberatiuo, quā affectus: & lib. 1. cap. 9. appellat secundam fidem. Iam mores partim cernuntur in oratoribus, quatenus ipsi se quibusdam moribus præditos, & hoc modo fide dignos ostendūt: partim in auditoribus, quatenus ad eorum mores accommodatur oratio.

Ac tres quidem sunt caussæ (inquit Arist. lib. 2. cap. 1.) præter argumentationes, quamobrem oratores fide digni existant.

1. Prudentia, ne videantur aliquid imprudenter dicere.
2. Virtus, seu probitas, ne loqui contra bonos mores existimentur.
3. Beneuolentia, ne parum amice agere iudicentur.

Cum autem omnis deliberatio in primis accommodāda sit ad mores ciuitatis: & mores appareant ex præelectione: & præelectio referatur ad finem: tradit Arist. lib. 1 cap. 8. finem vniuscuiusque Reipub. esse cognoscendum. Quamobrem ab eo Respublicæ: quarum moribus congruere deliberationes debent, enumerantur quattuor:

1. Democratia
   - vel bona, quæ nominatur in Politicis Politia, in Ethicis Timocratia:
   - vel mala, quæ speciatim vocatur Democratia: in qua sortes distribuunt magistratus: cuius finis est libertas:

2. Oligarchia in qua qui censibus valent, distribuunt magistratus: cuius finis sunt diuitiæ.

3. Aristocratia in qua, qui disciplinā valent legibus cō-

ſtituta, dominantur: cuius finis eſt ipſa legum diſciplina.

4. Monarchia { vel regnum, quod ordinem quẽdam habet: | vel Tyrannis, quæ ordinem non habet: cuius finis eſt cuſtodia. }

In Democratia igitur, ſeu populari Republ. deliberatio accommodanda eſt ad mores libertatis.

In Oligarchia, ſeu paucorum factione, ad mores diuitiarum.

In Ariſtocratia, ſeu optimatum Repub. ad mores diſciplinæ legum reſpondentes.

In Monarchia, ſeu dominatu vnius, ad mores, qui principem cuſtodiant, & conſeruent.

Omnino cum in omnibus generibus oratio conuenire debeat moribus auditorum, obſeruanda ſunt quattuor morũ genera in ipſis auditoribus lib. 2. cap. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

1. Partim ex affectibus, vt ira, lenitate, amore, odio, metu, fidẽtia, pudore, impudẽtia, gratia, miſericordia, ſtomachatione, inuidia, æmulatione, de quibus infra.

2. Partim ex habitibus, vt virtutibus, & vitiis, de quibus in genere demonſtratiuo, cum alii ſint mores prudentium, alij imprudentium, alij temperantium, alij intemperantium, alij fortiũ, alij ignauorũ, alij iuſtorum, alij iniuſtorũ.

3. Partim ex ætatibus, quæ ſunt tres:

1. Iuuentus vſq; ad annum 30.	2. Vigor { corporis / animi } ab anno 30. vſque ad 35. / circiter an. 49.	3. Senectus ab an. 49. deinceps.
Iuuenes autem ſunt	Viri	Senes
1. Cupidi:	10. Congruenter ſe habent ad cupiditatem:	14. Non ſunt cupidi:

2. Acu-

2. Acute excandescentes:	9. Congruenter excandescẽtes:	13. Imbecilliter excandescẽtes:
3. Amantes honoris, & victoriæ:		8. Studiosi vitæ:
4. Bonis moribus, cum omnia interpretentur in melius:		2. Malis moribus, cum omnia interpretentur in peius:
5. Creduli:	3. Neque omnibus credunt:	3. Suspiciosi, & increduli:
	4. Neque omnibus non credunt:	
6. Bona spe:	1. Neque valde confidunt:	12. Mala spe:
	2. Neque nimis metuunt.	
7. Idonei, qui decipiantur:		
8. Viriliores quidem, sed intẽperantes.	11. Fortes, & tẽperantes:	7. Timidiores quidem, sed temperantes:
9. Verecundi.		11. Inuerecundi:
		9. Queruli.
10. Magnanimi:		5. Pusillanimi:
11. Propensi ad honesta:	5. Neque viuunt ad solum honestum:	6. Parum liberales:
	6. Neque ad solum vtile:	10. Viuunt ad vtile:
	7. Neq; ad parsimoniam:	15. Magis vitam ducunt ratione commodi:
	8. Neque ad luxuriam:	
12. Studiosi amicorum:		

13. Faciunt omnia in maius:

14. Cõtumeliosi:
15. Misericordes, quia humani:
16. Studiosi risus:

12. Habẽt quæcunque ex cõmodis, sibi inuicẽ iuuenes, & senes distribuerũt. & habent, quod moderatum est, & conueniens, ex iis, quæ in iuuenibus, & senibus, vel exuperant, vel deficiunt.

1. Longe minus accipiunt omnia, quam oportet:
4. Neq; magno amore, neque magno odio prosequũtur:
16. Malitiosi:
17. Misericordes, quia debiles:
18. Non faceti:

4. Partim ex prospera, aduersave fortuna, vt:

In nobilibus, qui sunt:
1. Cupidiores honoris:
2. Procliues ad contemnẽdos eos, qui maioribus ipsorum similes sunt.

In diuitibus, qui sunt
1. Contumeliosi:
2. Contumaces:
3. Delicati:
4. Arrogantes:
5. Peiores, cum sunt noui diuites:
6. Iniuriosi ad cõtumeliã, & ob incontinentiam.

In po-

In potentibus, qui sunt:
1. Prediti partim iisde moribus, ac diuites, partim melioribus:
2. Honoris auidiores:
3. Moribus viriliores.
4. Studio magis dediti:
5. Grandiores, quam grauiores:
6. Iniuriosi in magnis.

Omnino in fortunatis, qui sunt:
1. Quales nobiles, diuites, & potentes:
2. Meliori conditione in iis, quæ ad liberorũ probitatem, & ad bona corporis pertinent:
3. Superbiores:
4. Inconsideratiores:
5. Bene se habentes ad rem diuinam.

VI.

Sequitur considerandum artificium illud, quod in affectibus positum est. Nam tametsi affectus minus generi deliberatiuo seruiunt, quam iudiciali, propterea quod, vt scriptum reliquit Arist. cap. 1. lib. 1. in deliberatiuis disceptator de propriis iudicat, vt nihil aliud ei opus sit, nisi demonstrare rem ita se habere, vt is, qui consulit, ait: in iudicialibus vero id non est satis, sed operæpretium est auditorem arripere; de alienis enim iudicium est: tamen in hoc etiam genere aliquod affectuum artificium est adhibendũ: & nonnulli affectus sunt eius proprij, vt metus, & fidentia, pudor, & impudentia. Significauit enim Aristot. metum, & fidentiam in eodem capite sic: Ac concupiscenti quidem, & bene speranti, si sit futurum iucũdum, etiam videtur fore, & bonum fore: affectus vero experti, & dubitanti cõtrarium. Pudor autem est species quædam metus: & impudentia species fidentiæ, de quibus singulis ex doctrina Aristot. quinque sunt cognoscenda, primum quid vnusquisque sit: deinde qui afficiantur: tertio loco in quos homines afficiantur: quarto quas ob res afficiãtur: postremo quæ sit ratio vniuscuiusque mouendi, exempli gratia de metu, quid sit metus, qui metuãt, quos metuant, quas ob res metuãt, quæ sit ratio mouendi metus. de ceteris similiter.

1. Metvs igitur, vt traditum est lib. 2. cap. 5. est
   1. Molestia quædam, & perturbatio.
   2. Ex phantasia.

3. Futuri,
4. Mali,
5. Vel idonei ad interimendum, vel molesti,
6. Quod non longe, sed prope futurū esse videatur.

II. Metuunt:
1. Qui se aliquid passuros arbitrantur:
2. Et ea, quæ se passuros:
3. Et eos, à quibus se passuros:
4. Et tunc, cum se passuros.

Quemadmodū non metuunt
1. Qui se nihil passuros arbitrantur:
2. Neque ea, quę se non esse passuros:
3. Neque eos, à quibus se nō esse passuros:
4. Neque tunc, cum se non passuros:

Arbitrantur autem se passuros:

1. Qui sunt in magnis prosperitatibus, & esse existimātur: vnde contumeliosi sunt, & paruifactores, & audaces: talesque redduntur diuitiis, robore, multitudine amicorū, potentia.

2. Qui existimant se iam passos esse atrocia omnia, & qui obriguerunt ad futurum, vt qui ad vltimum suppliciū ducuntur.

III. Metuendi sunt, qui possunt interimere, & magnas molestias afferre, vt:

1. Conscij rei atrocis:
2. Qui possunt iniuriam facere:
3. Qui passi sunt iniuriam: semper enim obseruant occasionem:
4. Qui fecerunt iniuriam, quippe qui reformidant talionem:
5. Earundem rerum competitores, quos non contingit ambobus simul inesse:
6. Metuendi præstantioribus:
7. Quos metuunt præstantiores:
8. Qui sustulerunt ipsis præstantiores:
9. Qui inuaserunt ipsis inferiores: aut enim iam metuendi sunt, aut cum creuerint:
10. Ex iis, qui iniuriam passi sunt, & ex inimicis, vel aduer-

aduersariis, mansueti, dissimulatores, malitiosi.

IV. Metuenda sunt
- Quæ interimũt:
- Quę magnã molestiam afferũt:
- Quæ signa sunt rerum metuendarum.
  1. Vt si inimicus sit, & potens:
  2. Si iniustus, & potẽs:
  3. Si contumeliã passus, & potens:
  4. Si metuens, & potens.

Ac magis metuenda sunt
- Quæ corrigi non contingit:
- Quorum auxilia non sunt:
- Quæ miserabiliora.

V. Ratio mouendi metus est, vt ostendantur pati posse:

1. Quod maiores passi sint:
2. Quod æquales passi sint, aut patiantur,
- Ea, quæ non arbitrabãtur:
- Ab iis, a quibus non arbitrabantur:
- Tunc, cum minime arbitrabantur.

Huc referri possunt ea, quæ supra notauimus in tertia præceptione ex doctrina Hermogenis de statu negociali, Quid non faciẽtibus nobis, quod suaderur, possit euenire.

I. FIDENTIA vero, vt definitur eodem capite: est spes cum phantasia rerum salutarium, vt prope existentiũ, metuendarum vero, vel non existentium, vel longe existentiũ.

II. Fidentes sunt, qui habent huiusmodi phantasiam.

1. Vt qui mala non sunt experti: eorum enim sunt ignari:
2. Qui mala sunt expèrti: habẽt enim auxilia propter experientiam:
3. Qui animaduertunt rem non metui à similibus, vel inferioribus, vel iis, quibus se esse præstantiores arbitrantur:
4. Qui sunt instructi rebus illis, quibus qui excellunt, metuendi sunt:

Vt
- Multitudine pecuniarum:
- Robore corporum:
- Firmitate regionis:
- Potentia amicorum:
- Præstantia eorum, quæ ad bellum parantur, vel omnium, vel maximorum.

5. Qui iniuriam fecerunt aut nemini, aut nõ multis, aut non iis, à quibus metuunt.
6. Quibus ea, quæ ad deos pertinent, egregie se habent.
7. Qui priores impetum facientes vel nihil se pati, vel passuros esse, vel recte acturos arbitrãtur.

III. Propter eos sunt fidentes, propter quos habent eam, quam modo notauimus, phantasiam.

1. Vt propter nullos competitores, aut eos, qui potentiam non habeant, aut eos, qui habeant quidem potentiam, sed sint amici, vel beneficium fecerint, vel acceperint.
2. Propter eos, quibus eadem conducãt, si sint plures, aut præstantiores, aut vtrique.

IIII. Fidẽtiam afferunt
- Salutaria prope existentia:
- Metuenda vel non existentia, vel longe existentia.

Exempli gratia
1. Atrocia longe:
2. Fidentiam afferentia prope:
3. Si adsint emendationes:
4. Auxilia vel multa, vel magna, vel vtraque:
5. Si neque iniuriam acceperint, neque intulerint.

V. Ratio mouendæ fidentiæ est, vt ostendantur, res salutares prope existere: & metuendæ vel non existere, vel longe exsistere.

Huc etiam referri possunt, quæ notata sunt de statu negociali, Quid facientibus nobis, quod suadetur, sit euenturum.

I. PVDOR definitur lib. 2. cap. 6.
1. Dolor quidam, & confusio

2. In iis malis, quæ ad offensionem existimationis videntur pertinere,
3. Aut præsentibus,
4. Aut præteritis,
5. Aut futuris.

II. Eos pudet, qui dolent offensione existimationis, vt
1. Si habeant apud se, quos curant,

Quales sunt:
- Qui suspiciuntur:
- Qui suspiciunt:
- A quibus volunt suspici:
- A quibus requirūt aliquā rem opportunam, quam nō obtinerent, si nullius existimationis existerēt;
  - Siue isti videant:
  - Siue in promptu sint:
  - Siue sensuri sint.

2. Si habeant, quæ dedecus afferunt:
3. Si habeant similes, quibuscum de honore concertant:
4. Si putent fore, vt conspiciantur.

III. Apud eos pudet, apud quos timent offensionem existimationis; vt
1. Quorum rationem habent,

Quales sunt:
- Qui ipsos suspiciunt:
- Quos ipsi suspiciunt:
- A quibus volunt suspici:
- Quibuscum de honore contendunt:
- Quorum existimationem non contemnunt.

Ac suspici volunt ab iis, & suspiciunt eos, qui habent aliquod bonum ex iis, quæ preciosa sunt, aut a quibus aliquid valde requirunt ex iis, quorum illi sunt domini, aut amatores.

De honore autem contendunt cum iis, qui similes sunt:

Et curant prudentes, vt eos, qui vera loquuntur: tales autem sunt tum senes, tum eruditi:
2. Qui semper affuturi sunt, & attendunt ipsos:
3. Qui non sunt iisdem obnoxij:
4. Qui non ignoscunt:
5. Qui libenter, quæ sciunt, multis commemorāt,
Vt iniuriam passi:
Et maledici:

Et qui in proximorum peccatis sunt occupati, cuiusmodi sunt subsannatores, & comici:

6. A quibus nunquam repulsam tulerunt:

7. Qui libenter indicaturi sunt ipsos,
Vt famuli, & qui famulis amici sunt.

IIII. 1. Eorum pudet, quæ sunt opera vitiositatis;

Vt
- Timiditatis:
- Iniustitiæ:
- Intemperantiæ:
- Illiberalitatis:
- Adulationis:
- Mollitiei:
- Pusillanimitatis, & humilitatis:
- Arrogantiæ:
- Et aliorum vitiorum.

2. Quæ sunt vacuitates rerum honestarum, vt non esse participem earum rerum, quarũ omnes participes sunt, aut similes omnes, aut plurimi: Exempli caussa non esse participem eruditionis quadam tenus, & aliarũ rerum similiter. Maxime vero si propter se ipsum appareant accidisse:

3. Quæ sunt perpessiones earum rerum, quæ pertinent ad offensionẽ existimationis, & probra: Vt quæ ad ministeria aut corporis, aut operum turpium, ex quibus est contumeliæ perpessio: Et quæ ad intemperantiã, tum voluntaria, tum non voluntaria: Et quæ ad vim non voluntaria: quia ab ignauia, & timiditate proficiscitur tolerantia, & ipsum non vlcisci.

V. Moritur pudor, si commemorentur ea, quæ offendere existimationem possunt.

IMPVDENTIAE natura cognóscitur ex contrariis. Atqui hæc omnia, quæ supra notata sunt de genere deliberatiuo, ad inuentionem pertinent.

VII.

PRæter rationem inuentionis, vniuersalis quædam ratio ha-

tio habenda est eius elocutionis; quæ huic generi cõgruere existimatur. Hanc Arist.lib.3. cap.12. tradit, vmbratili picturæ omnino similem esse. Nam vt in vmbratili pictura est amplitudo rerum, & non exquisitum studium pingendi: Sic in elocutione deliberatiua debet esse amplitudo sententiarum, & non exquisitum studium verborum. Cicero quoq; docet in partitionibus oratoriis, in hoc ipso genere totam orationem simplicem, & grauem, & sententiis ornatiorem, quam verbis esse oportere.

VIII.

POstea vero quam ea inuenerit orator, quæ dicturus est, elocutionemq; elegerit, qua sibi vtendum arbitratur, omnia recte disponere, & collocare debet, ac statuere partes, ordinemq; partium orationis suæ. Quamobrem prius quam componat orationem, poterit cogitare, neq; procœmium, neq; narrationem in oratione deliberatiua naturaliter requiri; quod necesse nõ sit indicare finem, cuius caussa oratio instituta est (quod maxime proprium, & necessarium munus procœmij appellat Arist.) cum auditores, de quo agatur, sciant, vt legitur lib 3. cap.14. & quod narratio sit rerum præteritarũ, deliberatio futurarum, vt scriptum est eodem lib.3. cap.16. illud tamen assumi, quod abrupta videantur, nisi illud habeant: hunc vero adhiberi ad criminandum, aut laudandum, vt præclare Aristoteles docet. Necessario autem duas partes vsurpandas esse, propositionem, & fidem, sine quibus nulla existit oratio. Cumq; fides sit duplex, vna, quæ proprie dicitur confirmatio, altera, quæ reprehensio, seu refutatio; qui priore loco dicit, ei prius confirmandum, posterius refutandum, nisi is multiplicem caussam habeat: qui posteriore loco, ei prius refutandum, posterius confirmandum, maxime vero, si quæ dixerint aduersarij, probata sint, vt scriptum est eodem lib. 3. cap.17. postremo perorationem, quæ repetit argumenta, & memoriam renouat, tunc potissimum faciendam, cum contradictio existit, quod traditur eiusdem libri cap.13.

IX.

VEniendum postea est ad formandas partes orationis, & primum ad primam, quæ procœmium dicitur, & vt scribit Arist. lib.3. cap.14. a quinq; locis ducitur;

1. A criminatione, cum auctorem contrariæ sententiæ aliqua in re possumus criminari, exempli gratia, quod priuatum commodum spectet magis, quam publicum: quod aliquo affectu ducatur, vel amore, vt alicui gratificetur, vel odio, vt noceat: quod eius sententia sit aliena a publica dignitate: vel aliis modis, qui occurrere possunt plurimi.

2. A depulsione criminis, cum animaduertimus, aliquid nobis contra alios sentientibus obiici posse: illud enim statim in principio est refutandum, vt ipsi nihil aliud spectare existimemur, nisi quod ciuitati bonum sit, nulloq; affectu duci, ac nihil sentire, nisi quod cum dignitate publica coniunctum esse videatur.

3. Ab amplificatione, quod res magna agatur, & maior opinione.

4. A diminutione, quod si fiat illud, quod alij censent tanta vtilitas expectanda non sit, quantum illi dicunt: si fiat illud, quod nos suademus, tanta mala timenda non sint, quanta illi commemorant.

5. Ab ornatu in talem aliquem modum, quod tametsi in nobis exiguum ingenium est, nullaq; fere dicendi exercitatio, ac nullo modo sumus cum illis, qui in eiusmodi loco ad dicendum ornatissimo habere orationem consueuerunt, comparandi: tamen freti singulari auditorum benignitate, atq; humanitate, de eo, quo de agitur, nostram dicturi simus sententiam.

Quoniam autem in huiusmodi procemiis criminatio solet vel offerri, vel depelli, idcirco obseruandi sunt loci ipsius criminationis vel depellendæ, vel offerendæ, qui enumerantur duodecim lib. 3. cap. 15.

1. A remotione malæ opinionis, conquerendo de hominum improbitate, vel impudentia.

2. Ab iis, de quibus controuersia est,

Vt
- Non esse:
- Non noxium esse:
- Non huic:
- Non tantopere:
- Non iniustum:
- Non valde:
- Non turpe:
- Non valde.

Et a compenſatione, vt
Si noxium: at honeſtum.
Si moleſtum: at vtile.

3. A purgatione, cum aliquid dicitur factum eſſe
Per errorem:
Per infortunium:
Per neceſſitatem.
4. A communione criminis cum aduerſario, quia idem commiſerit aduerſarius.
5. A cõmunione criminis cum aliis, quod alij idem commiſerint, & tamen affines culpæ habiti non ſint.
6. Ab inani ſuſpicione, quæ alias habita ſit.
7. A recriminatione, cum quis criminantem recriminatur.
8. A re iam iudicata.
9. Ab indignitate calumniæ.
10. A notis, vt in Teucro Vlyſſes, quod ipſe Teucer eſſet affinis Priamo: Heſione enim ſoror. Ille vero, quod Telamon pater inimicus Priamo fuiſſet, & quod ipſe exploratores non indicaſſet.
11. A commixtione bonorum cum malis: artificioſiſſimi enim, & iniquiſſimi homines bonis nocere conantur, miſcendo ipſa cum malis.
12. A diuerſa cauſſa: cum enim idem cõtingat plurium rerum cauſſa geſtũ eſſe, criminans quidem in peius arripit, vt ſi dicatur Diomedes Vlyſſem prælegiſſe, quia ſolus non erat concertaturus, vt ignauus: defendens vero in melius, vt quia optimum iudicauit Vlyſſem.

X.

PAullo ſupra ex Ariſtotelis doctrina notauimus, narrationem huic generi non conuenire, niſi aſſumptam ad criminandum, aut laudandum; quæ munera non ſunt conſultoris, ſed criminatoris, & laudatoris. Genus igitur deliberatiuum per ſe narrationem non habet: ſed ab aliis generibus quandoq; aſſumit, vt ex rerum præteritarum narratione melior fiat deliberatio. Propoſitio vero eorum ſic-

ri debet, quæ confirmanda ſint; quæ quidem vel ſimplex eſt, & dicitur nomine generis propoſitio, vt vter vtri fecerit inſidias: vel multiplex, & partitio nominatur, vt dicendum eſt de genere belli, de magnitudine, de imperatore deligendo.

XI.

Poſt propoſitionem facienda eſt fides, cuius tria ſunt inſtrumenta, enthymema, exemplum, amplificatio.

Ex lib. 1. cap. 2. 1. Enthymema eſt ſyllogiſmus oratorius, & imperfectus. Nam ſyllogiſmus conſtat ex duabus propoſitionibus, & concluſione, vt virtus eſt amabilis: Iuſtitia virtus: Ergo amabilis. Enthymema vero alterutra propoſitione caret, quæ ſubintelligitur, vt Iuſtitia eſt virtus: Ergo amabilis. Vel virtus eſt amabilis: Ergo Iuſtitia eſt amabilis.

2. Exemplum eſt inductio imperfecta, & oratoria. Nam inductio ex omnibus ſingularibus concludit vniuerſale. Vt Socrates ſapiens honorandus: & Solon: & Pittacus: & reliqui ſimiliter: ergo omnes ſapientes honorandi. Exemplum vero ex vno ſingulari probat alterum ſingulare, vt Socrates propter ſapientiam fuit honorandus: ergo etiam Pittacus.

3. Ex lib. 2. cap. 26. Amplificare, & diminuere ſunt enthymemata ad demonſtrandum magnum, aut paruum eſſe, quemadmodum etiam bonũ, aut malum, aut iuſtum, aut iniuſtum, aut vnumquodq; aliorum.

Cicero in partitionibus ſcribit, Amplificationem eſſe vehementem quandam argumentationem, quæ fit magis commouendi, quam docendi cauſſa; &, vt tradit Quintilianus, fit quatuor modis;

Aut per incrementum, vt: facinus eſt vincire ciuem Rom. ſcelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?

Aut per congeriem, vt: Abiit, exceſſit, euaſit, erupit.

Aut per comparationem, vt: ſi occiſus eſt Gracchus mediocriter labefactans ſtatum Reip. quanto Catilina magis erat interficiendus orbem terræ cæde, atq; incendiis vaſtare cupiens?

Aut per ratiocinationem de magnitudine rei, vt: Tu iſtis fauci-

faucibus, ista gladiatoria corporis firmitate quantum vini hausisti?

Tradit vero Arist. lib. 1. cap. 9. ex his tribus instrumentis, Exemplum esse magis proprium generis deliberatiui: quia ex rebus ante gestis, dum futura coniicimus, de eo, quod agendum est, iudicium facimus.

Amplificationem vero esse aptiorem ad genus demonstratiuum: quia assumunt actiones confessas, vt nihil aliud reliquum sit, nisi magnitudinem adiungere, & pulchritudinem.

Enthymema autem esse magis accommodatum ad genus iudiciale, cum caussam, & demonstrationem id, quod factum est, maxime recipiat, propterea quia obscurũ sit.

Idem lib. 3. cap. 17. scribit in hunc modum; Sunt exempla maxime accommodata deliberationi: enthymemata autem iudicio. Illa enim circa futurum versatur, vt ex præteritis necesse sit exempla ducere: hoc vero de existentibus est, vel non existentibus, cuius rei magis necessaria est demonstratio: habet enim, quod factum est, necessitatem.

Ex lib. 2. cap. 20. Quoddam exemplum est rei factæ, vt si probetur ex facto Darij, & Xerxis permittendum non esse, vt Rex Ægyptum in potestatem redigat: sed aduersus eum bellum apparandum.

Aliud est rei fictæ

Vt parabola, quemadmodum si quis dicat, simile esse magistratus sorte creare, ac athletas, & nautas.	Et logus, qualis Stesichori de equo, qui seruiuit homini, vt ceruum vlcisceretur, & Æsopi de vulpe caninis muscis conflictata, nec permittente, vt eas herinaceus abigeret.

1. Logi sunt concionibus accommodati.
2. Et facilius parantur logi, quam exempla vera.
3. Sed exempla vera sunt vtiliora, quam logi.
4. Qui autem non habet enthymemata, exemplis, tanquam demonstrationibus vti debet.
5. Qui vero habet enthymemata, subiicere exempla, tanquam testimonia debet.

6. Ac exempla quidem ante enthymemata inductioni ſimilia ſunt.

7. Exempla vero ſubiecta enthymematibus ſimilia ſunt teſtimoniis.

8. Quare qui præponit exempla enthymematibus, debet multa commemorare.

9. Qui ſubiicit exempla enthymematibus, ſat eſt, ſi vnum commemoret: Teſtis enim fide dignus etiam vnus vtilis eſt.

Præterea cum in fide demonſtratiua grauitas requiratur ſententiarum, quatuor obſeruanda ſunt ex lib.2.cap.21.

1. Quid ſit ſententia:
2. Quot ſint ſpecies ſententiæ:
3. Quomodo vtendum ſententiis:
4. Quas vtilitates afferant ſententiæ.

I. Definitur ſententia
Enuntiatio
De rebus vniuerſalibus,
Quæ pertinent ad agendum, —vt Fortes Fortuna adiuuat.

II. Quadruplex eſt
- Sine ſubiectione rationis, ante cognita, vt optimum eſt valere:
- Sine ſubiectione rationis, manifeſta, dum dicitur, vt: Nemo amator eſt, qui non ſemper amet:
- Enthymematis pars, vt: Nemo hominum eſt liber: Aut enim pecuniatum, aut fortunæ homo ſeruus.
- Enthymematica, quæ redigi ad enthymema poteſt, vt: Iram immortalem mortalis ſeruare non debet.

III. De controuerſis, aut de iis, quæ ſunt præter opinionẽ non ſine epilogo vti ſententia oportet, ſiue præponatur epilogus, ſiue poſtponatur.

De iis, quæ præter opinionem non ſunt, ſed obſcura ſunt, vtendum eſt ſententia, concinne adiiciendo cauſſam. Et conueniunt in eiuſmodi rebus Laconica apophthegmata, atque ænigmata, vt illud Steſichori apud Locrenſes, Non oportere contumelioſos eſſe, ne cicadæ humi canant,

nant, id eſt, ne ſequatur rerum omnium veſtitus.

Conueniunt ſententiæ grandioribus natu de iis rebus, quarum periti ſunt.

De re non vniuerſali vniuerſe ſententiā proferre in conqueſtione conuenit, atq; indignatione.

Peruulgatis quoq;, ac communibus ſententiis vti oportet, vt vnum augurium optimum defendere patriam. Et Mars belli communis: & Stultus, qui natos occiſo patre relinquis. Et aliquot ex prouerbiis ſententiæ ſunt, vt Atticus inquilinus, id eſt, moleſtus, & odioſus, quales Attici, qui Samios expulerunt.

Oportet etiam ſententias dicere aduerſus ea, quæ in ore vulgi verſantur. Si mores appariturí ſunt meliores, vt; Non oportet, quemadmodū aiunt, amare tanquam oſurum: ſed potius odio habere, tanquam amaturum. Si cum affectu dicitur, vt falſum eſt illud, oportere hominē ſe cognoſcere: ſi enim iſte ſe cognoſceret, nunquam, vt imperaret, petiiſſet.

Contra peruulgatas ſententias debemus aut cauſſam exprimere, vt oportet amare, non vt aiunt, ſed tanquam ſemper amaturum: inſidiatoris enim eſt alterū. Aut præelectionem aperire, vt Non: placet mihi, quod dicitur; oportet enim verum amicum amare, tanquam ſemper amaturum. Nec placet mihi illud, Ne quid nimis; oportet enim malos nimio odio habere.

IIII. Duæ ſunt ſententiarum vtilitates. Quod illæ vanitati auditorū accommodantur: gaudent enim, ſi quis vniuerſe loquens in opinionem incidat, quam illi ſingulariter habent; quemadmodum ſi quis vicinis vteretur, aut filiis improbis, probaret eum, qui diceret; Nihil vicinitate moleſtius, aut; Nihil filiorum procreatione dementius.

Quod moratas reddunt orationes. Nam ſi bonæ ſint ſententiæ, faciunt, vt, qui dicit, bonis moribus præditus videatur.

Docet idem Ariſt. lib. 3. cap. 17. difficiliorem eſſe fidem deliberatiuam, quam iudicialē, ſcribens in hunc modum; Eſt vero difficilius in deliberatiuo genere, quam iudiciali verſari: Propterea quod circa futurum eſt negotiū: ibi vero circa præteritum, quod ſcientia comprehendi poteſt,

etiam a vatibus, vt dixit Epimenides Cres. ille enim de futuris non vaticinabatur: ſed de præteritis quidem, at obſcuris.

Et lex fundamentum eſt in iudicialibus: qui vero principium habet, eum demonſtrationem inuenire facilius eſt. Et qui verſatur in deliberando, non habet multa diuerticula, vt contra aduerſarium, vel de ſe ipſo, vel ad affectum afferendum. Hæc autem minime omniũ habet, niſi egrediatur. Oportet igitur indigentem id facere, quod Athenis oratores faciunt, & Iſocrates: etenim deliberans accuſat, vt Lacedæmonios in Panegyrico, & Charetem in Sociali.

XII.

VLtima pars orationis eſt epilogus, ſeu peroratio, cuius quatuor eſſe munera docet Ariſt. lib. 3. cap. vlt.

1. Bene erga ſe comparare auditorem, male in aduerſarium:
2. Amplificare, & deprimere:
3. Impellere animum auditoris ad affectum:
4. Memoriam renouare.

Quod attinet ad hoc vltimum munus repetitionem continens rerum, quæ probatæ fuerint, ſuperius notauimus ex ſententia Ariſtotelis, perorationem orationi deliberatiuæ non conuenire, niſi cum exiſtit, qui contradicat. Cicero quoque in partitionibus tradit, perorationis enumerationem ſuaſori non ſæpe neceſſariam eſſe: eius enim tempora ſcribit eſſe duo; ſi memoriæ diffidas auditorum; ſi frequentatis firmamentis vim ſit habitura cauſſa maiorem. Non tamen negat Cicero perorationem in hoc genere poſſe adhiberi ad alia munera obeunda, & maxime ad amplificandum, & animos concitandos.

ANTO-

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS SEPTIMVS CONTINENS

EXEMPLVM CAVSSÆ DELIBERATIVÆ.

I.

PROPONITVR oratio conficienda de bello gerendo a Venetis contra Turcas. Iam, cum res, qua de agitur, penitus, diligẽterq; cognoſcenda ſit, vt præcipitur lib.2.cap.22. & de bello gerendo tenenda ſint quatuor, vt legitur eodem capite, tum qualitas, & quantitas potẽtiæ, quæ ab vtraq; parte habeatur: tum pecuniæ: tum amici, & inimici: tum bella ante geſta; obſeruabitur, quæ ſit potentia Venetorum, & Turcarum, naualis, pedeſtris, equeſtris, omnis generis: quæ copia pecuniarum, an habeatur, vel inueniri poſſit tanta, quanta opus ſit: qui amici, & ſocij parati ſint ad opitulandum, & inimici ad nocendum: quæ bella geſſerint, & quomodo, vt ex ſimilibus ſimilia colligantur.

II.

PErpendentur proprietates generis deliberatiui ex lib.1. cap.3. tum auditores, qui iudicãt de rebus futuris; quod pertinet ad homines prudentiſſimos, & ſapientiſſimos; quales beneuolentiæ cauſſæ illi, qui audiunt, ſunt ſæpe appellandi, & collaudandi: tum partes ſuaſio & diſſuaſio, quarum altera eſt ita pertractanda, vt argumenta alterius vehementius non proferamus, quam noſtra confirmemus: tum tempus futurum, vt bona, & mala euentura ante oculos proponantur: tum finis, qui eſt vtile, & perniciosum; & nunquam in deliberationibus eſt prætermittendus, vt oſtendatur, vtile fore, ſi ita fiat, & perniciosum, ſi ita.

III.

STatus in genere deliberatiuo poteſt eſſe multiplex, vt præcipitur lib.3.cap.17. An futura ſint, quæ dicuntur: An iuſta: An vtilia: An tanta; vt: An vtile ſit bellum gerere contra Turcas: An iuſtum, & glorioſum: An fieri poſſit, & futura ſit victoria contra tantum Tyrannum: An tantum ſit bellum, vt propter magnitudinem ſuſcipiendum non ſit.

IIII.

CVm quatuor ſint fontes parandorum argumẽtorum, vnus a proprio fine, alter a finibus aſſumptis, tertius a propoſitionibus communibus, quartus a propoſitionibus communiſſimis, ſeu locis Topicis:

1. Proprius finis deliberationum eſt vtile, ſeu bonum, & pernicioſum, ſeu malum; probaturq; aliquid eſſe bonum quatuor modis;

Primo modo, quod parat felicitatem, vel partem aliquam felicitatis, de qua lib.1. cap.5. vt tale bellum pertinet ad maximam felicitatem Venetorum, atq; adeo etiam omnium Chriſtianorum, vt tantus Tyrannus ſuperetur, ad nobilitatem tuendam, ad diuitias augendas, ad gloriam comparandam, ad imperium amplificandum.

Secundo modo, quod eſt bonum confeſſum, de quo lib.1. cap.6. vt quod efficit res bonas, quod habet conſequentes res bonas, quod idoneum eſt ad prohibenda contraria. Vt tale bellum exiſtimandum eſt bonũ, quod commodum, gloriam, honores, imperia Venetis ſit allaturum, ex quo ſit ſecutura ſumma tranquillitas non ſolum Venetæ Reip. ſed etiam vniuerſæ Reip. Chriſtianæ, quod prohibiturum eſt, quominus teterrimi Chriſtiani nominis hoſtes in Chriſtianos ſæuiant, & debacchentur, ac de Chriſtianis triumphent.

Tertio modo, quod eſt bonum controuerſum, de quo etiam cap.6. vt cuius contrarium inimicis prodeſt, id bonũ eſt: Vt, Turcis adhuc profuit, Chriſtianos eſſe timidos, & ſocordes, atq; inter ſe diſſentientes: ergo bonum, atq; vtile erit, ipſos Chriſtianos tandem aliquando expergiſci, atq; excitari contra illas immaniſſimas belluas, vere Turcas, & truces, & quidem excitari Venetos, qui ſunt robur totius Reip. Chriſtianæ.

Quar-

Quarto modo, quod eſt bonum comparatum, de quo lib. 1. cap. 7. vt plura vno, vel paucioribus bonis, ſi illud vnum, vel illa pauciora fuerint connumerata, maius bonum ſunt. Si ad ea bona, quæ habent Veneti, acceſſerint tot regna, & imperia, quæ crudeliſſimus ille Turcarum poſſidet tyrannus, multo illi erunt feliciores.

2. Si in deliberationibus poſſunt aſſumi fines generis iudicialis, atq; demonſtratiui, ſunt aſſumendi, vt argumentum ducatur etiam a iuſto, vel iniuſto, a glorioſo, vel turpi. Deliberanti enim, inquit Ariſt. lib. 1. cap. 3. finis eſt vtile, & perniciosum. Etenim ſuadens, vt melius ſuadet: diſſuadens, vt peius diſſuadet. Alia autem ad hoc ſimul aſſumit, vel iuſtum, vel iniuſtum, vel honeſtum, vel turpe. Quid ſi talia aſſumi non poſſint, ſat erit a proprio fine argumentari, qui nunquam eſt dimittendus, vt ſupra quoq; notauimus. Iam de bello Turcarum licebit argumentari, quod nō ſolum vtile, verum etiam iuſtum, & glorioſum futurum ſit, vlciſci tam multas, & tam graues iniurias nomini Chriſtiano illatas.

3. Propoſitiones communes ſunt de poſſibili: de futuro: de magno: de facto; quarum illæ quæ ſunt de poſſibili, & de futuro, conueniunt magis generi deliberatiuo, vt traditur lib. 2. cap. 18. Iam, ſi vnum contrarium eſt poſſibile, etiam alterum eſt poſſibile; vt traditur eodem lib. cap. 19. Si fieri potuit, vt Turcarum Tyrannus tantum imperium acquiſiuerit, etiam fieri poterit, vt illud amittat, cum præſertim ad copias Venetorum acceſſuræ ſint copiæ omnium principum Chriſtianorum, qui eis opitulabuntur, & tam vtili, iuſto, ac glorioſo bello fauebunt; immo vero etiam acceſſurum ſit auxilium diuinum, vt tanta crudelitas, & iniquitas frenetur. Præterea, quod eſt in poteſtate, & volūtate, erit; vt ibidem legitur. Quamobrem cum poteſtas adſit vincendi Turcas, adiuuantibus tam iuſtam cauſſam non ſolum ceteris Chriſtianis, verum etiam præpotenti Deo, ſi ſimul adſit voluntas, certiſſima victoria ſperanda eſt. Addi poteſt argumētum a magno, quod magnum quidem ſit bellum, ſed non tantum, vt pertimeſcendum eſſe videatur; quemadmodum etiam Cicero pro lege Manilia de bello Mithridatico argumentabatur.

4. Propositiones communissimæ sunt loci Topici, de quibus lib. 2. cap. 23. qualis est locus contrariorum, quod si socordia, & discordia Christianorũ est caussa præsentium malorum, fortitudine, & concordia oportet correctionem adhibere. Ceteri quoq; loci sunt animo perlustrandi, & ex illis argumenta, quæ ad rem nostram faciant, ducenda, ac seligenda.

V.

TRes mores in oratore sunt exprimendi, de quibus lib. 2. cap. 1. tum prudentia, vt orator non nimis audacter profiteatur alios docere, & commonefacere, sed omnia modeste agat: tum probitas, vt iniustitiam hostium detestetur, iustam vltionem commendet: tum beneuolentia, vt præ se ferat singularem amorem, & obseruantiam in auditores, in patriam, in vniuersam Remp. Christianam, quæ quidem est prima pars moratæ orationis. Altera enim pars se accommodat ad mores auditorum; &, cum est publica deliberatio, debet accommodari ad mores ciuitatis, qui cognoscuntur ex prælectione, & fine Reip. varij autem sunt fines Reip. de quibus lib. 1. cap. 8. Regni, & Tyrannidis custodia, ad quam egregie se accommodat Cicero pro Marcello: Oligarchiæ, seu factionis paucorum, diuitiæ: Aristocratiæ, seu Reip. optimatum disciplina legum: Democratiæ, & Politiæ, seu Reip. popularis, & ciuilis, libertas. Iam Resp. Veneta est Politia, vel Democratia, si intelligamus illos solos esse ciues, qui habent facultatem tum parendi, tum imperandi, ex doctrina Arist. lib. 3. Politicorum, & hoc modo illos solos, qui gubernant in Magnis Comitiis, ceteros vero haberi loco seruorum, vel peregrinorum, & ex peregrinis originem trahentium, vt tradit Contarenus; etiam si videatur temperata ex tribus rectis Rebusp. scribit Politia in Magnis Comitiis: Aristocratia in senatu: Regno in Duce; vt præcipit idem Contarenus. Quatenus igitur est Politia, oratio accommodanda est ad libertatẽ. Quatenus vero est temperata debet accõmodari ad libertatem, ad legum conseruationem, ad custodia Principis.

VI.

MOuendi sunt duo affectus: Fidentia, & Metus.

1. Fidentia est spes cum phantasia rerum salutariũ,

quæ prope sint, & metuendarum, quæ aut nullæ sint, aut longe esse videantur. vt definitur lib.2.cap.5. & ad eam mouendam valent illa Hermogenis; si hoc bellum geratur,

Bona, quæ adsunt, permanebunt:
Bona, quæ non adsunt, aduenient:
Mala, quæ adsunt, non permanebunt:
Mala, quæ non adsunt, non aduenient.

2. Metus est molestia ex phantasia futuri mali, quod magnum sit, & prope esse videatur. vt definitur eodem cap. 5. & valent ad eum mouendum illa etiam Hermogenis; si hoc bellum non geratur;

Bona, quæ adsunt, amittentur:
Bona, quæ non adsunt, non aduenient:
Mala, quæ adsunt, permanebunt:
Mala, quæ non adsunt, aduenient.

VII.

IN oratione deliberatiua non requiritur exquisitum studium elocutionis, magisq; quęrenda est grauitas sententiarum, quam verborum, ex doctrina Aristotelis lib.3.cap. 12. & Ciceronis in partitionibus.

VIII.

CVm quatuor sint partes orationis, procœmium, propositio, fides, epilogus, ad propositionem refertur partitio, & narratio, quæ cum huic generi non conueniat per se, solet tamen assumi ab aliis generibus. In fide autem qui posteriore loco dicit, debet prius argumenta aduersariorum refutare, & postea sua confirmare, nisi ipsa argumenta aduersariorum parum probata fuerint: qui vero priore loco dicit, debet contra facere, nisi multiplicem aduersam caussam habeat: vt traditum est lib.3.cap.17. Ordo vero rerum propositarum seruandus est in confirmatione, atq; refutatione.

IX.

QVibus omnibus constitutis procœmium faciendũ est, quod ex doctrina Arist. lib.3. cap. 14. ducitur a quinque locis;

1. A criminatione aduersariorum, quod male sentire videantur.

2. A depulſione criminis, quod falſa ſint illa, quæ contra nos afferuntur.

3. Ab amplificatione rei, ſi non exiſtimetur tanta, quantum nos velimus.

4. A diminutione, ſi exiſtimetur maior, quam velimus.

5. Ab ornatu, ne abrupta videatur oratio, & ſine capite.

Exempli gratia,

1. A criminatione, quod quidam diſſuadeant bellum contra Turcas propter ſocordiam, vel quia eorum aliquo modo interſit tale bellum non geri.

2. A depulſione criminis, quod bellum non ſuadeamus propter priuatas iniurias nobis, vel alicui noſtrum a Turcis illatas, vt nonnulli criminantur, ſed propter publicum commodum, ac dignitatem.

3. Ab amplificatione, quod non agatur de ſalute vnius Reip. Venetæ, ſed omnium Chriſtianorum.

4. A diminutione, quod nihil ſit profecto, cur potentia Turcarum amplificetur, cum ſæpe cognitum ſit, eam non eſſe tantam, vt ſuperari non poſſit, & nunc minorem eſſe conſtet, quam antea, aſſiduis nimirum Perſarum bellis diminutam, & fractam.

5. Ab ornatu, quod, tametſi in nobis exiguum ingenium eſt, & nulla exercitatio dicendi, nec ſumus cum aliis ſapientioribus, atq; eloquentioribus comparandi: tamen, cum deceat omnium ſententias audire, vel imperitorum, & indiſertorum, vt melior fieri queat deliberatio, auditorum freti benignitate breuiter, quæ ſentimus, dicturi ſimus, rogantes, vt in bonam partem accipiant, quidquid dixerimus.

X.

POteſt aſſumi narratio ad vituperandum, & criminandum, vt occaſione rerum præteritarum, quæ vituperentur, & accuſentur per narrationem demonſtratiuam, & iudicialem, melior fiat deliberatio; quemadmodum ſi narrentur iniuriæ illatæ a Turcis Chriſtianæ Reip. de quibus ſic breuiter Onuphrius Panuuinius in Imperio Rom. Orientis Imperium, quod a Magno Conſtantino Auguſto fundatum inſigni rerum geſtarum gloria, mille & amplius annos

annos perdurauerat, Constantinopoli 4. Kal. Iunij, anno 1453. capta, occiso Constantino xv. Paleologo Imperatore Mahometes Turcarum Rex vi occupauit. Hic præter Constantinopolim Trapezuntem in Ponto cepit: duodecim Regna Christianis ademit: ducentas vrbes occupauit: Chalcim armis, Scodram deditione Venetis abstulit: bello maritimo Capham expugnauit: Italiæ Hidrunte capta arma intulit: Peloponnesum, & alias Orientalis Imperij in Europa prouincias obtinuit: &, si quid veteris illius Romani Imperij reliquum fuerat, omnino extinxit. Cuius vestigia successores eius Baiazetes, Solymus, & Solymanus secuti maximas Christianis clades intulerunt. Hæc ille. Quibus addendum est, Solymum iuniorem Venetis etiam Cyprum ademisse. Iam potest fieri propositio per partitionem, vt primum dicendum sit de genere belli, quod vtile, iustum, & honestum esse videatur: deinde de magnitudine belli, quod licet magnum sit, tamen geri possit cum spe futuræ victoriæ: postremo de imperatore deligendo, vt fecit Cicero pro lege Manilia, assumpto genere demonstratiuo ad tertiam partem pertractandam, & Pompeium exornandum, vt demonstraretur dignus, cui bellum Mithridaticum committeretur.

XI.

Tria instrumenta oratoria fidem adiuuant.

1. Enthymema, cuius pars solet esse sententia deliberationibus maxime accommodata, de qua lib. 2. cap. 21.

2. Exemplum, quod est proprium deliberationum, vt traditum est lib. 1. cap. 9. & lib. 3. cap. 17. quodq; est duplex, vnum rei factæ, alterum rei fictæ, vt parabola, & logus, vt legitur lib. 2. cap. 20.

3. Amplificatio, quæ in hoc genere vtilia debet amplificare.

1. Possunt igitur enthymemata adhiberi eiusmodi rationes exprimentia, quales superius expositæ sunt, interiectis grauibus sententiis, quas modo notauimus, consultationibus maxime conuenire, vt illa Ciceronis in quarta Philippica; Pacis vero quæ potest cum eo esse ratio, in quo est incredibilis crudelitas, fides nulla?

2. Et exempla vera diuersorum temporũ, quibus Tur-

cæ & a Venetis, & ab aliis victi sunt; atq; adeo etiam aliena, vt ex similibus similia colligantur; quemadmodum si probetur socios Venetorum opitulaturos esse ipsis, exemplo Romanorum, qui propter socios cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella gesserunt, vt legitur in oratione Ciceronis pro lege Manilia. & ficta, vt parabolæ, & logi; quemadmodum si minus attenti essent auditores, aliqua eiusmodi parabola posset congruere, quali vsum esse Demosthenem narrauit Plutarchus in hunc modum. Cum Athenienses eum aliquando in concione dicere prohiberent, pauca se dixit apud eos loqui velle. Cum igitur tacuissent, Adolescens, inquit, æstiuo tempore Megara profecturus, conduxit asinum. Circa meridiem autem in maximo ardore solis eorum vterq; subire vmbram asini voluit, atq; alter alterum prohibuit: hic se locasse asinum, non vmbram dicens: is vero, qui conduxerat; se omnem habere potestatem. His dictis abibat. Desinentibus autem cum Atheniensibus, & rogantibus, vt sermonem concluderet: Itane, inquit, de asini vmbra vultis audire; de grauibus autem rebus disserentem non vultis? Si vero probandum esset non expectandos esse alios, si Veneti sustinere bellum per se possint, quadraret ille logus Æsopi de cassita, qui legitur apud Gellium lib. 2. cap. 30. quod cum cassita nidulata esset in segetibus, iam frumentis flauescentibus, monuit pullos suos, vt sibi renuntiarent, si quid diceretur de messe facienda; &, donec intellexit, dominum vti velle opera aliorum, vt amicorum, & propinquorum, non sua ipsius, nunquam exportauit pullos; sed, cum audiuisset, dominum cum filio velle messem facere, asportauit: de quo Ennius;

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm;
Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis.

3. Et amplificationes ad spem, & metum excitandum.

XII.

CVm quatuor sint munera perorationis,

1. Constituere auditorem bene erga nos, male contra aduersarium.
2. Amplificare, & diminuere:

3. Im-

3. Impellere animos ad affectum:
4. Memoriam renouare:
1. Illud confici oratione poteſt, luce clarius patetere, noſtram, quam aliorum, meliorem eſſe ſententiam:
2. Magnam exiſtere potentiam Venetorum, maxime coniunctam cum viribus aliorum Principum Chriſtianorum, & cum auxilio diuino; infirmasq; Turcarum opes, maxime bello Perſico debilitatas:
3. Magna commoda ſperanda, ſi bellum geratur, magna incommoda metuenda, ſi non geratur:
4. Itaq; tale bellum gerendum, quod ſit vtile, iuſtum, glorioſum: quo ſuperari poſſint Turcæ: maxime vero, ſi committatur imperatori, in quo ſint illa quatuor, quæ in ſummo imperatore ineſſe debent, ſcientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS OCTAVVS

IN PRIMAM OLYNTHIACAM DEMOSTHENIS.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



OLYNTHII Thraciæ populi violato fœdere, quod cum Philippo Macedoniæ Rege habebant, cum Athenienſibus pacem fecerunt. Ac metuentes bellum, quod ipſis tanquam fœdifragis a Philippo inferebatur, Athenas ad opem petendam legatos miſerunt. Quibus cum quidam ex Athenienſibus non eſſe opi-

tulandum arbitrarentur, Demosthenes rogatur a legatis Olynthiorum, vt ipsis patrocinaretur, persuadere Atheniensibus conatus est, tum vtile esse, vt Olynthiis opem ferrent, tum fieri posse, vt contra Philippum bellum susciperent. Quoniam vero dicturus erat, quomodo expedire rem pecuniariam possent ad bellum gerendum, locuturusq; erat de pecuniis quibusdam, quæ populo dabantur ad ludos spectandos, in vsus militares transmutandis, ne incideret in pœnam capitalem, qua multandum esse decreuerant, si quis de pecuniis illis transmutandis loqui ausus fuisset; de ipsis hac oratione cautissime egit, anno quarto Olympiadis centesimæ septimæ. Ex quinque autem maximis, & præcipuis, de quibus publice consultari, tradidit Aristoteles, duo tractantur hac oratione, bellum contra Philippum, & apparatus pecuniarum. Cumq; de bello quidem, & pace quatuor tenenda sint, potentia ciuitatis, bella eius, & finitimorum, similitudo & dissimilitudo potentiæ, bella aliena: de parandis vero pecuniis duo, vectigalia & sumptus ciuitatis: hæc omnia optime tenuisse Demosthenem, inferius patebit.

II.

GENVS CAVSSÆ.

PRopositum habet Demosthenes proprium finem generis deliberatiui, vtile, si auxilium feratur Olynthijs, & perniciosum, si non feratur: agit de re futura, id est, de ope Olynthiis ferenda contra Philippum: ex duabus partibus caussæ deliberatiuæ suasionem tractat: auditores habet rerum futurarum disceptatores, nempe ipsam Atheniensium concionem: ex quibus quatuor proprietatibus ab Aristotele traditis facile perspicitur, hanc orationem esse in genere deliberatiuo.

III.

STATVS.

SI quæratur huius caussæ status, ex doctrina Hermogenis est ποιότης λογικὴ πραγματικὴ, hoc est, generalis, vel de qualitate rei, in ratione, negotialis, An oporteat opem ferre Olynthiis. Huiusmodi autem status, cum sex partibus constet; & quandoq; legitimum, & iustum assumat ex genere iudiciali, quandoq; gloriosum, ex demonstratiuo, ac

vtile

vtile tractet tanquam proprium deliberationum, atq; ex iis, quæ omnibus generibus communia sunt, accipiat possibile, & futurum, tanquam generi deliberatiuo magis cõgruentia: Demosthenes in statu huius caussæ pertractando non assumit legitimum, & iustum, quod non est necessarium: sed assumit gloriosum, tanquam suæ caussæ accommodatum: & adhibet inprimis vtile, futurum, & possibile. Quomodo autem adhibeat vna cum aliis argumentis, nunc breuiter videamus.

IIII.

ARGVMENTA.

Assumit gloriosum, vel honestum, quod cum per se eligendum sit, laudabile est: quemadmodum Atheniensibus eligendum erat, vt haberent totius Græciæ principatum. Quod argumentum, vt notat Vlpianus Demosthenis explicator, in ipso significat principio, cum ait, Præsentem occasionem tantum non edita voce testari, Olynthiorum rebus succurrere oportere, si Athenienses de ipsorum salute curam habeant; & confirmat quoq; per contraria, docens, quantum dedecus, & quantum probrũ ad Remp. rediturum sit, si Athenienses hoc bello neglecto de suis opibus, suaq; ditione dimicare cogantur: & per collationem ipsorum cum hoste, argumentans, quam turpe sit, illum propter industriam esse vbique superiorem; ipsos vero, qui præsertim deos, & fortunam adiutricem habeant, nihil vel semetipsis, vel suis maioribus dignum gerere; ac monens in fine vitandam esse contumeliam, & rerum dedecus nullo damno inferius, præsertim iis, qui sapiunt. Hoc autem gloriæ, & honoris adipiscendi, ac dedecoris, probriq; vitandi, argumentum valet potissimum apud expolitum auditorum genus, vt infra de moribus ostendemus. Cum igitur illud inprimis aduersaretur in hac caussa, bellum, quo de agitur, esse alienum (quid enim ad Athenienses bellum Olynthiacum?) probat Demosthenes non esse bellum alienum, huiusmodi argumento, quod, tametsi in Thracia videtur futurum, reuera tamen ad Atticam, ad ipsos Athenienses, ad gloriam, & honorem eorum pertineat.

Addit argumentum ab vtili, & bono, qui est proprius

finis deliberationũ; & probatur quatuor modis vt bonum ſit, quod parat felicitatem, vel partem aliquam felicitatis: quod eſt bonum confeſſum: quod controuerſum: quod comparatum. Præterquam igitur, quod vniuerſe oſtenditur, pertinere ad felicitatem Reip. Athenienſis, vt Olynthiis ſuccurratur, decima propoſitio bonorum confeſſorum eſt, Bonum eſſe illud, quod valet ad prohibenda contraria. Quamobrem, ſi Athenienſes bellum ſuſceperint Olynthiacum, illud contrarium prohibebunt, ne Philippus auertat, & auellat ſemper aliquid. Et tertia propoſitio bonorum controuerſorum eſt, Bonum eſſe, cuius contrarium inimici volunt. Vt ſuſcepto bello contra Athenienſes, Philippus voluiſſet ſibi Olynthios reconciliari; ergo eos non reconciliari bonum erat Athenienſibus. Itaq; oſtenditur talem reconciliationem minime fuiſſe ſecuturam, quatuor de cauſſis; tum propter periculi magnitudinem, quod intelligerent ſe non de gloria, neq; de parte regionis dimicare, ſed de excidio, ac ſeruitute patriæ: tum propter Philippi perfidiam, perſpectam iam in Amphipolitas, qui vrbem ei dederant, & in Pydnæos, qui eum in vrbem receperant: tum propter diſſidium illud, quod eſt inter tyrannidem, & ciuilem Rempublicam: tum deniq; propter inimicitias non impulſu Athenienſium, ſed vltro ſuſceptas. Et prima propoſitio bonorum controuerſorum eſt, Bonum eſſe, cuius contrarium eſt malum. Vt malum fuit Athenienſibus ceſſare, cum poſt opem latam Euboenſibus Hierax, & Stratocles ad eos venerunt de tradenda Amphipoli: cum obſideri Pydnam nuntiatum eſt: & Potidæam, & Methonen: & Pagaſas: & alia. Ergo nõ ceſſare in hac Olynthiorũ occaſione erit bonũ. Et octaua propoſitio bonorũ confeſſorũ eſt, Bonum eſſe, quod idoneum eſt ad bona efficienda. Vt occaſio hæc Olynthiorũ oblata Athenienſibus a Diis immortalibus, qua illi auctoritatẽ, & principatum, quẽ olim inter Græcos tenuerint poſſint recuperare.

Argumentatur quoq; a futuro. Nam prima propoſitio eius, quod futurum eſt, huiuſmodi affertur, Quod eſt in poteſtate, & voluntate, erit. Itaq;, ſi Philippus Olynthum occupauerit, quod ipſe habet in voluntate, habebit etiam in poteſtate, vt in Atticam penetret, & penetrabit. Alia

præterea duo Demostheni aduersabantur in hac caussa; Nimirum pecuniam, quæ militibus daretur, in promptu non esse: & Philippi potentiam magnam esse, vt superari minime posse videretur. Quæ quidem refellit Demosthenes argumēto ducto a possibili. Nona enim propositio eorum, quæ fieri possunt, est; Quorū habemus potestatem, ea possibilia esse. At Athenienses huius rei habebant potestatē, vt pecunia in promptu esset, si tolli vellent legem ab Eubolo latā, de qua inferius. Ergo fieri poterat, vt ipsa pecunia in promptu esset. Et prima propositio est, Si vnum contrarium est possibile, etiam alterum est possibile. Si fieri potuit, vt Philippus tantam potentiam compararet, etiam fieri potest, vt eam amittat. Et tertia propositio est, si difficilius est possibile, etiam facilius est possibile. At difficilius est potentiam acquirere, quam amittere. Quare, si fieri poterit, vt tantus rex fieret etiam fieri potest, vt eius potentia minuatur; præsertim vero quia ipse frustratus est spe, & expectatione sua de Olynthiis, quos putabat facile cessuros esse, & tamen videt bellum esse gesturos. Idquod valde ipsum consternauit. Præterea Thessali socij eius ad defectionem propensi sunt; qui iam decretum fecerunt de Pagasis ab eo reposcendis, & ipsum munire Magnesiam prohibuerunt, neq; amplius ei vectigalē pecuniam concessuri sunt, qua milites peregrinos alat. Accedit, quod Illyrij, & Pæones, quos ipse habet sibi subditos, libertatis sunt appetentes. Postremo prospera fortuna stultus redditur. Quibus omnibus probatur, fieri posse, vt Philippus vincatur.

Nec omittit Demosthenes locos quosdam Topicos. Nam in tractatione vtilitatis argumentatur a similitudine, quod eadem ratio sit patandarum pecuniarum, & negociorum administrandorum. Si quis enim, quas pecunias parauerit, etiam seruauerit, magnam habet fortunæ gratiam; sin imprudenter consumpserit, simul consumpsit accepti a fortuna beneficij memoriam: Sic, si qui recte gesserint negocia sua, magnas diis immortalibus gratias habent; si vero postea non eadem prosperitate vtantur, obliuiscuntur omnia, quæ acceperint, beneficia. Et in tractatione eius, quod futurum est, etiam a simili, quod vt æris alieni, sic etiam ignauiæ tam tristes exitus sint, quam læta

initia. Et in tractatione facultatis Atheniensium ab enumeratione partium, quod duo exercitus mittendi sint, vnus, qui Olynthum tueatur: alter, qui Philippi ditionem infestet, & parandi aut ex ea pecunia, qua vterentur ad festa; aut ex aliis pecuniis, quarum parandarum rationes alij proponerent. Et in tractatione facultatis ipsius Philippi, etiam a partibus, quod Olynthij bellũ gerant, cõtra quam Philippus putarat; quod Thessali sint infidi: quod ei sit pecuniæ penuria: quod Illyrij, & Pæones libertatẽ appetant: quod ipse prospera fortuna insaniat. Atque hi sunt quasi fontes eorum, quibus Demosthenes in hac vtitur oratione, argumentorum, Ab assumptis, A maxime propriis, A magis propriis, A communissimis.

V.

MORES.

Morata oratio debet exprimere quosdam mores in persona oratoris, seq; accommodare ad mores auditorum. Publica autem deliberatio accommodanda est ad finem, & præclectionem, moresq; Reip. quæ quidem apud Athenienses tunc erat Democratia, & popularis. Nam initio fuit βασιλεία, & Regnum per annos octingentos sexaginta septem. Inde Democratia, & populi dominatus. Aliquando Tyrannis sub Pisistrato, & Pisistradidis, & Lachare, & Demetrio, & Antigono. Quater vero oligarchia, & paucorum factio; primum Olympiade 92. cum Resp. quadringentis viris commissa est. Inde Olymp. 94. cum placuit populo triginta viros legere, qui patrias leges conscriberent: postea Olymp. 114. cum Antipatro oratores Macedonum caussæ infestos postulantẽ, Demosthenes, & Hyperides profugerunt. Deniq; Olymp. eadem, cum pactio facta est cum Cassandro. Habita vero est hæc oratio inter secundam, & tertiam oligarchiam, quo quidem tempore Athenis vigebat Democratia, cuius finis cum sit libertas, & præclectio eorum, quæ pertinent ad libertatẽ, & mores libertatis, (mores enim cognoscuntur ex præclectione, & præclectio ex fine) ad libertatem retinendam suadet Demosthenes, ne superatis Olynthiis, & occupata Attica, Philippus Athenienses in seruitutem redigat: seq; accommodat ad mores eorum, tanquam fortunatorum, dum oblatam

a Diis

a Diis Olynthiorum occasionem exponit, & diuina in eos beneficia commemorat, ac pecuniæ copiam ad bellum gerendum eis adesse ostendit, maximamq; gloriam ab eis comparari posse significat. id quod valet plurimum apud expolitum hominum genus, quales erant Athenienses. Sunt enim duo hominum genera, vt docet Cicero in partitionibus oratoriis; alterum indoctum, & agreste, quod antеferat semper vtilitatem honestati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaq; huic generi honos, gloria, fides, iustitia, omnisq; virtus: illi autem alteri quæstus, emolumentum, fructusq; proponitur, atq; etiam voluptas, quæ maxime est inimica virtuti, boniq; naturam fallaciter imitando adulterat, quem immunissimus quisq; acerrime sequitur, neq; solum honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit. Addit Cicero in hunc modum; sed apud homines bene institutos plurimum de laude, & de honestate dicemus, maximeq; ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum vtilitate tuenda, augendaq; versantur. Sin apud indoctos, imperitosq; dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesq; dolorum proferantur, addantur etiam contumeliæ, atq; ignominiæ. Nemo enim est tam agrestis, quem non si ipsa minus honestas, contumelia tamen, & dedecus magnopere moueat. Cum autem orator tres mores in se ipso exprimere debeat, prudentiam, probitatem, beneuolentiam; exprimit Demosthenes beneuolentiam in auditores, dum fingit se, non vt Olynthiorum studiosum verba facere, sed ipsorum in primis auditorum, & Atheniensium vtilitatem procurare; nec videri vult Olynthios, quibus patrocinatur, tantum tueri, sed id potissimum curare, quod e Rep. futurum sit. Atq; hoc facere Demosthenem ad imitationem Thucydidis, notat Vlpianus. Fuit enim Demosthenes Thucydidis adeo studiosus, vt, quemadmodum scriptum reliquit Dionysius Halicarnasseus, eius historicum opus octies exscripserit, totumq; fere edidicerit, ita vt eum potuerit facile imitari. Quemadmodum igitur apud Thucydidem Lesbius, & Corcyreus, hic ad Athenienses petendæ gratia societatis confugiens, ille ad Lacedæmonios deficiens, non tam de se videntur laborare, quam de vtili-

tate audientium: sic Demosthenes vult videri non tam agere de Olynthiorum commodo, quam de publica Atheniensium vtilitate. Exprimit probitatem, dum quod Athenienses multa amiserint in bello, id eorum tribuit negligentiæ: quod vero non olim id passi fuerint, & apparuerit ipsis via quædam, qua possint iacturam virium suarum sarcire, id diuino beneficio adscribit, & pie, sancteq; animos auditorum ad cultum diuini numinis excitat. Exprimit prudentiam, dum agit de duobus exercitibus mittendis, altero in Macedoniam, altero ad Olynthum; & caute admodum loquitur de lege theatrali; &, quia negare non potest, potentiam Philippi, eam membratim diuulsam, atq; in particulas minutissimas concisam, oratione ostendit minorem; ad imitationem etiam Thucydidis, qui idem facit in Siculis concionibus de potentia Persarum Regis.

VI.

AFFECTVS.

SVperius est notatum, præcipuos affectus generis deliberatiui esse metum, fidentiam, pudorem, & impudentiam. Quamobrem mouetur metus ab ingenio Macedonis, qui est versutus, & callidus, quales inprimis esse metuendi videntur. Mouetur pudor, quod Athenienses fuerint ignaui, cessando, cum minime cessare debebant. Mouetur fidentia, quod Olynthij non facile Philippo sint reconciliandi: quod ea, quæ ad Deos pertinent, egregie se habere videantur: quod pecunia possit suppetere: quod vires Philippi futiles existant.

VII.

ELOCVTIO.

CVm elocutio deliberatiua requirat magis amplitudinem sententiarum, quam exquisitum studium verborum; dici non potest, quanta delectetur grauitate, maxime sententiarũ, hic orator, in deliberationibus pertractandis.

VIII.

DISPOSITIO.

IN hac oratione hæ partes sunt collocatæ; Procemium ad attentionem comparandam, maxime ex eo, quod orator non magis de Olynthiorum, quam de auditorum rebus, atq; vtilitatibus agere videatur. Propositio, de ope Olyn-

Olynthiis ferenda. Fides, & confirmatio in tres partes distributa; de vtilitate Atheniensiũ, si Olynthij fuerint conseruati: de facultate ipsorum Atheniensiũ, & pecunia militibus danda: de facultate Philippi peroratio sumpta a summis capitibus orationis, a facultate, & ab vtilitate. Nulla posita est narratio, ea ipsa de caussa, quæ supra notata est.

IX.

IN PROOEMIVM.

Ἀντὶ πολλῶν, ἂν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρημάτων. *Pro multis, ô viri Athenienses, pecuniis*] Cum quinque sint loci procœmiorum deliberatiuorum, διαβάλλειν, ἀπολύεσθαι, αὐξῆσαι, μειῶσαι, κόσμος, criminari, criminationem depellere, amplificare, diminuere, ornatus; nonnulli putarunt locum huius procœmij esse criminationem depellere, quod cum suspectus esset Demosth. tanquam corruptus largitionibus Olynthiorum, voluerit eam suspicionem amouere, affirmans præponendam esse pecuniis, quamuis multis publicam vtilitatem. Respondet tamen Vlpianus, Demosthenem nõ dicere: Ego præpono publicã vtilitatẽ multis pecuniis, sed ὑμᾶς ἑλέσθαι νομίζω, vos præposituros arbitror. Mihi vero locus proprius videtur esse, ab amplificatione, quod amplificet laudem Atheniensium, qui si multas pecunias solent aspernari, multo magis contemnent paucas, argumento ducto a minori: & audientiam volentium consulere, qui si ex tempore audiuntur, multo magis meditati debent audiri: & felicitatem Atheniensium, qui occasionem habent recuperandi totius Grçciæ principatum. Quæritur autem, cur, cum illud primum probandum esset, bellum Olynthiacum nõ esse Atheniensibus alienum, deinde illud, pecuniam in promptu esse; mentionem in primis fecerit Demosthenes pecuniarum. Et respondet Vlpianus, morem Demosthenicum esse, collocare secunda ante prima, ad abripiendum auditorem. Idemq; factum esse in oratione pro Corona: antequam enim constituisset, vtrum ipsum, an Ctesiphontem caussam dicere oporteret, eum arripuisse id, tanquam indubitatum, ac petiisse ab auditoribus, vt ipsi permitterent, quo ipse vellet ordine, orationem contexere. Quod attinet ad pecunias, quas Demosthenes nominat, sic scriptum reliquit Vlpianus; Quia

in magna frequentia ſpectatorum tum ciues, tum hoſpites ſeditioſe de locis contendebant, magiſtratus Athenienſium ad eas rixas prohibendas venalia loca fecerunt. poſt diuitibus loca ementibus ad captandum plebis, & pauperum fauorem, vt & ipſis eſſent, vnde loca emerent, decretum fecit Pericles, vt reditus ciuitatis omnibus ciuibus ad ſpectanda præberentur. Deinde Apollodoro quodam eandem in ſtipendia militum denuo conuertere aggreſſo; Eubolus vnus e magiſtratibus captator auræ popularis, magis ſibi deuincire plebis animos ſtudens, lata lege, capitalem in eum pœnam ſtatuit, qui theatralem pecuniam facere militarem inſtitueret. Hæc ille, dignum vero animaduerſione videtur, hanc mentionem pecuniarum eſſe quaſi ſemen argumentorum in aduerſarios, qui, cum pecuniam theatralem attingere per legem Euboli non liceret, obiiciebant pecuniam in promptu non eſſe ad bellum pro Olynthiis gerendum. Dicit ὑμᾶς, vos, per emphaſim, vt notat Vlpianus, illos ſcilicet, quos non cepit opulentia Perſica, non Lacedæmonij magna pollicitantes. Dicit ἑλέσθαι electuros eſſe, præ ſe ferens hoc modo honorificam de auditoribus opinionem, eorumq; beneuolentiam captans. ὅτε τοίνυν ταῦθ' οὕτως ἔχει. Quando igitur ſic ſe res habet. Cum procemij propoſitioni addi ſoleat aliqua ratio (tradit enim Hermogenes, procemium conſtare, ἐκ προτάσεως, ἐκ κατασκευῆς, ἐξ ἀποδόσεως. ἐκ βάσεως, ex propoſitione, ex ratione, ex redditione, ex comprobatione) id tamen non eſt perpetuum. Nam ſi ea ſit propoſitionis auctoritas, vt probatione non egeat, prætermittitur ratio, vt hoc in loco, vbi ponitur tanquam communiter approbatum, Athenienſes publicam vtilitatē multis pecuniis anteponere. προσήκει προθύμως ἐθέλειν, ἀκούειν τῶν βουλομένων συμβουλεύειν. Conuenit prompte velle audire volentes conſulere. Sententia eſt horrans ad fauendum illis, qui conſilium dat: volunt. Οὐ γὰρ μόνον. *Non enim ſolum*] Non modo a meditatis, verum etiam a non meditatis vtile afferri conſilium, optabile eſt. τῶν δεόντων, eorum, quæ fieri debent, non ſolum eorum, quæ dicuntur συμφέροντα, & conducentia, ſed etiā eorum, quæ vocantur πρέποντα, & conuenientia. Τῆς ὑμετέρας τύχης. *Veſtra fortunæ*] Athenienſes eſſe fortunati ſignificantur,

cantur, vt etiam in Philippicis, & oratione de corona. *Μονονουχὶ λέγει, φωνὴν ἀφιείς. Fere dicit vocem emittens*] Est Prosopopœia oratoria, quæ, vt notat Vlpianus, differt a prosopopœia Poetica, quod Poetæ occasioni, vel alicui rei alteri, cui sermonis facultas negata est, orationem attribuunt: at orator illius voce fungitur, vt sit oratio probabilis. *Εἴπερ ὑπὲρ σωτηρίας αὐτῶν φροντίζετε. Si de ipsarum salute curam habetis*] Explicat Vlpianus in præfatione; Hæc est occasio illa, quæ nos vocat, & excitat ad recuperationẽ, & conseruationem illarum rerum, si salutem ipsarum curatis, hoc est, si ciuitati curæ est, præesse Græcis, hæc est illa occasio, quæ principatum ciuitati restituat. *ἡμεῖς δὲ, οὐκ οἶδ᾽ ὅν τινά μοι δοκοῦμεν ἔχειν τρόπον πρὸς αὐτά. Nos vero nescio, quo mihi modo affecti esse ad ipsas videamur*] Dicit Nos, quia solet se ipsum immiscere, cum auditores reprehendit, quod pertinet ad prudentiam moratæ orationis, & est ὑποσιώπησις, & subticentia, cum quid subobscure indicatur, vt hoc in loco Atheniensium socordia significatur. Nam ἀποσιώπησις, & reticentia rem prorsus obticet, vt in oratione de corona, *οὐ βούλομαι δὲ δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδὲν ἀρχόμενος τοῦ λόγου.* Nolo autem quicquam molestum dicere initio orationis meæ.

X.

IN PROPOSITIONEM.

ΕΣτὶ δὴ τά γ᾽ ἐμοὶ δοκοῦντα. Hæc igitur illa sunt, quæ mihi videntur] Proponit orator Olynthiis opem ferendam: & legationem mittendam. Cum autem redigat omnem confirmationem, omniaq; argumenta ad duo capita, ad vtile, & ad possibile; vt probet vtile fore Atheniensibus, auxilium ferre Olynthiis contra Philippum, & fieri posse, vt Philippus vincatur, tum propter facultatem Atheniensium, quæ satis firma erat, tum propter facultatem Philippi, quæ in rebus minus secundis superari posse videbatur; non est dubium, quin potuerit Demosthenes illa duo proponere. Nam, cum suasori duo simul sint probanda, Vtile esse, & Fieri posse; dissuasori autem satis sit, alterum infirmare; vel Non esse vtile, vel Fieri non posse; vt docet Cicero in partitionibus; earum rerum potest esse propositio, quarum futura est confirmatio. Contentus tamen fuit ge-

nerali propositione de ope Olynthiis ferenda: de legatione mittenda. ἥτις ζῶντ' ἐρεῖ. *Qua hæc dicat*] Venturos Athenienses, opemq; illis laturos; & sua præsentia eos consoletur; & caueat, ne locus Philippo detur eos decipiendi, cum præsentem illam legationem veluti pro pignore mittendi auxilij habituri sint.

XI.

IN FIDEM, SEV CONFIRmationem.

IN PRIMAM PARTEM.

ΩΣ ἐςὶ μάλιςα τῦτο δέος. *Etenim hoc maxime metuendum est*] Mire Demosthenes enthymematibus delectabatur, vt cum alij oratores sint enthymematici, alij exemplares, vt docet Arist. lib.1. Rhet. cap.2. hic inter enthymematicos obtinuerit principatum. Id quod cum Pytheas popularis orator ei ludibrio vertisset (dixit enim eius enthymemata lucernam olere) Non (inquit Demosthenes) earundem rerum tibi, ac mihi conscia est lucerna. Itaque cum ipse enthymemata ad lucernam componeret (nihil enim non meditatus dicebat) aduersario scelerum nocturnorum conscientiam exprobrauit. Primo loco igitur, cum proposuerit legationem mittendam, affert rationem, quia metuendum sit, ne Philippus auertat, & auellat aliquid: idque probat hoc enthymemate; Philippus in rebus gerendis est homo versutus, & callidus, qui modo cedat, quando res ita postulet, modo minitetur, cum fide dignus merito videatur, modo Athenienses, & Atheniensium absentiam calumnietur: ergo metuendum est, ne his technis suis aliquid auertat, & auellat, nisi ipsorum Atheniensium adsint legati, qui apud Olynthios illis technis obsistant. Notat Vlpianus, quod, quemadmodum Thucydides in concione Corinthiorum, & ad Græcorum principatum suscipiendum Lacedæmonios hortatur, & perterrefacit ostendendo Athenienses recta in Peloponnesum inuadere: sic Demosthenes Thucydidis imitator nō solum demonstrat bellum pro Olynthiis gerendum auctoritatis eius, & principatus, quem olim Athenienses tenuerint, recuperandi principium fore, sed etiam terrorem eis incutit, affirmans Philippum in Atticam penetraturum, ni Olynthij fuerint

confer-

conseruati. Et, quemadmodum Thucydides in eadem oratione cum excitare velit auditorem, non exaggerat potentiam Atheniensiũ, sed criminatur institutum, & animum, & calliditatem, qua in Græcorum Rep. administranda vtantur: sic Demosthenes illud idem factitans, passim rerum gerendarum cupiditatem Philippi inculcat, ac tempestiuam, & seriam negotiorum susceptionem, neq; copiis eius, neq; viribus multum tribuens. Commemorat absentiam Atheniensium, quæ postea nonnulla ex parte caussa fuit, cur Olynthus excinderetur, cum Atheniensium quadraginta triremes serius venissent, ceteraq; auxilia parum firma essent, vt in Mediana narrat Vlpianus. Dum dicit, *τρέψηται, καὶ παρασπάσηται τι*, Auertat, & auellat aliquid, significat Olynthios constantes, qui non nisi inuiti possunt auerti, & auelli; quod sumptum est ab iis, qui ad aras confugientes inde abstrahuntur, vel a membro aliquo corporis, vt ostendatur coniunctio Olynthiorum.

Οὐ μὴν ἀλλ' ἐπιεικῶς. Verumenimuero illud peropportune accidit] Secundo loco probat *παρὰ προσδοκίαν*, & præter expectationem, idem esse & Philippo, & Atheniensibus vtilissimum. Nam eundem omnia administrare multum valet ad res bellicas cito, & opportune conficiendas, quod Philippo vtilissimum est: sed parum valet ad conciliationes cum Olynthiis faciendas, qui eum ob multam sedulitatem oppugnatu, & superatu difficilem suspectum habent, quod Atheniensibus vtilissimum est. Ergo idem & Philippo, & Atheniensibus vtilissimum est. Dicit Philippum *εἶναι πάντων ἕνα κύριον καὶ ῥητῶν, καὶ ἀπορρήτων*, esse omniũ vnum dominum tum eorum, quæ aperta, tum eorum, quæ operta sunt, ita vt cum ab eo pendeant omnia, arcana eius facilius occultari posse videantur. Cæcilius Metellus dicebat, se tunicam in ignem coniecturum, si arcanorum sciret esse consciam. Hæc igitur sunt commoda Monarchiæ, quod vnus homo omnia & aperta, & operta moderatur: quod idem simul & dux est, & præses, & quæstor: quod ipse vbiq; adesse potest exercitui.

Δῆλον γὰρ ἐστι τοῖς Ὀλυνθίοις. Perspicuum enim est Olynthiis] Tertio loco probat non facile Olynthios Philippo reconciliatum iri. Nam exploratum habent se de excidio, & ser-

uitute patriæ dimicare: exemplum habent Amphipolitarum, & Pydnæorum: intelligunt magnum esse dissidium inter Tyrannidem, & Resp. quæ Tyrannidi finitimam habent regionem: inimicitias cum eo gerunt non aliorum impulsu, sed ex illatis sibi criminibus vltro susceptas: ergo non facile reconciliabuntur. Itaq; hoc enthymema quatuor coaceruat rationes. Tertiæ autem rationi adiungit Atheniensium adhortationem, cum hoc enthymemate. Nulla ratio, nullaq; excusatio amplius relinquitur nobis, quod facere ea, quæ fieri debent, nolitis, & fungi officio vestro recusetis. ergo debetis excitari, & ad bellum animum adiicere, pecuniam prompte conferentes, & ipsi exeuntes, neque vnquam cessantes. & quartam rationem alia argumentatione munit, quod poterant Olynthij bellum suscipere aduersus Philippum duobus modis, aut ab Atheniensibus inducti, & hoc modo fuissent fortasse parum firmi socij, & ad tempus fidi: aut ex illatis sibi criminibus, & hoc modo verisimile erat stabilem eos inimicitiam gesturos esse. Iam susceperunt bellum, & quidem hoc secundo modo; ergo id, quod vulgo optabant Athenienses, vt Olynthij Philippo inimici redderentur, vltro se obtulit; & quidem eo modo, qui maxime Atheniensibus conducebat: ἀμφιπολιτῶν τοὺς παραδόντας. Possumus duobus modis intelligere, vel certos aliquos deditionis auctores: vel omnes Amphipolitas, pro ἀμφιπολίτας τοὺς παραδόντας. Sic infra, πυδναίων τοὺς ὑποδεξαμένους, vel certos aliquos auctores receptionis: vel vniuersam Pydnæorum ciuitatem, id est, πυδναίους τοὺς ὑποδεξαμένους, Pydnæos, qui receperunt. Notum autem est illud; Felix, quem faciunt aliena pericula cautum, καὶ ὅλως ἄπιστον, οἶμαι, ταῖς πολιτείαις ἡ τυραννίς, ἄλλως τε κἂν ὅμορον χώραν ἔχωσι. *Omninoq; Rebusp. res infida est Tyrannis, præsertim vero si finitimam habeant regionem*] Sententia omnibus Rebusp. animaduertenda. Καὶ τ' ἄλλα, ἃ προσήκει πάντα. *Et alia, quæ conueniunt omnia*] Gloriam maiorum, Græciæ principatum, consuetudinem oppressis opitulandi, grassationes, & iniurias Philippi, periculi magnitudinem, nisi ei resistatur.

Οὐ δεῖ δὴ τοιοῦτον, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, παραπεπτωκότα καιρὸν ἀφεῖναι. *Iam vero talem, viri Athenienses, oblatam occasionem pra-*

nem prætermittere non oportet] Quarto loco, cum exemplum sit proprium instrumentum deliberationum, adducit exempla cessationis Atheniensibus perniciosæ. Exempla autem, vt docet Cicero in Partitionibus, aut sunt recentia, quæ notiora sunt: aut vetera, quæ plus auctoritatis habent. Ac poterat quidem Demosthenes multa vetera exempla proferre, quibus ostenderet cessationem esse perniciosam: sed adducit recentia exempla, quibus maxime solet delectari, & quidem petita ex ea ipsa Rep. cui volebat persuadere, non esse cessandum. Nam Atheniensibus fuit perniciosa cessatio in recipiendis multis vrbibus, vt Amphipoli, Pydna, Potidæa, Methone, Pagasis, & aliis, quas si aduersus Philippum adiuuissent, faciliore postea, & longe humiliore vsi fuissent Philippo. Ergo etiam perniciosum esset cessare in ope Olynthiis ferenda. Itaq;, postquam animum Olynthiorum commendauit, & eos firmos fore socios ostendit, amplificat eam rem, tanquam fortunæ benignitate Atheniensibus oblatam, & temporis quandam felicitatem vocat. Nam occasio oblata, seu, quæ incidit, rerum fortuitarum est, & præter expectationem euenientium. Ab occasione autem exhortari, Thucydideum est. Quod fit quoq; in concione Corinthiorum.

Εἰ γὰρ, ὅθ' ἥκομεν Εὐβοεῦσι βεβοηθηκότες; *Si enim, cum veniebamus, Euboensibus auxiliati*] Increpat eorum ignauiam, & negligentiam incessit. Dum vero eos auxilium, & salutem tulisse dicit Euboensibus, haud obscure ciuitatis potentiam ostendit. Ac operæ pretium est, exemplum ipsum admirari. Cum enim & Euboenses videantur societatem deseruisse, & tamen defensi sint, proprie etiam hoc exemplo est vsus. Præterea, dum Athenienses auxisse Philippi opes affirmat ignauia sua, simul terret, simulq; consolatur. amplificando enim percellit: dicendo autem eum per eorum ignauiam factum esse magnum, rursus id molitur, vt de timore nonnihil remittant, cum in ipsorum potestate futurum sit, eundem rursus deiicere. Sic facere Thucydidem liquet in concione Corinthiorum. Sic supra ad eiusdem Thucydidis imitationem idem Demosthenes, quibus terrebat, Philippum describendo hominem versutum, & callidum, per ea ipsa rursus consolatur, ostendendo facile

deprehendi posse ingenium Macedonis, ac propterea non facile fraudibus circumuentum in Olynthum. Id quod etiam Thucydides facit in concione Corinthiorum. Quibus enim rationibus reprehendit, iisdem rursus laudat, & increpationibus commendationem miscet, & terret, & hortatur, & laudat, & obiurgat, contrariis rebus concionem pertexens; vt egregie obseruauit Vlpianus. Amphipolis autem erat inter Macedoniam, & Thraciam: Pydna in Macedonia: Potidæa in Thracia: Methone in Achaia: Pagasæ in Thessalia.

Νυνὶ δὲ καιρὸς ἥκει, τίς; *At nunc occasio venit, quanam?*] Quincto loco vtitur hoc enthymemate; Hæc Olynthiorũ occasio, quæ sua sponte se offert ciuitati, nulla priorum illarum inferior est: ergo non prætermittenda.

Καὶ ἔμοιγε δοκεῖ τις ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι; *Et mihi videtur aliquis, o viri Athenienses*] Sexto loco sic argumentatur; Hæc occasio diuinitus oblata est: ergo diis immortalibus est gratia habenda. ornat hoc enthymema, quia ita sentiendum sit illis, qui recte ratiocinati fuerint, & reputauerint id, quod verum est. Nam multa quidem Athenienses bello amiserant; sed id eorum negligentiæ erat tribuendum: multas vero commoditates habuerant, quæ diuinæ beneuolentiæ acceptæ erant referendæ, præclare autem mala omnia, quæ Athenienses in bello perpessi sunt, eorũ adscribit negligentiæ: bona vero, vt incommodorum dilationem, & Olynthiorum societatem, diuinæ tribuit beneficentiæ. Non enim, quod fit a quibusdam hominibus sceleratis, malorũ caussæ in Deum referendæ sunt: omnium vero bonorũ caussa haberi debet Deus, quem Græci Poetæ appellarunt δωτῆρα ἐάων, id est, præbitorem bonorum.

Δίκαιος λογιστὴς τῶν παρὰ τῶν θεῶν ἡμῖν ὑπηργμένων καταστάς; *Iustus æstimator eorum, quæ a Deis sunt nobis suppeditata*] Quemadmodum nominat hic deos: sic infra fortunam pro diuina voluntate. Μεγάλην ἔχει τῇ τύχῃ τὴν χάριν; *Magnam habet fortuna gratiam*] Idem in oratione ad epistolam Philippi, primum fortunæ tribuit omnem prorsus rerum humanarum rectionem, ac gubernationem in hunc modum; μεγάλη γὰρ ῥοπή, μᾶλλον δὲ ὅλον ἡ τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶ τῶν ἀνθρώπων; *Etenim magnum momentum est, immo vero*

totum

totum fortuna ad omnes hominum actiones] Deinde, quid fortunæ nomine intelligat, paullo post docet: cum enim dixisset, si quis sibi optionem daret, malle se Atheniensiũ fortunam, quam Philippi, caussam subijciens, cur eo sit animo, ait, πλείυς ἀφορμὰς αὐτὺ ϖϱὸς τὴν ϖ̃ θεῶν εὔνοιαν ἔχομῳ. Plures aditus, quam ipse, ad deorum beneuolentiam habemus. Dicit συμμαχίαν τύτων ἀντίῤῥοπον. Societatem, qua iacturam virium nostrarum sarciamus: depulsricem horum: exæquantem hæc: quæ sit paris ponderis, & momenti: quæ possit superiores clades resarcire.

Ἀλλ', οἶμαι, παρόμοιον ἐστι; *Verum, vt opinor, tale quippiam est*] Septimo loco argumentatur sic; In pecuniis possidendis, si quæcunq; aliquis acquisiuerit, etiam seruauerit, magnam habet fortunæ gratiam: si vero incautus consumpserit, simul etiam consumpsit acceptæ a fortuna gratiæ memoriam. ergo etiam in negotiis administrandis, quorum eadem ratio est, ac pecuniarum, si qui minus recte occasionibus vsi fuerint, ne si quid boni quidem a Deis obtigerit, meminerunt. ornat argumentationem sententia, quia iuxta illud, quod extremũ euenerit, vnumquodq; eorum, quæ prius fuerunt, plerunq; indicatur.

Εἰ δὲ ϖϱοησόμεθα; *Si vero neglexerimus*] Octauo loco ita; Negligere semper aliquid, minime expedit, ex qua negligentia Athenienses infamiam subiecerunt: ergo Olynthij non sunt negligendi, nec permittendum, vt superatis Olynthiis Philippus in Atticam penetret. Φρασάτω τίς ἐμοὶ; *Dicat mihi aliquis*] Notum illud Horatij est;

Et tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Ἆρ' ἐϱά γε λογίζεταί τις ὑμῶν; *Num aliquis vestrum considerat*] Nono ad hunc modum; Adhibere sedulitatem expedit, quam quidem adhibendo Philippus ex debilibus principiis magnus Rex factus est: ergo nisi ei obsistatur, Olynthiis adiuuandis, eadem sedulitate vtitur in vniuersa Attica occupanda. Exponit autem progressionem, quam is fecit ad amplitudinem imperij sui: & nominat Pheras, oppidum Thessaliæ: Pagasas, Magnesiam, etiam Thessaliæ: alios ex regno eiectos, vt Terem, & Cersobleptem, quod apparet ex Philippi literis: alios reges a Philippo constitutos, qui ignorantur ob deficientem historiam, cum tamen alij

duo Thraciæ Reges nominentur in Aristocratea oratione, Amodocus, & Berisades: Illyrios, & Pæones, qui sunt ipsius, gentes barbaræ Macedoniæ finitimæ: Arymbam, qui Rex fuit Molossorum, Olympiadis Philippi vxoris auunculus. Et ait Philippum tanta esse cupiditate imperandi omnibus, vt ne a cognatis quidem abstineat, quippe qui ne auunculo quidem parcat vxoris. Τί ἂν τις ἂν εἴποι; *Quid igitur dicet aliquis*] Ἀνθυποφορά, & obiectio, quæ figura est, cum partem orationis quasi probat auditor, de reliqua vero ambigit, vt hoc in loco, perinde ac si quis diceret, Bene quidem ais; habet enim hæc Philippus: sed intempestiue ais. Neq; enim prodiisti, vt nobis Philippi res gestas commemorares: sed vt ostenderes de Olyntho quid fieri oporteat. Πρὸς θεῶν τίς οὕτως εὐήθης ἐστὶν ὑμῶν, ὅς τις ἀγνοεῖ τὸν ἐκεῖθεν πόλεμον δεῦρο ἥξοντα, ἂν ἀμελήσωμεν; *Quis vestrum, per Deos, adeo stultus est, qui ignoret, inde bellum huc venturum esse, si neglexerimus?*] Personæ loco rem ponit, dum non dicit, Hostes contra nos venturos, sed bellum. Est autem hoc etiam Thucydidi familiare, tum vt res pro personis, tum vt personas pro rebus ponat. Nam huiusmodi vocum immutationes nouitatis quandam speciem orationi conciliant. Artificiose vero hoc interrogat, vt vnusquisq; cauens, ne ipse se stoliditatis condemnet, in sententiam oratoris, tanquam vera dicentis concedat. Quod notatum ab Vlpiano scribit Aristot. lib. 3. cap. 7. ad decoram orationem pertinere, quæ affecta est. Afficiuntur enim, inquit, aliquātisper auditores eo ipso, quo affatim vtuntur scriptores orationum. Quis autem non intelligit? omnes sciunt. confitetur enim audiens pudore captus, vt eius particeps sit, cuius & alij omnes.

Ἀλλὰ μὴν εἰ τοῦτο γενήσεται; *Verum si hoc fiet*] Decimo sit; Qui ingenti fauore mutuam pecuniam accipiunt, parum temporis affluentes, mox etiam pignoribus videre soliti sunt: ergo Athenienses quoq;, quorum similis est ratio, timendum est, ne, dum in nimio ocio versantur, & cuncta voluptate metiuntur, multa, & difficilia ex iis, quæ in sua sunt regione, in periculū adducantur. Οἱ δανειζόμενοι, *Mutuam pecuniam accipientes*] Notat Vlpianus, quosdā hunc locum non de accipientibus mutuam pecuniam, sed de fœne-

fœnerantibus exponere, quia, tametsi vox δανειζόμενοι est vox passiua, pro iis, qui fœnore opprimuntur, tamen Athenienses passiua sæpe actiuorum loco accipiant, & vocent ἀρχαῖα non solum pignora, & hypothecas, sed ipsam etiam sortem. Cum enim vsuras, inquiunt, soluere nequeant, tandem obærati aufugiunt. Sic creditores & sortis, & vsurarum iacturam faciunt. Εἰς ἀνάγκην ἔλθωμεν; *In necessitatem veniamus*] Notat idem Vlpianus familiare esse Demostheni, tum rerum molestarum communione se quoq; complecti; tum rerum bonarum fructum Reip. in vniuersum transcribere; idq; magnam vim habere ad conciliandam ipsi auditorum beneuolentiam.

IN SECVNDAM PARTEM.

Τὸ μὲν οὖν ἐπιτιμᾶν; *Ac increpare quidem*] Vndecimo, dum agit de facultate Atheniensium, duo docet, tum rationem instructionis, tum pecuniæ copiam. Supra autem notauimus, deliberantibus de bello, & pace tenendam esse facultatem tum propriæ ciuitatis, tum hostium, vt sine dubio tenet Demosthenes facultatem Atheniensium, & Philippi. Quoniam vero de legionibus constat, & de equitibus item constat, ac perspicuum est eas esse & Atheniensium, & Olynthiorum copias, vt, si simul coniungantur, Philippum superare posse videantur, de his, tanquam de confessis omittit disputationem. Ac prius quam argumentetur, quia ei huiusmodi disputatio ardua est, exordio vtitur, cum ad eam ipsi quodammodo non liceat aperte, ac libere, & expedite accedere, nisi prius captata beneuolentia, & præparatis auditoribus. Neq; vero mirum videri debet, Demosthenem in media oratione exordio vti. Nam duo tradit Vlpianus esse genera exordiorum, vnum eorum, quæ toti orationi viam muniunt, & vim eorum, quæ dicenda sunt, sparsim continent: alterum eorum, quæ iis solis medentur, quæ aliquod caput lædunt orationis. Tale hoc in loco adhibet exordiũ orator, cumq; ad aliud caput transeat, non omnino proprium exordium sumit, ne veluti secta oratio videatur, sed inde auspicatur, vbi dicere desiit, nempe a capite vtilitatis. Et, cum exordiorum deliberatiuorum quinque sint loci, vt supra notatum est, docuit exordium partim a depulsione criminis, quod cum ea dicere videatur, quæ

non ſunt eius, qui conſulit, nihil tamen dicat, quod ad publicam vtilitatem non ſpectet: partim ab obiectione criminis, & moleſta reprehenſione iniquitatis audientorum, & conqueſtione, quod ſæpe ſuccenſeant non auctoribus, ſed iis, qui poſtremo loco dixerint, ſi quid minus ex ſententia euenerit. Atq; huiuſmodi habito exordio in ratione inſtructionis ſic argumentatur; Si Athenienſibus tantum Philippi regionem male afficientibus, ipſe id tolerans, Olynthum in ſuam redegerit poteſtatem, facile in ſuam reuerſus eos vlciſcetur. Si adiuuantibus tantum eis Olynthum, idem animaduertens res domi in tuto eſſe, aſſederit, & aſtiterit rebus gerendis tempore progrediente obſeſſos Olynthios ſuperabit. ergo non tantum Philippi regio eſt infeſtanda: non tantum Olynthiis auxilium ferendum: ſed duo mittendi exercitus, alter in Macedoniam, alter ad vrbem Olynthum. De copia vero pecuniarum hoc argumento vtitur; Aut pecuniis, quas in promptu habetis, vultis vti: aut non vultis. Si vultis vti, non eſt opus parare nouas pecunias: ſi non vultis, eſt opus. Qua in re, quoniam videbatur ſuadere illud, quod per legem Euboli capitali pœnæ erat ſubiectum, vt pecuniæ theatrales fierent militares, idcirco, vt notat Libanius in argumento, ἀλαβῶς ἅπτεται τῆς περὶ τούτου συμβουλῆς, caute attingit de hoc conſilium. & præterea ſic argumentatur a ſententia. Opus eſt pecuniis, & ſine his nihil licet fieri eorum, quæ conueniunt, ergo pecuniæ ſunt omnibus conferendæ, ſi multis opus ſit, multæ, ſi paucis, paucæ. Ac primum quidem adhibetur ἀντίθεσις ἀπὸ τοῦ δικαίου, oppoſitio a iuſto, in hunc modum; Inique facis Demoſthenes, qui tantum nos obiurges, quod facile, & cuiusq; eſt, non eius, qui conſilium det.

Φημὶ δὴ διχῇ; *Itaq; dico duobus modis*] Cum Demoſtheni propoſitum ſit, vt vnus exercitus Olynthum mittatur, duos decerni iubet, eo potiſſimum, vt alterum dumtaxat poſſit obtinere. Solet enim ſemper maiora, & plura, quam obtinere cupiat, poſtulare, vt ipſa neceſſitate impendente minora deligant, atq; ſuſcipiant. Deinde vt territos magnitudine inſtructionis terreat etiam magnitudine tributi, eaq; ratione adigat ad theatralem pecuniam relinquendam. Non autem ei eſſe propoſitum, vt binæ copiæ mittantur,

tantur, ex eo perspicuum est, tum quod nec prolixe id agit, nec confirmat vtrasq; esse mittendas, tum quod celeriter ad rationem pecuniæ transcurrit. Hæc Vlpianus in præfatione; qui postea etiam scribit, quoniam Demosthenes scit Athenienses ingenti socordiæ esse mancipatos, cum bina ipsis auxilia proponere, vt saltem vnum mittant. Περὶ δὲ χρημάτων πόρου; *Quod vero attinet ad pecunias apparandas*] Est notatu dignum, inquit Vlpianus, quod in orationi de pecuniis non immoratur propter difficultatem, sed statim rursus ad tributa transit, vt non de industria Eubolo aduersari, sed rerum necessitatem sequi videatur. Tributi autem mentionem facit, non quod reuera id velit, vt tributum pendant, sed vt per tributum eos cogat pecuniã theatralem relinquere. Τί οὖν ἄν τις εἴποι, σὺ γράφεις ταῦτ' εἶναι στρατιωτικά; μὰ δί', οὐκ ἔγω γε; *Quid ergo, dixerit aliquis, tu legem fers, vt hæ sint militares? Ego vero nequaquam*] Anthypophora, Tu igitur scribis, & legem fers de theatrali pecunia in stipendia militum conuertenda? Minime vero, quod periculi gnarus sim, & legis Euboli non ignarus. Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων; *Opus est certe pecunia, & sine his, nihil licet fieri eorum, quæ conueniunt*] Huic sententiæ congruit illud, quod scriptum reliquit Arist. lib. 1. Eth. Fieri non potest, vel non facile fit, vt honeste agat is, cui necessaria non supperunt.

IN TERTIAM PARTEM.

Ἄξιον δὲ ἐνθυμηθῆναι; *Operæ precium vero est cogitare*] Duodecimo, incommodum de potentia Philippi Thucydideo artificio refellit, vt Thucydides facit in Siculis concionibus, & Isocrates in Panegyrico. Quoniam enim negare non potest potentiam Philippi, eam membratim diuulsam, atq; in particulas minutissimas concisam oratione facit minorem; quod notauit Vlpianus, & sic argumentatur; Turbatus est Philippus, quod frustratus sit de Olynthiis: Thessali socij eius ad defectionem spectant: ei pecuniæ est penuria; propter quam ipse milites conducere non potest: qui ei subditi sunt, Illyrij, & Pæones libertatis sunt appetentes: ipse prospera fortuna insanit: ergo non decenter, & bene res Philippi se habent. Διέψευσται; *Frustratus est*] De Olynthiis, qui bellum cum eo gerunt, contra quam

ipſe putarat. *εἶτα τὰ τῶν Θετταλῶν; Deinde metus Theſſalorum*] Aleuas quidam ex Herculis familia Theſſalus tyrannide in Theſſalia potitus eſt. Deinde huius etiam liberi. Cum autem Theſſali tyrannidem ferre non poſſent, &, quo ſe verterent, neſcirent; Philippum adſciuerunt in auxilium. Is cum veniſſet, Aleuadas tyrannide deiecit. Ob id beneficium gratum ſuum animum declarantes Theſſali, vſumfructum Pagaſarum, portorium item, ac mercatuum vectigalia conceſſerunt. Perfidi vero exiſtimati ſunt Theſſali, vel propter Theſſalum Iaſonem, qui Medeæ fregiſſe fidem viſus eſt: vel quod bello Peloponneſiaco, cum vtraq; acies iam in procinctu ſtaret, ab Athenienſibus ad Lacedæmonios defecerunt, vt narrat Thucydides. Magneſia vero regio fuit Theſſaliæ finitima, ac Theſſaliæ ditionis, atq; etiam vrbs eiuſdem nominis. Quam, cum ab eis defeciſſet, Philippus in Theſſalorum gratiam ſubegit, ac poſtea caſtellum in ipſa vrbe Magnetum extruxit, vt ne ſecundo etiam deficerent: ſed reuera id ſpectauit, vt inde facilius Theſſalos oppugnaret; qui, cum id animaduerterent, prohibuerunt eum a munitione. Hæc ex Vlpiano. *Ἀλλὰ μὴν τόν γε παίονα; Verumtamen, & Paonam*] Non ſolum Philippus infirmas opes habet propter Græcos, verum etiam propter barbaros. *Τὸ γὰρ εὐπράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. Nam ſi bene agatur prater dignitatē, id efficitur ſtultis male ſentiendi occaſio*] Sententia enthymematica incluſam habeas rationem.

XII.

IN PERORATIONEM.

Δεῖ τοίνυν ὑμᾶς; Vos igitur oportet] Supra ex Ariſtotelis doctrina notauimus, perorationem orationibus deliberatiuis tunc maxime conuenire, cum exiſtunt, qui contradicant, vt repetitis, & frequentatis præcipuis argumentis cauſſa maiorem vim habeat. Iam exiſtebant, qui Demoſtheni contradicerent, & conarentur perſuadere, non eſſe vtile Athenienſibus aduerſus Philippum bellum ſuſcipere, quia id eſſet alienum, Olynthiorum cauſſa gerendum, & non ſolum eſſe inutile, verum etiam tale, vt fieri nō poſſet, vel certe valde difficile, quia pecunia in promptu non eſſet ad id bellum gerendum, & magna exiſteret potentia

Philip-

Philippi. Cum igitur probauerit Demosthenes contra dicta aduersariorum, & bellum esse vtile, quod non sit alienum, sed ipsorum Atheniensium proprium, cum ad eorum gloriam, & incolumitatem pertineat, & fieri posse, ac non difficulter, tum per facultatem Atheniensium, qui pecuniam in promptu haberent, si ea vti vellent, tum per facultatem Philippi, cuius vires essent futiles; in peroratione præcipua capita repetit tum vtilitatis, tum facultatis. Præterea amplificat mala, quæ Athenienses paterentur, si bellum ad Atticæ fines transferretur: & impellit animos auditorum ad affectus proprios generis deliberatiui; ad metum, commemorando mala, quæ euenirent: ad pudorem, proponendo contumeliam, & rerum dedecus: ad fidentiam, & spem, exponendo, quid commodi tum diuites, tum qui sunt ætate ad rem militarem idonea, tum oratores sint habituri. Ac componat auditores male contra Philippum, exprimendo eius dementiam, & arrogantiam, atq; insatiabilem habendi cupiditatem: bene erga se, amice hortando, & admonendo, ac bona omnibus exoptando. Quæ quidem quatuor esse perorationis munera supra explicauimus. Quemadmodum igitur fides, seu confirmatio huius orationis continet suasionem, & admonitionem: sic peroratio habet adhortationem. Quæ tria ad genus deliberatiuum pertinentia aliquantisper inter se differre, docet Vlpianus. Nam ἡ συμβολὴ, consilium, & suasio est oratio, quæ docet aliquid esse agendum; vt cum docet Demosthenes bellum pro Olynthiis suscipiendũ esse, tanquam non alienum ab vtilitate Atheniensium. At παραίνεσις, & admonitio est oratio, quæ & esse agendum aliquid docet, & modum actionum complectitur; vt cum docet Demosthenes, opem ferendam Olynthiis, & duos exercitus mittendos, ac ex ea pecunia conficiendos, quæ in promptu esse posset. Προτροπὴ autem, & adhortatio est oratio impellens ad res confessas suscipiendas; vt cum Demosthenes in hac peroratione impellit Athenienses ad ea, quæ ipse suasit, & admonuit, suscipienda. Idem Vlpianus in hanc partem sic scribit; Hic conclusionem aggreditur, quam æque in duas partes diuisit, in facultatem, & vtilitatem. Nam & conclusiones a summis capitibus sumuntur.

At facultatem quidem confirmat,

1. Ab occasione:
2. A legatione Atheniensium ad Græcos, & ad eos socios, qui Philippum suspectum habeant:
3. Ab expeditione ipsorum, & exitu:
4. Ab absurdo, quod est ab animo Philippi sumptum, quonam modo is se gessisset, tali oblata occasione:
5. A dedecore euentuum, qui sequi possint.

Vtilitatem autem bifariam est partitus;

1. In comparationem duorum bellorũ, tum Thracensis, tum Attici.
2. In id, quod facturi essent in Macedoniam, societate inita cum Olynthiis; & ea, quæ ipsi passuri essent, bello huc translato, cum existerent nulli, qui prohiberent, neq; Phocenses, neq; Thebani, illi propter imbecillitatem, hi propter simultatem.

Idem paullo post sic; Ea, quæ ipsi Athenienses bello ad ipsius Atticæ fines translato passuri essent, amplificaturus, bifariam diuisit;

1. In ea, quæ bellum antecedunt:
2. In ipsum bellum, quod passuri essent agricolæ, quid ipsi agri, sumente inde Atheniensiũ exercitu ad commeatum necessaria: & quæ facturi essent hostes in agris, cum compulsi necessitate, tum proteruitate impulsi; affirmans Atticæ duplex imminere bellum:
   1. A domesticis:
   2. Ab hostibus.

Quibus absolutis, postulat, vt quæuis ætas, & quoduis hominum genus, & pauperes, & diuites, & oratores bellum in Thraciam repellant, ostendens non parua lucra ex eo consecutura, nec parum interfore, vt id fiat. Ἑτοίμως συνάρξαι; *Prompte succurrere*] Ἐπιτίμησις, & obiurgatio. Καὶ πρεσβευομένους. *Et legationem obeuntes*] Legati, inquit, mittendi sunt ad eos, qui Philippi naturam ignorant, vt eos doceant, illi non esse fidendum: & ad eos, qui cum norint, qualis sit, tamen formidant, vt eis nuntient, nos esse in

esse in armis, eumq; formidare desinunt. Ἀλλὰ φωκεῖς; *Num Phocenses?*] In Phocide fuerunt viginti duæ vrbes, & inter ceteras etiam Delphi. Est autem Phocis Bœotiæ finitima. Ἄν νῦν ἄνοιαν ὀφλισκάνων; *Quæ nunc demens*] Quærendum est, inquit Vlpianus, cum Philippum superius hominem callidum, & in rebus gerendis acrem nominarit, qui nunc stolidum appellet. Sed respondetur, propter nimiam cupiditatem, quod velit ipse in Atticam penetrare, fingi eum talem, qui moderari sibi nequeat, quin suam prodat cupiditatem. Οὐδὲ λόγου προσδεῖν ἡγοῦμαι; *Ne verbis quidem opus esse arbitror*] Quia confirmanda non sunt manifesta. Ἔξω γενέσθαι; *Foris esse*] Non simpliciter extra vrbem, sed extra ditionem in Macedonia. Τοὺς γεωργοῦντας ὑμῶν; *Aratores vestros*] Sic appellat non modo terræ cultores, sed eos etiam, qui prædia, & fundos possident. Εἰς ἅπαντα τὸν προτὸν πόλεμον. *In totum præteritum bellum*] Amphipolitanum innuit, in quod mille ducenta talenta insumpta esse, testatur Vlpianus.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS NONVS

IN ORATIONEM DEMOSTHENIS AD EPISTOLAM PHILIPPI.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



Philippvs Amyntæ filius, Alexandri Magni pater, quatuor & viginti annos Macedonum imperium tenuit; contra quem Athenienses, Argæum, vt Regem efficerent, frustra iuuerunt. Is, ne Regni initio infestos haberet Athenienses, Amphipolim Thraciæ, de qua illi valde laborabant, liberam eis reliquit,

& primam pacem cum eis fecit. Anno tertio eiſdem indixit, & intulit bellum, adempta Amphipoli, ac per treſdecim annos id bellum geſſit. Anno decimo quinto ſecundam pacem fecit. Poſtea vero ei multa incommoda inferenti Athenienſes vigeſimo anno bellum intulerunt, ſubſidio Byſantiis miſſo: ſed eodem anno tertiam pacem cum eo compoſuerunt. Inter tertium, & decimum quintum annum, cum Olynthij Thraciæ populi, qui a Philippo defecerant, ab Athenienſibus auxilium petiiſſent, Demoſthenes tres Olynthiacas ad populum dixit, vt eum ad arma pro Olynthiis contra Philippum capienda incitaret. Eodem temporis ſpatio dixit Philippicam primam, qua Athenienſes, qui cladem acceperant a Philippo, eſt conſolatus. Facta vero ſecunda pace, eam orationem habuit, quæ inſcribitur de pace. Cumq; pax ſuſpecta eſſet, ſecunda, tertia, & quarta Philippica conatus eſt Athenienſibus perſuadere, bellum eſſe gerendum aduerſus Philippum, qui pacem ſeruaret verbis, re ipſa bellum gereret. Inter ſecundã, & tertiam pacem cum Philippus per epiſtolam populo Athenienſi bellum minatus eſſet, propterea quod, dum Selybriam vrbem Thraciæ oppugnaret, quædam nauigia, quæ Athenienſes miſerant, aduehendi frumenti cauſſa, ſuſpicatus eſſet miſſa eſſe, non frumentandi cauſſã, ſed ad Selybrianos iuuandos: Demoſthenes habuit hanc orationem, qua quidem Athenienſes adhortatus eſt, vt bellum fortiter ſuſtinerent, anno primo Olympiadis centeſimæ decimæ.

II.

GENVS CAVSSÆ.

PRoprietates generis deliberatiui quatuor in rebus poſitæ ſunt, in auditore, partibus, tempore, fine deliberationis. Auditor enim eſt concio, aut ſenatus: partes ſuaſio, & diſſuaſio: tempus futurum: finis vtile, & pernicioſum. Huius autem orationis auditor fuit concio Athenienſiũ, qui Remp. tunc habebant popularem. Sub ſuaſione videtur adhortatio contineri. Quanquam ſuaſio, & adhortatio quodam modo inter ſe differunt, quod qui ſuadet, ſuffragium ferri vult, & verſatur in iis, quæ ſunt in poteſtate; qui vero adhortatur, ſuffragium non expectat, & tractat

etiam

etiam neceſſaria. Ac adhortationes quidem vel caſtrenſes ſunt, vel ciuiles; plurimæ vero caſtrenſes, quibus imperatores ad rem fortiter gerendam milites adhortantur. Hæc autem ciuilis, facta nihilominus occaſione armorum. Agitur res futura, vt fortiter armis vtantur. Et ſpectatur vtilitas pugnandi, cum ſine armis Athenienſes ſalui eſſe non poſſint. Itaq; patet, hanc orationem eſſe in genere deliberatiuo.

III.
STATVS.

Status eſt negotialis, qui res futuras tractat deliberationibus propoſitas; An timide ſit reſiſtendum Philippo. Quoniam vero timorem afferre videbatur potentia Philippi; idcirco Demoſthenes oſtendere conatur infirmas eſſe opes Philippi; atq; hinc oritur ſtatus cōiecturalis, vtrum firmæ an infirmæ ſint Regis opes.

IIII.
ARGVMENTA.

Argumenta ducuntur a quatuor fontibus, videlicet a propriis, ab aſſumptis, a communibus, a communiſſimis. In hac oratione omittuntur aſſumpta: & adhibentur propria, communia, & communiſſima.

Ac propriæ quidem propoſitiones generis deliberatiui ſunt a proprio eius fine; & idcirco Demoſthenes potiſſimum oſtendit, fore vtile Reip. reſiſtere Philippo; perniciosum non reſiſtere. Et, cum apud Hermogenem vtile duplex ſit, quod conducit, & quod neceſſarium eſt; primum cadit ſub ſuaſionem, ſecundum non cadit, ſed tantum ſub adhortationem, qua quidem animi confirmantur. Quamobrem Libanius ſic ſcribit; οὐκ ἔτι οὖν ὁ ῥήτωρ πείθει τοὺς Ἀθηναίους πολεμεῖν· ἀνάγκη γάρ· ἀλλὰ θαρσύνει πρὸς τὸν κίνδυνον, Non amplius orator ſuadet Athenienſibus, vt bellum gerant: cogebat enim ipſa neceſſitas: ſed confirmat eorum animos ad periculum adeundum. & ipſe Demoſthenes ſic ait; ὧν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρὴ λαβόντας ἔννοιαν, καὶ λογιζομένους, ὡς οὐδ' ἐφ' ὑμῖν ἐστι τὸ φάσκειν ἄγειν εἰρήνην· ἤδη γὰρ ἐκεῖνος καὶ προηγόρευκε τὸν πόλεμον, καὶ τοῖς ἔργοις ἐξενήνοχε. Quæ, ô viri Athenienſes, animis infigenda ſunt, & cogitandum in veſtra non

esse [illegible]estate, vt dicatis vos pacem agere: iam enim ille [illegible] b[illegible]dixit, & re ipsa infulit.

Quoniam vero nō est satis in hoc genere ostendere rem esse [illegible], nisi etiam prob[illegible] fieri posse; idcirco ex propositionibus communibus illæ, quæ sunt eius, quod fieri [illegible]st, maxime huic generi congruunt. Itaq; argumenta[illegible] Demosthenes ab eo, quod fieri potest, quod considerat Arist. lib. 1. Rhet. cap. 6. bifariā, tum quod sit, tum quod facile sit. Quare probat Demosthenes fieri posse, vt Philippus vincatur, & facile vincatur, ductis argumentis;

1. A Diis, quos ille quotidie viol[illegible]
2. A sociis, qui e[illegible] habent suspectum, cum ab eo decepti sint.
3. A Xerxe Rege Persarum omnium potentissimo, qui [illegible] futurus est [illegible] per satrapas [illegible]anos:
4. A moribus Philippi, qui omnia perfidiose agit:
5. A Macedonum natura, quorum copiæ per se satis infirmæ sunt; qui q; n[illegible] eodem animo pugnant, ac Philippus: hic [illegible] gloriæ: illi tantum vtilitatis caussa p[illegible]
6. A familiaribus, & amicis ac [illegible]ibus Philippi, qui ab eo irridentur, & con[illegible]nuntur.

Neq; vero loci quidam Topici omissi [illegible]; siquidem argumentatur Demosthenes;

1. A simili, quod quemadmodum, cum aliquis valet, nullum ex male affec[illegible]s partibus dolorem sensu percipit; sin decubuerit, commouentur omnia: sic, dum Reges sunt victores, eorum mala vulgus non perspiciat; sin alicubi impegerint, omnes [illegible] difficultates ab omnibus conspiciantur.

2. A differentia, quod Atheniensium imperium diuturnius fuerit, quam Regnum Macedoniæ; & Macedones Atheniensibus extiterint vectigales; & Athenienses pietatis, ac iustitiæ perpetuo fuerint studiosiores; idcircoq; plures ad Deorum beneuolentiam aditus habituri esse videantur.

3. Ab adiunctis, quod Philippus vigilet, laboret, rebusq; omnibus intentus sit: Athenienses vero sint inertes, lasciui, nimiumq; ociosi; & quod Philippus habeat oratores

tores Athenienses sibi inseruientes.

4. Ab antecedenti, quod Philippus iam bellum indixerit, & [illegible] intulerit.

5. A [illegible]antibus; quod non possint in integrum omnia [illegible], & meliora fieri per eos, per quos felix Reip. status subefactus sit.

6. Ab exemplis maiorum, & Philippi, qui strenue rem gerere consueuerunt.

Rursus ab adiunctis, quod facta debeant adiungi verbis, & maxime Atheniensium verbis.

V.

MORES.

A[illegible] mores oratoris, nimirum prudentia in prae[illegible] patriae periculo: & virtus in procuranda Philippi [illegible] iusiurandum, & deos violauerat: & beneuolentia [illegible] sua de Rep. solicitudine, suoq; in eam studio. [illegible] vero oratio ad mores Reip. popularis, d[illegible] retinenda libertate populo quam gratiss[illegible]

VI.

AFFECTVS.

PRae[illegible] deliberatiuo accommodati sunt metus, & f[illegible]. Quare in hac oratione mouetur metus, cum mentio habetur de periculo libertatis amittendae. Et fiducia, cum ostenditur Philippi opes infirmari posse.

VII.

ELOCVTIO.

CVm in oratione deliberatiua magis sententiarũ, quam verborum grauitas requiratur, mire grauis est Demosthenes in sententiis, & enthymematibus; cumq; vsus sit omni genere dicendi, grauitatem adhibuit potissimum in Philippicis. auctor Cicero in oratore ad Brutum. Sic etiam in hac oratione.

VIII.

DISPOSITIO.

HVius orationis partes sunt prooemium cum quadam narratione permixtum, propositio; fides. Nulla peroratio est talis, qualem faciunt in genere iudiciali, vnde

quandoq; assumitur in deliberatiuo, cum contradictio existit: tunc enim & aduersa collatio, & repetitio, quæ in perorando fieri solet, deliberationibus conuenit. auctor Arist. lib. 3. cap. 13.

IX.

IN PROOEMIVM.

GEnus deliberatiuum natura sua non habet procemiũ: quia proprium munus procemij est indicare, qui nam sit finis, cuius gratia oratio instituta est: in genere autem deliberatiuo intelligunt, de quo agitur, vt scriptum reliquit Arist. lib. 3. cap. 14. & tradidit quoq; Vlpianus in primã Philippicam Demosthenis ad hunc modũ, Tabellas quasdam olim conscribere solebant, quibus res, de qua consultaretur, & propter quam indicta esset concio, contineretur; easq; ante concionem proponebant, vt cognoscerent omnes, qua de re ipsa concio indicta esset. Assumit tamen aliquod procemium;

1. Ab obiectione criminis, vnde in volumine procemiorum Demosthenis illud ductum est; vellem, Athenienses, ex oratoribus quosdam tantum habere studium vtilissima dicendi, quantum habent, vt belle dicere videantur; vt & ipsi boni viri potius, quam eloquentes haberentur: & res vestræ, quemadmodum conuenit, meliore essent conditione. Nunc vero quidam mihi prorsus videntur eloquentiæ laude contenti, quid postea vobis euenturum sit, nihil curare. Ab eodem loco ductum est procemium in octauá Philippica contra Pansam, qui fauere Antonio videbatur. Et illud apud Salustium lib. 1. historiarum in oratione Philippi, quid Lepidus seditionibus omnia turbasset. Et apud eundem lib. 3. in oratione Macri Tribuni pl. quod Sylla parasset seruitium plebi. Itaq;, cum obiici aliqua criminatio potest oratori, quod contra sentiat aut studio contentionis, aut sui commodi caussa, aut ob aliquam aliam rem a publica vtilitate alienam; itemq; ei, contra quem habetur deliberatio: inde licebit exordiri; vt facit Demosthenes in hac oratione, vbi criminatur Philippum, quod magis bellum cum Atheniensibus distulerit, quam pacem fecerit.

2. A depulsione criminis, vnde illud in eodem volumine; Fortasse importunus, Athenienses, quibusdã vestrum esse vi-

esse videor, qui sæpe de iisdem perpetuo rebus verba faciã. Verum, si rem rectè consideretis, me non esse in culpa videbitis, sed eos, qui vestris non obtemperant decretis. Ab eodem loco sumptum est procœmium apud Saluſtium in oratione C. Cottæ Coſ. quod, cum consulatum infeliciter administrare videretur, id nequaquam eueniret ipsius dolo, aut culpa, qui nihilominus esset bonus, & fortis. Ergo, cum animaduertit orator, sibi obiici, aut fieri posse, vt obiiciatur aliquod crimen, debet ab eius depulsione procœmium sumere.

3. Ab amplificatione in hunc modum; Vellem vos, Athenienses, attente audire ea, quæ dicam: Nec enim parua res agitur. Cicero in procœmio primæ Catilinariæ amplificat audaciam Catilinæ. Amplificatio autem procœmio accommodata est, cum auditores existimant rem esse minorem, quam orator dicit.

4. A diminutione, vt, cum Demosthenes non negat quidem mala, quæ Reip. acciderunt, esse mala, sed dicit ea leuius ferenda, quod facta sine fortuna, non ignauia hominum, vel non sint tanta, quanta dicunt aduersarij. Omnino enim, si auditores putant agi de re maiore, quam dicit orator, ab eius diminutione exordiendum est.

5. Ornatus caussa, vt cum aliquid dicit orator de persona sua, vel de re aliqua præter caussam, quamquam non sine caussa. Nam aliquod procœmium debet esse in oratione, ne sit, vt ait Aristoteles, abrupta. Quare cogitandum est, quomodo Cicero in partitionibus tradiderit, deliberationi principia conuenire, vel non longa, vel sæpe nulla. Nunquam enim nulla videntur congruere, ne oratio abrupta sit. Exemplum autem omnium deliberatiuorum procœmiorum habetur egregium in secunda Agraria; vbi primum sumptum est procœmium ornatus caussa, dum Cicero se elegantissime confert cum viris nobilibus, adhibita etiam ornatissima amplificatione, quod factus sit consul homo nouus, cum primum licitum fuerit, sine vlla repulsa, & viua voce. Deinde ab obiectione criminis, quod Rullus, & eius sectatores cum populi non solum commoda, sed etiam salutem oppugnarent, & impedirent, oratione assequi vellent, vt populares esse viderentur. Præterea

a depulsione criminis, quod ipse Cicero popularis esset, contra quam dicerent aduersarij, qui pacem populo restituere cuperet in consulatu. Tum ab amplificatione, quod idem Cicero rem popularem procuraret, pacem, libertatem, ocium. Postremo a diminutione, quod ipse Rullus verbo tantum, non etiam re, popularis existeret.

X.
IN NARRATIONEM, ET PROPOSITIONEM.

Ἐπειδὴ γὰρ Φαρσαλίοις Ἅλον παρέδωκε; *Etenim cum Pharsaliis Halum tradiderit*] Cum Demosthenes in procemio Philippum criminetur, quærendũ est, an vllam narrationem faciat. Tradit enim Arist. lib. 3. cap. 16. deliberationi narrationem minime conuenire; siquidem hæc rerũ præteritarum est: illa rerum futurarum. Assumi tamen eam aut ad criminandum, aut ad vituperandum, aut ad crimen diluendum, aut ad laudandum; idq; non esse munus suasoris, aut dissuasoris. Itaq; solet poni coniunctim cum prooemio aliqua breuis narratio, vt fit in oratione Ciceronis pro lege Manilia, vbi quædam narrantur de Mithridate, & Tigrane Regibus. Huiusmodi autem narratio non est proprie deliberatiua, sed iudicialis ad criminandos illos Reges, vt facilius bellum contra ipsos decernatur. Sic in hac Demosthenis oratione cum prooemio permixta est narratio quædam iudicialis, quæ Philippum criminatur, quod caussas falsas simulauerit, & prætextus iniustos adinuenerit belli gerendi contra Athenienses, posteaquam quædam alia negotia cõfecerat. Nam Pharsaliis Halum tradiderat; de qua insula reddenda Atheniensibus extat oratio Demosthenis habita anno secundo Olympiadis centesimæ decimæ, quam tamen Libanius Demosthenis esse non putat. Præterea Phocense negocium ad finem perduxerat. Cum enim Phocenses Philomelo Duce Delphicũ templum spoliassent, anno secundo Olympiadis centesimæ sextæ; a Locris, & Bœotis finitimis populis bello petiti sunt, quod Sacrum, & Phocicum vocatum est. Anno autem secundo Olympiadis centesimæ octauæ Philippus per speciem Delphici templi tuendi se Bœotis contra Phocenses adiunxit; & anno sequenti magno apparatu contra eos profectus

Phalæ-

Phalæcum ducem eorum sub conditionibus dimisit, ac ipsos in deditionem sine prælio accepit, finemq; bello Sacro post decem annos imposuit. Idem anno quarto Olympiadis centesimæ septimæ Chalcidenses in Thracia subegit. & anno secundo Olympiadis centesimæ nonæ omnes Thracas in deditionem suam traxit. Cum igitur hæc omnia gessisset, se conuertit aduersus Athenienses caussis falsis simulatis, & prætextibus iniustis adiumentis. Criminatus enim est Athenienses, quod nauigia misissent ad Selybrianos iuuandos, quorũ vrbem ipse oppugnabat: cum tamen illa misissent aduehendi frumenti caussa. Quare eis per literas minatus est, se omnibus viribus suis eos vlturũ.

Ὅτι δὲ χρὴ μήτε ὀρρωδεῖν ἡμᾶς τὴν ἐκείνου δύναμιν; Non oportere autem nos illius potentia exhorrescere] Perspicua est propositio, qua proponit Demosthenes se ostensurum, neque potentiam Philippi esse ita magnam, vt sit pertimescenda, neq; timide ei resistendum.

XII.
IN FIDEM.

Πρῶτον μὲν γὰρ εἰκός: Etenim primum verisimile est] Cum tria sint instrumenta oratóris, enthymema, exemplum, amplificatio; tametsi exemplum est maxime accommodatum deliberationibus, (Nam ex rebus ante gestis, inquit Arist. dum futura coniicimus, de eo, quod agendum est, iudicium facimus) tamen vbiq; Demosthenes enthymematibus delectatur; vt cum orationes aut sint exemplares, aut enthymematicæ, & oratores alij exemplares, alij enthymematici, orationes Demosthenis sint enthymematicæ, & ipse Demosthenes enthymematicus, cuius enthymemata tanquam lucernam olentia ei obiecisse Pythiam, alibi notauimus. Itaq; huius orationis enthymemata sunt colligenda, quæ huiusmodi sunt.

1. Philippus religionem violauit & neglexit iusiurandum: ergo verisimile est deos ei non fauere, sed nobis, qui iustiores sumus.

2. *Καὶ γιγνώσκεται μὲν; Ac cognoscitur (sine dubio)*] Philippus suspectus est sociis omnibus, vt Perinthiis, Byzantiis, Thessalis, Thebanis: ergo infirmæ sunt eius opes.

3. *Ἔπειτα νὴ, οὐ γὰρ τοῦτ' ἐστι μικρὸν, Præterea vero, neq; enim*

hoc paruum est] Asiani Satrapæ inimicitias susceperunt cum Philippo: ergo omnibus malis Athenienses iuuabũt, & per se, & per Regem Persarum. Præterea potentissimus est Rex Persarum: Igitur vobiscum coniunctus facile Philippi potentiam debellabit.

4. Πρὸς τούτοις τοίνυν τηλικούτοις οὖσιν, *Ad hæc igitur, quæ tanta sunt*] Philippus perfidus est, & omnia violenter agit: ergo imperium diuturnum habere non potest. quod enthymema pulcherrima sententia exornatur.

5. Καὶ πολλάκις εὑρίσκω λογιζόμενος, *Ac sæpe inuenio, dum rationem ineo*] Potentia Macedonica infirma est, tum per se, tum tantæ moli comparata, tum quod Macedones male affecti sunt contra Philippum: ergo eius imperium non est egregie compositum.

6. Τοὺς δὲ περὶ αὐτὸν ὄντας ἑταίρους, *Familiares autem eius*] Familiares, & amici, ac duces Philippi in maximo metu viuunt: ergo facile ab eo deficient.

7. Πῶς οὖν, εἴπερ ἐστὶ ταῦτα τοιαῦτα, *Quomodo igitur, si hæc ita se habent*] Eadem ratio est in regnis, & imperiis, quæ in corporibus nostris: At, cum decubuerint corpora, tum maxime malum apparet: sic cum Regna aliquam cladem acceperint, tum potissimum mala erumpunt.

8. Εἰ δέ τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, *Quod si quis vestrum, viri Athenienses*] Atheniensium imperium fuit diuturnius, quam regnum Macedoniæ: & Macedones Atheniensibus vectigales fuerunt: & Athenienses deis chariores, quia pietatis, & iustitiæ studiosiores: ergo illorum felicitas non minus, quam horum exoptanda.

9. Τί ποτ' οὖν ἐκεῖνος ἐν τῷ προτέρῳ πολέμῳ, *Cur igitur ille in superiore bello*] Philippus diligentior est, quam Athenienses: ergo fortunatior.

10. Ὧν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρὴ λαβόντας ἔννοιαν, *Quorum, viri Athenienses, oportet cogitationem habere*] Philippus iam bellum indixit, & re ipsa intulit: ergo in Atheniensium manu non est pacem agere.

11. Μὴ γὰρ ὑπολαβέτω τις ὑμῶν, *Neque enim aliquis vestrum existimet*] Non potest Reip. status per eos in integrum restitui, per quos labefactatus est: ergo melioribus ducibus vtendum, quam prius.

12. Ἀλλ'

12. *Ἀλλ' ἐννοεῖσθαι, ὡς αἰσχρὸν ἐστι, Sed cogitate, turpe eſſe*] Maiores Athenienſium multos labores, & magna pericula in Laconico bello ſuſtinuerunt: ergo turpe eſt Athenienſes pro iis, quæ illi iure parta reliquerunt, defendendis nolle fortiter pugnare. Et Philippus e Macedonia oriundus nullum fugitat periculum: ergo turpe eſt Athenienſes, quorum proprium eſt imperare, & vincere, eſſe molles, & ſocordes.


13. *Ἵνα δὲ μὴ μακρολογῶ, Vt autem longior non ſim*] Facta debent adiungi verbis, & maxime Athenienſium verbis: ergo ſunt conuocandi reliqui Græci ad ſocietatem Athenienſium non ſolum verbis legatorum, ſed etiam factis. probatur aſſumptio per ſententiam, quod omnis oratio inanis ſit, niſi res ipſa conſequatur; & quod verbis Athenienſium minus fidei habeatur, quanto videantur expeditius loqui, quam alij Græci.

XII.
IN PERORATIONEM.

ALibi notauimus, perorationẽ generi deliberatiuo nō admodum conuenire, maxime vero, cum contradictio minime exiſtit, & oratio breuis eſt, ac res facile ſub memoriam cadit, qua de cauſſa poteſt etiam in genere iudiciali omitti peroratio, vt docuit Ariſt. lib. 3. cap. 13.

P 3

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DECIMVS IN QVARTAM PHILIPPICAM CICERONIS.



I.

RES, QVA DE AGITVR.


EGOTIVM, quo de agitur in hac oratione, est bellum gerendum contra M. Antonium. Cicero autem factus est inimicus ipsi M. Antonio, tunc cum suasit obliuionem cædis C. Iulij Cæsaris, cuius partes ipse fouebat. Cumque Antonius Cos. crudeliter dominaretur; & Octauium petentē, vt sibi aduersus Cæsaris auunculi sui percussores adesset, iniuriis affecisset, ac ex vrbe profectus esset, vt bellum ciuile gereret: S. C. factum est in sententiam Ciceronis, vt is hostis haberetur; & ipse Cicero hac oratione populum Rom. hortatus est, vt fortiter resisteret Antonio, quemadmodum captum erat, & fortiter pugnaret contra eum ad libertatem suam recuperandam. Iam vero monet Arist. lib. 2. Rhet. cap. 22. in negotio de bello, & pace tenenda esse non nulla, quæ insita sunt, vt potentiam ciuitatis, vectigalia, amicos, vel inimicos, bella ante gesta. Quæ optime tenebat Cicero in hac caussa. Nam sciebat potentiam ciuitatis esse multo maiorem, quam Antonij, qui nullam habebat Remp. nullum senatum, nullum ærarium, nullam ciuitatē. Sciebat, tametsi Antonius exhauserat ærarium, tamen ordinaria vectigalia posse sufficere ad alendū, & præmiis afficiendum exercitum; quæ quidem fuisse dicuntur ante bellum Mithridaticum circiter sex auri milliones: post bellum Mithridaticum ad decem milliones: post Galliam subactam a Cæsare ad quindecim milliones, vt collegit Onuphrius Panuinius in imperio Rom. ex Plutarcho, & aliis. Sciebat amicos

amicos Populi Rom. esse multos; vt Octauium adolescentem annos natum nouemdecim, patre Octauio senatore genitum, maternum genus ab Ænea per Iuliam familiam sortitum, ex Cæsaris sorore ortum, testamento ab illo heredem institutum, & nomen suum ferre iussum, qui iam laudatus fuerat a senatu, quod arma cepisset contra Antonium, eiusq; furorem repressisset: & legionem Martiam, quæ Albæ constiterat, & Antonium deseruerat, idcircoq; a senatu fuerat laudata: & legionem Quartam, quæ legionis Martiæ imitata virtutem, duce L. Egnatuleio, C. Cæsaris exercitum persecuta erat, quod factum senatus comprobauerat: & D. Brutum, qui cum Galliam primum a Cæsare datam, post interfecto Cæsare a senatu confirmatam proconsul obtineret, irrumpenti in Galliam Antonio obstiterat, Mutinæ cum exercitu substiterat, seq; ab Antonio ibi circumuallatum obsideri permiserat; quod factum etiam senatus laudauerat: & prouinciam Galliam, quæ simul restiterat Antonio, & ob id senatus eam laudandam censuerat. Sciebat bella antea gesta, cum Romani vniuersam Italiam deuicerunt, spatio scilicet quingentorum annorum: Carthaginem exciderunt: Numantiam euerterunt: sex potentissimos Reges superarunt, Pyrrhum, Philippum, Perseum, Andriscum, Antiochum, Mithridatem: præter Italiam quindecim prouincias in ditionem suam redegerũt, Siciliam, Sardiniam, Galliam Cisalpinam, Galliam Transalpinam, Hispaniam citeriorem, Hispaniam vlteriorem, Illyricum, Africam, Macedoniam, Asiam, Pontum, Ciliciam, Syriam, Cretam, Cyprum. Itaq; cum laudatione Octauij Legionis Martiæ, Legionis Quartæ, D. Bruti, Galliæ, & cum vituperatione Antonij, Quirites hortatur ad libertatem recuperandam. Hæ autem orationes dicuntur Philippicæ, quia ad imitationem Philippicarum Demosthenis confectæ sint: qualem enim se præbuit Demosthenes aduersus Philippum; talem Cicero aduersus Antonium.

II.

GENVS CAVSSÆ.

AVditor huius caussæ est disceptator rei futuræ, & concio Quiritum. Ex partibus generis deliberatiui, quæ

ſunt duæ, hortatio, & dehortatio, adhibetur in hac oratione hortatio, quam diſtingui a conſilio, & admonitione, ſupra notauimus. Agitur de re futura, nimirum de bello gerendo. Et agitur de vtilitate populi Rom. vt ſuam conſeruet libertatem. Quæ quatuor proprietates declarant ex doctrina Ariſtotelis lib. I. cap. 3. hanc orationem eſſe in genere deliberatiuo.

III.

S T A T V S.

PRoprius ſtatus deliberationum eſt ποιότης λογικὴ πραγματικὴ, qualitas in ratione negotialis, εἰ δεῖ γίνεσθαι τόδε, ἢ μὴ γίνεσθαι, An oporteat hoc fieri, vel non fieri, vt: An oporteat ſequi bellum contra Antonium, nec ne. Intentio aduerſariorum erat, Non oportet ſequi tale bellum. Depulſio, Oportet. Quæſtio, Vtrum oporteat, nec ne, Ratio depulſionis, Quia hoſtis eſt iudicatus Antonius. Approbatur hæc ratio, quia laudati ſunt illi, qui Antonio reſtiterunt, vt Octauius, & Legio Martia, & Legio Quarta, & D. Brutus, & Prouincia Gallia. Firmamentum intentionis; Tametſi eſt hoſtis iudicatus Antonius, tamen non eſt gerendum bellum contra eum, quod ſit timendus. Hoc negabat Cicero, & de hoc erat στοχασμὸς, & ſtatus coniecturalis, vtrum eſſet timendus Antonius, nec ne. Et quoniam dicebant aduerſarij firmas eſſe opes Antonij, & Cicero cōtendebat eſſe infirmas, quæſtio coniecturalis, & iudicatio erat, vtrum firmæ, an infirmæ eſſent opes Antonij.

IIII.

A R G V M E N T A.

ARgumenta ducuntur in genere deliberatiuo a propoſitionibus propriis, quæ probant vtile, & pernicioſum: quia hic eſt finis huius generis. A propoſitionibus aſſumptis, quæ probant etiam honeſtum, & iuſtum, ſi ſimul cum vtili probari poſſint. A propoſitionibus communibus, quæ probant fieri poſſe, vel non poſſe, futurum, vel non futurum: quia hæ conueniunt magis deliberationibus: quemadmodum, quæ probant factū, vel non factum, iudiciis: quæ magnum, vel paruum exornationibus. A locis Topicis. Iam inter propoſitiones proprias illa eſt lib. I. Rhet. cap. 7. plura bona ſunt maius bonum vero connumeratio

meratio inter illa plura. A qua propositione argumentatur Cicero, quod consensus seruatus, & consensus populi sunt maius bonum, quam consensus senatus; quo bono dicit se multo esse erectiorem. Inter propositiones communes illa est, lib. 2. Rhet. cap. 19. si contrarium vel esse, vel fieri potest, etiam contrarium videbitur esse posse; quemadmodum, si fieri potest, vt homo conualuerit, etiam, vt ægrotauerit. Eadem enim est facultas contrariorum, quatenus contraria existunt. Sic si vnum contrarium fieri non potest, etiam alterum fieri non potest; quemadmodum si fieri nō potest, vt virtus sit odio habenda, etiam fieri non potest, vt vitium sit amandum. A qua propositione etiam argumentum ducit Cicero, quod fieri non potest, vt contrarij Antonio sint impij: ergo fieri non potest, vt Antonius sit pius, & non hostis. Et inter propositiones communes est etiam illa; Quod est in potestate, & voluntate, erit: a qua sic argumentum ducitur; Est in potestate populi Rom. vt superet Antonium: ergo superabit. Et probatur assumptum, quod bellum inciderit in futurum: quod sit magnus consensus contra eum: quod sit magna virtus populi Romani: quod Romani sint melioris conditionis, quam ipsorum maiores fuerint: quod habeant certamen cum latrone: quod etiam ipse Cicero operam suam sit nauaturus. Aliæ quoque propositiones communes adhibentur, vt suo loco apparebit. Inter propositiones vero assumptas sunt illæ, quæ probant honestum, ac tres sunt; Quod efficit virtutem: Quod est virtus: Quod efficitur a virtute. Atq; hæc tertia propositio ad exornandum Cæsarem adhibetur, dum is laudatur primum ab eo, quod effectum est a diligentia, prudentia, liberalitate; quod proprie dicitur encomium: deinde ab eo, quod effectum est, præterquam conuenit in melius. Facta enim sunt laudabilia tribus modis; Si quis gesserit aliquid, prout conuenit: si præterquam conuenit in id, quod melius, atq; honestius existit: si ex prælectione. Quare hoc in loco dicitur egisse Cæsar, præterquam conueniebat, in partem meliorem, atq; honestiorem, videlicet supra ætatem, cum annos natus nouemdecim tantum, vt scriptum reliquit Tacitus lib. 13. & Velleius lib. 2. exercitum contra Antonium comparasset; & insperatum omnibus consiliū,

incognitum certe cepiſſet, vt exercitum inuictum ex Hiſpanis militibus conduceret, Antonijq; furorem crudeliſſimis conſiliis incitatum a pernicie Reip. auerteret. Poſtremo ab iis, quæ habent vim amplificandi, quæ ſunt hæc: ſi ſolus fecit, vel primus, vel cum paucis, vel maxime, vel opportune: ſi ſæpe: ſi ita, vt nouis honoribus dignus cenſeatur: ſi ita, vt cum aliis comparatus ceteris præferatur. Quãobrẽ oſtendit Cicero Cæſarem ſolũ, vel cum paucis Reip. opitulatũ eſſe, atq; ita, vt ei pro diuinis, atq; immortalibus meritis diuini immortalesq; honores debeantur. Præcipui autẽ loci Topici ſunt quatuor; definitio, notatio, enumeratio partiũ, relatio ad aliud. Ratio affertur a S. Seuerino Boetho, quia quilibet eorum terminorũ, qui in quæſtione poſiti ſunt, habet ſuã definitionem, quæ explicat naturã eius, ſuã notationem, quæ explicat originẽ vocis, ſuas partes, quæ poſſunt enumerari, & ſuã affectionẽ, ſeu relationem ad res alias, vnde oriũtur quatuor præcipui loci argumentorũ; a quibus argumentatur Cicero, vt a definitione hoſtis: a notatione legionis Martiæ: ab enumeratione eorũ, qui hoſtem iudicarunt Antoniũ: a relatis, quæ ſunt contraria, & ab aliis relatis; cum locus relatorũ ſit multiplex, & idcirco multiplicem vſum præſtet argumentandi. Illud enim eſt a contrariis, quod cum contrariis ſubiectis contraria prędicata conueniant, ſi contrarij Antonio ſunt pij, & amici patriæ, ſequitur, vt Antonius ſit impius, & hoſtis patriæ. Quomodo autem argumentetur orator ab aliis relatis, in explicatione confirmationis patebit.

V.

MORES.

MOrata oratio debet accommodari ad mores auditorum, qui in Rep. ſpectantur quadrupliciter ex quadruplici fine; vel libertate in Democratia: vel diſciplina legum in Ariſtocratia: vel diuitiis in Oligarchia: vel cuſtodia in Monarchia. Et in ſingulis hominibus etiam quadrupliciter: vel ex affectibus: vel ex habitibus: vel ex ætatibus: vel ex proſpera, aduerſave fortuna. Et debet exprimere tres mores oratoris, prudentiam, probitatem, beneuolentiam. Itaque (quod attinet ad vnam partẽ moratæ orationis, cum in Rep. populari omnis oratio ad libertatem auditorum

accom-

accommodanda sit, adhortatur Cicero Quirites ad libertatem recuperandam; & ostendit eo ipso die, quo habita hæc oratio est, referente M. Seruilio, collegisq; eius, se auctore, & Principe ad spem libertatis publice homines exarsisse. Quod vero attinet ad alteram partem, quoniam poterat imprudens existimari, qui vellet Quirites per se ardentes, & erectos adhortari ad libertatem recuperandã, exprimit prudentiam, dum illi tacitæ respondet obiectioni, dicens se velle imitari imperatores, qui instructa acie, tametsi paratissimos milites videant ad præliandum, eos tamen adhortentur. Exprimit quoq; prudentiã, dum prudentissime ratiocinatur de oppressione Antonij, de consensu populi, de magna Romanorum virtute, de meliori cõditione, de certamine cum excursore, cum latrone, cum altero Spartaco, de spe libertatis. Exprimit probitatẽ, dum ostendit se pium erga deos, dum hortatur Quirites ad virtutem; dum argumentatur, pacis nullam cum eo esse rationem, in quo sit incredibilis crudelitas, fides nulla; dum se gratum præbet populo Rom. & memorem beneficiorũ acceptorum. Exprimit deniq; beneuolentiam in populum Rom. dum pollicetur, quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, consilio eniti, atq; efficere poterit, se nihil prætermissurum, quod ad publicam vtilitatem pertinere arbitretur.

VI.

AFFECTVS.

SVpra notauimus, præcipuos affectus generis deliberatiui esse metum, & fidentiam. Quamobrem in hac oratione deliberatiua mouetur metus cõmemoratione malorum, quæ quidem sectatores Antonij cogitabant. Et fidentia, quod tantus consensus omnium sine impulsu deorum esse non posset, & hoc modo de voluntate cœlestium non esset dubitandum. Et metus a crudelitate Antonij. Et fidentia, quod facile superari posset.

VII.

ELOCVTIO.

CVm intelligeret Cicero, deliberationibus conuenire elocutionem totam simplicem, & grauem, & sententiis ornatiorem, quam verbis, quod ab ipso, & ab Arist. tra-

ditum ſuperius obſeruauimus; illud potiſſimum ſibi ſpectandum duxit, vt grauiſſimis ſententiis vteretur, vt illa, Summum conſenſum omnium ſine impulſu deorum eſſe non poſſe: & mortem quidem omnibus natura propoſitam eſſe; crudelitatem vero mortis, & dedecus virtute propulſari ſolere: & omnia alia falſa, incerta eſſe, caduca, mobilia; virtutem eſſe vnam altiſſimis defixam radicibus, quæ nunquam vlla vi labefactari poteſt, nunquam dimoueri loco: & pacis nullam poſſe cum eo eſſe rationem, in quo ſit incredibilis crudelitas, fides nulla.

VIII.

DISPOSITIO.

SVnt collocatæ in hac oratione partes tres, Procœmium, Propoſitio, Fides. Nullaq; ſit narratio, quæ in genere quidẽ deliberatiuo ſolet aſſumi vel ad criminandũ, vel ad laudandum, vt poſtea melior exiſtat deliberatio: ſed, quæ geſſerat Antonius, cum recentia eſſent, & ſuperioribus orationibus expoſita, viſa ſunt oratori notiora, quam vt narrari deberent. Nulla etiam eſt peroratio, tum quia eſt breuis oratio, tum quia nemo exiſtat, qui contradicat, ob quas duas cauſſas poſſe omitti perorationẽ, docuit Ariſtoteles.

IX.

IN PROOEMIVM.

CVm duci procœmium poſſet a quinq; locis, qui ſuperius notati ſunt, ductum eſt hoc a duobus, nimirum ab ornatu, & a depulſione criminis. Dicit enim ornatus cauſſa frequentiam incredibilem, & concionem ingentem populi Rom. afferre ſibi & alacritatem ſummã defendendæ Reip. & ſpem recuperandæ. Depellit vero crimen, quod ſi antea viſus eſſet ipſi animus deeſſe, vt nonnulli potuiſſent criminari, non vere defuiſſet, ſed tempora defuiſſent, quibus ſi princeps eſſe voluiſſet libertatis defendendæ, interfectus fuiſſet. Poterat quoq; exordiri ab obiectione criminis in hunc modum; Tanta ſunt M. Antonij ſcelera, Quirites, vt, cum diutius antehac tacuerim, amplius reticere non poſſim. Et ab amplificatione ſic; Mirandum non eſt, Quirites, ſi bellum contra Antonium ſuadeã, qui non ſeruitutem ciuium, vt antea, ſed iam iratus ſanguinẽ concupiſcit; cuiq; nullus ludus videtur eſſe iucundior, quam

ciuor,

cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio ciuium. Et a diminutione ita; Tametsi nonnullis maxime timendus videtur Antonius: tamen non ita est, cum iam teneatur, prematur, vrgeatur populi Rom. copiis, & quodammodo in foueam inciderit, vbi obrui posse videatur.

X.

IN PROPOSITIONEM.

HOdierno enim die, Quirites] Proponitur per amplificationem, Non mediocrem rem esse actam: fundamenta esse iacta reliquarum actionum: hostem esse iudicatum Antonium. Iam vero valet ad amplificandum, tum adhibere res magnas, quæ sunt magnæ, vt tradit Cicero in partitionibus, partim natura, partim vsu tripliciter, charitate, amore, honestate. Quare hæc est amplificatio a re magna, vsu, & charitate, quippe quæ pertineat ad patriæ conseruationem. Tum vsurpare metaphoram, vt tradit Arist. lib. 3. cap. 6. quæ quadruplex est, vt docet Arist. in Poetica, & Quintilianus. Hæc autem est metaphora, qua accipitur species pro specie, & res inanimata pro inanimata, vt vox fundamentorum pro principiis actionum. Tum vti incremento, congerie, comparatione, ratiocinatione de rei magnitudine. Hic autem adhibetur incrementum primum per vocem fundamentorum, & principiorum. Nam legitur lib. 1. Eth. cap. 7. δοκεῖ πλεῖον, ἢ τὸ ἥμισυ τὶ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχή. Deinde per illud, quod plus videtur esse, iudicari hostem re ipsa, quam verbo tantum. Hostis autem primum significauit peregrinum, vt scriptum reliquit Cicero lib. 1. officiorum, & Varro lib. 4. de lingua Latina. Postea vero perduellem; fortasse quia hostire est ferire, vt notauit Festus in hostia. Ac triplex quidē est iudicatio, vt legitur lib. 1. Rhet. cap. 3. & est finis Rhetoricæ. Nam Rhetorica est caussa iudicationis. lib. 2. Rhet. cap. 1. lib. 3. cap. 1. Tamen persuadere dicitur finis, vt intelligitur in definitione Rhetoricæ. & aperte recensetur lib. 3. Eth. cap. 3. Sed duplex est finis; vnus, qui præstatur ab oratore, vt persuadere: alter ab auditore, vt iudicare.

XI.

IN FIDEM.

NVnc vero] Prima pars huius confirmationis continet

argumentationes. Cum quatuor sint fontes enthymematum, vnus a propriis, alter ab assumptis, tertius a communibus, quatuor a communissimis; primum ductum est a primo fonte, & prima propositione bonorũ comparatorum; Bonum coniunctũ est maius, quam simplex: ergo cõsensus senatus cõiunctus cum consensu Quiritũ est maius bonum. *Nec enim fieri potest*] Secundum enthymema est a tertio fonte, & prima propositione eius, quod fieri, vel non fieri potest, Si est impossibile, vt, qui Antonio aduersantur, sint impij, etiam impossibile est, vt Antonius non sit hostis. *Hanc igitur dubitationem, quamquam nulla erat, tamen neq; posset esse, senatus hodierno die sustulit*] Laudando contrarios Antonij, & significando Antonium esse vituperandum. quod tertium enthymema habet vim a primo fonte, & prima propositione bonorum controuersorum: Cui contrarium est malum, & illud bonum; & cui contrarium est bonum, & illud malum. Si contrarij Antonio sunt iudicati boni, & amici patriæ, Antonius est malus, & hostis. *Vt Octauius Legio Martia, Legio Quarta, D. Brutus, Gallia, C. Cæsar*] Quartum enthymema est a secundo fonte, & ab honesto, quod assumptum est a genere demonstratiuo ad laudandum Cæsarem, sic, Laudatus est a senatu C. Cæsar Octauianus, quod restiterit Antonio: ergo Antonius hostis est iudicatus. *Qui Remp. libertatemq; vestram*] Laudatur opus virtutis. Itaq; est encomium. *Nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius*] Seruit caussæ nominans per amplificationem puerum, qui vndeuiginti annos erat natus. *Hoc insperatum*] Amplificatio ab insperato, & incognito consilio. *Quis est enim, qui non intelligat*] A malis, quæ euenissent, nisi Cæsar restitisset Antonio. *Quod autem erat præsidium*] Cæsar restitit cum paucis. *Cuius de laudibus*] Cæsari diuini, & immortales honores debentur. Quæ valere ad amplificandũ supra notauimus. *Quem enim appellare possumus eum*] Quintum enthymema a quarto fonte, & a definitione, quæ sumpta est a consequẽti, vt hostis sit is, contra quem qui exercitus ducunt, iis senatus arbitratur singulares exquirendos honores. *Quid Legio Martia?*] Sextum enthymema ab etymologia legionis Martiæ, quæ merito dicta est a Marte auctore generis

Róm.

Rom. & patre Romuli. Nam cum Ilia filia Numitoris, regnante Amulio patruo suo in vrbe Alba longa virgo esset Vestalis, & ad Martis lucum esset aquæ puræ hauriendæ gratia, in templo compressa est, vt scribit Dionysius. Quidam dicunt ab vno ex procis. Alij ab Amulio patruo armato. Alij a genio loci. Alij a sacerdote. Alij a milite quodam. *Nam si ille non hostis*] Septimũ enthymema a consequenti, quo destructo, etiam destruitur antecedens, vt si Antonius non est hostis, illi, qui Antoniũ reliquerunt, hostes sunt iudicandi. At illi hostes nõ sunt iudicandi: ergo Antonius est hostis. *Nec solum id animose*] Octauũ enthymema ab effectu, quo posito ponitur caussa. *Huius Martia legionis legio Quarta imitata virtutem*] Cum duæ sint argumentationes oratoriæ, enthymema, & exemplum, hic quoque adhibetur exemplum; Fuit merito laudata legio Martia: ergo etiam Quarta. *Quæ expectas M. Antoni, iudicia grauiora?*] Quemadmodum propriæ argumentationes oratorum sunt enthymema, & exemplum, sic Dialecticorum syllogismus, & inductio, quæ quandoq; etiam vsurpantur ab oratoribus, quamuis raro. Vt hoc in loco est inductio de iudicio facto ab omnibus contra Antonium. *Municipia, colonias, præfecturas*] Municipes extrinsecus veniebant in ciuitatem. Coloniæ ex ciuitate propagatæ erant. Præfecturæ a magistratibus Roma missis regebatur. *Quid D. Bruti iudicium*] Laudat Brutum, & Brutorum genus. Is originem trahebat a L. Iunio Bruto, eo, qui Reges eiecit: qui primus consul fuit: qui collegæ Tarquinio magistratum abrogauit, ne nomen esset Tarquiniorum in Rep. qui consul in filios contra Remp. conspirantes seuerissime animaduertit: qui in bello contra Reges pro libertate dimicans cecidit. Hic autem Brutus, de quo agitur hoc in loco, fuit inter Cæsaris interfectores: Galliamq; primum a Cæsare datam, post interfecto Cæsare a senatu confirmatam proconsul obtinebat: & fuerat etiam ab ipso Cæsare consul designatus in annum vrbis 711. cum L. Planco. Irrumpenti autem in Galliam Antonio obstitit; Mutinæ cum exercitu substitit, seq; ab Antonio ibi circumuallatum obsideri permisit, ac S. C. laudatus est. Consulatum vero non gessit, quia in Triumuiratu iussu Antonij necatus est. *Qua-*

re Plancus administrauit consulatum cum M. Lepido 3. Vi-ro, si consul Antonius] Syllogismus est primum a consequenti, deinde ab antecedenti. Si consul Antonius, Brutus hostis. At Brutus non hostis: ergo Antonius non consul. Si conseruator Reip. Brutus, hostis Antonius. At conseruator Reip. Brutus: ergo hostis Antonius. *Num igitur, vtrum horum sit*] Hic posita est vis vtriusq; minoris propositionis. *A quo defenderet? nempe ab hoste*] Conclusio Syllogismi. *Deinceps laudatur prouincia Gallia*] Alter Syllogismus a consequenti. *Quem si consulem illa prouincia putaret*] Maior propositio. *Omnes enim in consulis iure*] Probatio maioris. *Negat hoc D. Brutus*] Minor cum probatione sumpta a testimonio. *Quis illum igitur*] Conclusio.

Quamquam ne ij quidem ipsi] Secunda pars confirmationis continet affectuum concitationem. Affectus autem proprij generis deliberatiui, vt supra notauimus, sunt metus, & spes. Ac mouetur quidem metus quatuor præcipuis propositionibus, quæ colliguntur ex Hermogenis lib. 1. de statibus in tractatione status negotialis.

1. Quæ adsunt bona, amittentur.
2. Quæ non adsunt, sed futura erant, non aderunt.
3. Quæ adsunt mala, permanebunt.
4. Quæ non adsunt, aderunt.

Iam argumentatur Cicero a quarta propositione, commemorans rapinas, prædas, bonorum donationes, agrorum assignationes, infinitam illam hastam, id est, sub hasta venditionem. Cur autem in auctione hasta vsurparetur, sic scribit Festus; Hastæ subiiciebantur ea, quæ publice vinum dabant: quia signum præcipuum est hasta. Nam & Carthaginienses cum bellum vellent, Romam hastam miserunt: & Romani viros fortes sæpe hasta donarunt. Et a prima propositione, nominans vrbē, bona, & fortunas ciuium, quas sectatores Antonij erant occupaturi.

Quod ita futurum esse confido] Mouetur quoq; spes, seu fidentia quatuor propositionibus.

1. Quæ adsunt bona, permanebunt.
2. Quæ non adsunt, aderunt.
3. Quæ adsunt mala, repellemus.
4. Quæ non adsunt, non assumemus.

Itaq;

Itaq; argumentatur a prima propositione, quod Resp. conseruabitur, & a secunda, quod pœna Antonius afficietur, & libertas amissa recuperabitur.

Reliquum est, Quirites] Tertia pars cõfirmationis continet moratam orationẽ, quæ duplex est, non, quæ exprimit mores oratoris: altera, quæ se accommodat ad mores auditorum. Quare Cicero exprimit beneuolentiam, dum laudat Quiritum sententiam: exprimit probitatem, dum hortatur ad perseuerantiam: exprimit prudentiam, dum dicit se velle imitari imperatores.

Non est, non est vobis, Quirites] Quarta pars cõfirmationis complectitur tria artificia inuentionis, nimirum argumentationes, affectus, mores. Primum enim mouetur metus a quarta propositione, & a malis, quæ aduenient, si Antonius vicerit. *Quæ quoniam in foueam incidit*] Et mouetur fidentia a prima propositione, & a re salutari. *Si enim illinc emerserit*] Rursus metus. *Sed tenetur*] Rursus fidentia. *Noui consules*] C. Pansa, A. Hirtius, qui consulatum gesserunt an. vr. 710. *Incumbite in caussam Quirites*] Præterea ducuntur argumenta a tertio fonte, & a propositionibus communibus, quæ magis conueniunt generi deliberatiuo, vt quæ probant futurum, & quæ probant possibile. Nam inter propositiones futuri enumeratur illa; Quod est in potestate, & voluntate, erit. At non solum est in potestate, sed etiam in voluntate, vt vincatur Antonius: ergo vincetur. *Quanquam mortem quidem*] Et illa, Quod est in cupiditate, & ira, & ratione commodi, cum potestate, erit. At est in cupiditate, propulsare crudelitatem: in ira propulsare dedecus: in ratione commodi vitare mortem, cum facultate, id est, virtute: ergo hæc fient. *Primum vniuersam Italiam deuicerunt*] Intra quingentos annos. *Deinde Carthaginem exciderunt*] Per Scipionem Africanum Minorem. *Numantiam euerterunt*] Per eundem Scipionem. *Potentissimos Reges*] Pyrhum Epiri: Philippum, Persenm, Andriscum, Macedoniæ: Antiochum Syriæ: Mithridatem Ponti. *Bellicosissimas gentes*] Præter Italiam quindecim prouincias, Siciliam, Sardiniam, Galliam Cisalpinam, Galliam Transalpinam, Hispaniam citeriorem, Hispaniam vlteriorem, Illyricum, Africam, Macedoniam,

Asiam, Pontum, Ciliciam, Syriam, Cretam, Cyprum. *In deditionem populi Rom. redegerunt*] Cuius magnitudo ab V. C. vsq; ad tempora Cæsaris ea fuit, vt ab Hispania vlteriore in occidente vsq; ad Euphratem in Oriente pertineret. Nam Augustus postea Romani imperij limites constituit a septentrione Danubium, ab Oriente Euphratē. Traianus vero trans Danubium Daciā, trans Euphratem Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam adiecit vsq; ad Tigridem imperij Rom. & Persarum communem limitem. *Ac maioribus quidem vestris*] Inter propositiones, quæ probant possibile, illa est, Si difficilius fieri potest, etiam facilius fieri potest: Si vinci potuit hostis, qui habebat Remp. curiam, ærarium, consensum, & concordiam ciuium, rationem aliquam pacis, & fœderis: multo magis vinci poterit, qui nullam habet Remp. nullum consilium publicum, nullum ærarium, nullam ciuitatem, nullam rationem pacis. Vbi obseruanda est sententia enthymematica. *Est igitur Quirites*] Populus Rom. est victor omnium gentium: ergo multo magis vincet alterum Spartacum. An. vr. 680. septuaginta quatuor gladiatores ducibus Spartaco, Oenomao, Crixo, effracto Capuæ Lentuli, a quo alebantur, ludo, effugerunt, & per Italiam vagantes vocatis ad vexillum seruis Vesuuium montem sedem belli fecerunt; quod bellum dictum est seruile, Spartacium, & tumultus seruilis: & confectum est an. 682. a Pompeio, qui redibat a bello Hispaniensi. Nam M. Crassus Prætor, cui bellum illud mandatum fuerat, post rem male gestam a consulibus, & prætoribus primum feliciter pugnauit cæsis triginta quinque millibus hostium: deinde etiam feliciter, necatis quadraginta millibus cum ipso Spartaco: postremo Pompeius quinque millia interfecit, quæ euaserant expugna Crassi. Itaq; bellum seruile confecit. *Nam quod se similem Catilinæ*] Quod attinet ad mores, exprimitur prudentia oratoris, dum ostenditur Antonium esse similem, & dissimilem Catilinæ. *Repente conflauit*] Fesulis in Etruria, duce Manlio. *Quem accepit, amisit*] Relictus a duabus legionibus, Martia, & Quarta. *Vt igitur Catilinam*] Exprimitur probitas, cum tribuitur oppressio coniurationis Catilinariæ non solum diligentiæ Ciceronis, sed etiam auctoritati senatus,

natus, & studio, ac virtuti Quiritum. *Breui tempore oppressum audietis*] Exprimitur beneuolentia, dum prædicitur bonum Quiritibus,& victoria de Antonio. *Equidem, quantum cura*] Accommodatur oratio ad mores Reip. qui tendebant ad libertatem, ad quam conseruandam pollicetur Cicero operam suam, ostendit se fore gratum,declarat ardorem,in Rep.liberanda.

XII.

DE PERORATIONE.

SVpra notauimus ex doctrina Arist.in genere deliberatiuo perorationem minime necessariã esse, maxime cum existit nemo,qui contradicat,& cum oratio breuis est. Cur autem sępe commemoretur libertas,dictum est:huiusmodi enim est finis Reip.multorum,qualis tunc erat Romana. Quæ libertas prorsus oppressa est in quinta conuersione Romanorum. Nam, vt hoc obiter notemus, quinque fuerũt præcipuæ conuersiones Reip.Rom. Prima de Regno in Tyrannidem propter abusum magnæ potentiæ. Secunda de Tyrannide in dominatum paucorum propter libidinẽ, cum Lucretia est cõstuprata: & in eo dominatu creati sunt consules, dictatores, Tribuni pl.Decemuiri,censores, Tribuni Mil. Prætores, Ædiles Curules.Tertia de dominatu paucorum in Remp. optimam propter insolentiam nobiliorum, a Pyrrhi Regis bello vsq; ad tertium bellum Punicum.Quatta ex Rep.optima primum in dominatum multorum, deinde paucorum, propter vitium diuisionis, cum pro vna duæ finnt ciuitates, & vna pars floret, altera non habet honores; quemadmodum plebs excellebat, cum Gracchanæ extiterunt tempestates: & senatus præstabat, post dictaturam Syllæ.Quinta in Tyrannidem propter nimiam potentiam singulorum; per conspirationem Pompeij, Crassi, Cæsaris: per dictaturam Cæsaris: per Tyrannidem Antonij: per Triumuiratum Antonij, Lepidi, Octauij: per successionem Imperatorum.

Q 2

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS VNDECIMVS EXPLICANS RATIONEM QVÆSTIONVM DEMONstratiuarum.

I.

TENENDA RES, QVA DE AGITVR.



RADIT Arist. lib.2. cap.22. de re, quæ tractanda est, tenenda esse, quæ in ipsa insunt, & ipsius sunt propria. Quomodo enim, inquit, possemus laudare Athenienses, si nō teneamus prœlium nauale ad Salaminem, aut pugnam in Marathône, aut quæ pro Heraclidis gesta sunt, aut aliquid aliud tale? Nam ex insitis, aut ex iis, quæ videntur inesse, honestis laudant omnes. Similiter vero etiam vituperant ex contrariis, considerantes, quid eiusmodi in ipsis insit, aut videatur inesse; quemadmodum, quod Græcos ad seruitutem redegerunt, & subegerunt, qui simul bellum gesserant aduersus barbarum, & optime se gesserant, Æginetas, & Potidæatas, & quæcunq; alia talia, & si quod aliud peccatum eiusmodi sit. Idem tradit celebranda esse potius propria, quam communia. Eius verba sunt; Dicimus autem communia, cum quis laudat Achillem, quod homo sit, & quod ex semideis, & quod ad Ilium militauerit: hæc enim etiam aliis insunt multis. Quare non magis iste Achillem laudat, quam Diomedem. Propria vero, quæ nemini alij acciderunt, nisi Achilli, vt quod interfecerit Hectorem fortissimum Troianorum, & Cycnum, qui prohibebat exscendere, cum esset inuulnerabilis, quod admodum iuuenis, & iniuratus militauerit, & quæcunque alia eiusmodi.

II.
TENENDÆ PROPRIETATES GENERIS.

NEque vero proprietates demonstratiui generis sunt ignorandæ; quas docet Arist.lib.1.cap.9. esse quatuor, nimirum proprios auditores, proprias partes, proprium tempus, proprius finis. Auditor enim proprius est auscultator, qui venit ad audiendum, vt delectetur, & iudicet de facultate oratoris. Partes vero propriæ sunt laus, & vituperatio. Tempus maxime proprium præsens, cum assumantur etiam ad laudandum res præteritæ, & futuræ. Finis honestum, & turpe. Id quod semper attenditur in hoc genere, vt honestum laudetur, turpe vituperetur; cum alia quandoq; assumantur, quandoq; dimittantur. Exempli gratia, quandoq; laudatur aliquis, quod res vtiles gesserit: quandoq; in laudibus ratio vtilitatis dimittitur, & in illis ponitur; quod aliquis neglecto eo, quod sibi prodesset, honesti aliquid gesserit, & gloriosi; quemadmodũ Achillem laudant, quod sodalem Patroclum adiuuerit, quamuis sciret ea de caussa se mori oportere, cum sibi liceret viuere. At illi eiusmodi quidem mors honestior fuit: sed viuere vtile.

III.
TENENDA CONTROVERSIA.

PRæter proprietates generis cognoscenda est controuersia, quæ ab aliis dicitur status, ab aliis constitutio. Etenim, si putaremus eos, qui audiunt, de amplitudine eius, qui sit laudandus, eandem habere opinionem, quàm nos habemus, frustra loqui videremur. Supponitur ergo semper aliqua cõtrouersia, si non de re, at saltem de quantitate rei. Semper enim orator videtur velle ostendere, maiores esse laudes eius, quem laudandum susceperit, quam illi, qui audiunt, opinentur. Cum autem quadruplex sit cõtrouersia, vt præcipit Arist.lib.3.cap 17. Non fecisse: Non nocuisse: Non tantopere: Non iniuste; quarum prima est facti, altera nominis, tertia quantitatis, quarta qualitatis: illa ipsa, quæ versatur circa rei quantitatem, videtur esse huius generis propria, vbi plerunq; res amplificantur. Qua de re sic ibidem Arist. In demonstratiuis plerunq; amplifi-

catio erit honestorum, & vtilium: facta enim credi oportet: etenim raro horum afferunt demonstrationes, si fide careant, aut si alius caussam habeat. Quoniam igitur propria huius generis controuersia est quantitatis, proprium etiam eiusdem instrumentum est amplificatio. Quod docet idem lib. 1. cap. 9. in hunc modum; Omnino ex iis formis, quæ omnibus orationibus communes sunt, amplificatio aptior est ad demonstratiuas: assumunt enim confessas actiones, vt nihil aliud reliqui sit, nisi magnitudinem adiungere, & pulchritudinem. Sed de amplificatione inferius.

IIII.

PARANDA ARGVMENTA.

Argumenta duci possunt ex quatuor fontibus, nempe ex propriis, ex assumptis, ex communibus, ex communissimis.

EX CAPITE NONO LIBRI PRIMI.

Propria huius generis sunt de virtute, & vitio, de honesto, & turpi. Adhibentur vero ad quatuor laudanda.

Primo loco Deum, vt cum Moses ex Ægypto Hebræos in patriam reducens, posteaquam mare rubrum diuinitus cedentibus aquis transgressus est, carmine heroico Deum laudauit, ac ei gratias egit, carmenq; heroicum inuenit. Quamquam Arist. lib. 1. Eth. cap. 12. ait, optimorum non esse laudem, sed maius quiddam, & melius. Sic deorum, & felicitatis, non esse laudem, sed beationem, & rei beatæ deprædicationem. Laus enim accipitur dupliciter; vel proprie, & est facultatis, quæ possit bene, & male agere: & eorum, quæ sunt ad aliud: & eorum, quæ non sunt optima, nec absolutæ bonitatis; sic non est Dei, nec felicitatis. Vel communiter pro qualibet confessione bonorum alicuius personæ aut diuinæ, aut humanæ, vel alterius rei; & sic potest Deo, & felicitati conuenire.

Secundo loco hominem; vt laudatus est Antilochus apud Pindarum in Pythiis, & apud Xenophontem de venatione, qui morti se obiecit, vt seruaret Nestorem patrem suum contra Memnonem filium Auroræ Æthiopem: & Euagoras Rex Cypriorum apud Isocratem: & Cæsar apud Ciceronem pro Marcello: & Pompeius pro lege Manilia.

Tertio

Tertio loco animal rationis expers; vt muſcam laudauit Lucianus:apes Virgilius:Pſitacum Ouidius:formicam, & luſciniam Plinius.

Quarto loco res inanimatas; vt laudata eſt febris quartana a Phauorino Philoſopho: iniuſtitia a Carneade: ſtultitia ab Eraſmo.

Cum autem propoſitiones demonſtratiuæ ducantur ab honeſto, definitur honeſtum { Quod cum per ſe eligẽdum ſit, laudabile eſt. / Quod cum bonum ſit, propter bonitatẽ iucundũ eſt.

Et afferuntur tres præcipuæ propoſitiones rerum honeſtarum, ſeu laudabilium.

1. Quod virtus eſt, honeſtum, & laudabile eſt.
2. Quæ efficiunt virtutem, honeſta, & laudabilia ſunt.
3. Quæ efficiuntur a virtute, in rebus honeſtis, & laudabilibus haberi debent.

De prima propoſitione quatuor ſunt obſeruanda, Quid ſit virtus: Quæ ſint ſpecies virtutis: Quæ ſint virtutes maximæ: Quid ſit vnaquæque virtus, & ſic quomodo laudabilis.

1. Cum definita ſit virtus moralis lib. 2. Eth. cap. 6. quinque proprietatibus, primum *habitus*, non affectus, quia eſt cum prælectione; non facultas naturalis, quia non naturaliter ineſt: Deinde *præligendi* ad differentiam habituum intelligendi: Tertio *in mediocritate conſiſtens* ad differentiam vitiorum: Quarto *ad nos relata*; nam mediocritas aut eſt rei, quæ æqualiter diſtat ab extremis, vt 6, inter 2, & 10, aut ad nos relata, vt ſex panes comedere ſingulis diebus poteſt eſſe multũm, & parum; multum ei, qui incipiat corporis exercitationes; parum iam exercitato, & Miloni Crotoniatæ: Quinto *ratione præfinita, & vt prudens præfiniret*; nam agendum eſt ex recta ratione, quæ pertinet ad prudentiam:

Hoc in loco, vbi agitur materia laudationis, definitur virtus ſecundum laudem facultas { Quæ parat bona, & conſeruat. / Quæ beneficia facit multa, & magna, & omnia in omnibus.

2. Enumerantur nouem præcipue virtutes, iustitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia. Quarum quædam pertinent ad intelligendum, vt sapientia, & prudentia; ad sapientiam autem referuntur intelligentia, & scientia; omittiturq; ars, scilicet operosa, quæ non est laudanda, vt inferius apparebit: quædam sunt morales, & partim ordinant vim irascendi, vt circa metus, & fiducias fortitudo: circa iram mansuetudo: partim ordinant vim cōcupiscendi, vt circa materiam iucundam temperantia: circa materiam vtilem, in dandis, & accipiendis pecuniis liberalitas; in magnis sumptibus faciendis magnificentia; in reddendo suo vnicuiq; iustitia: circa materiam honorum magnanimitas.

3. De maximis virtutibus est hæc ratiocinatio; Quæ virtutes alijs sunt vtilissimæ, illæ sunt maximæ. Dictum est enim virtutem esse illam, quæ beneficia facit. At iustitia, fortitudo, liberalitas aliis sunt vtilissimæ: ergo maximæ. probatur fortitudinem esse vtilem, quia prodest in bello. & iustitiam, quia prodest etiam in pace: & liberalitatem, quia liberales effundunt, & de pecuniis non certant, quas maxime alij appetunt. Dubitatur tamen de iustitia, quæ videtur esse inutilis nobis. Nam si fame cōficiamur, & possimus nonnullis cibum auferre, vt nos viuamus, & illi pereant, id non faciemus propter iustitiam. Si Gyges fuisset iustus, non esset factus Rex Lydiæ: nam cum descendisset in magnum quendā terræ hiatum, inuenit hominis mortui corpus inusitata magnitudine cum annulo aureo in digito, quem vt detraxit, ipse induit. cum palam eius annuli ad palmā conuerterat, a nullo videbatur eius annuli beneficio Reginę stupro illato, & Rege interfecto, factus est Rex Lydiæ. Si quis sit iustus, & vendat ædes propter aliqua vitia, quæ ipse nouerit, ceteri ignorent, quia sint pestilentes, & in omnibus cubilibus habeant serpentes, & sint male materiatæ, & ruinosæ, id dicet propter iustitiam, & minus vendet ædes. Sic si vendat vinum fugiens, seruum aleatorem, fugitiuum, ebriosum, furacem, mendacē, vel emat pro aurichalco aurum, vel in naufragio possit eripere alteri tabulam, seruando iustitiam aget contra suam ipsius salutem.

lutem. Dubitatur etiam de fortitudine, quæ videtur inutilis, vt cum Achilles voluit pugnare pro Patroclo, sciens ea de caussa sibi esse moriendum. Dubitatur quoq; de liberalitate, quæ videtur esse inutilis, quia priuat nos rebus nostris. At respondetur huiusmodi virtutes esse vtiles aliis, etiamsi essent inutiles nobis: vel esse etiam vtiles nobis, si nõ ad aliud, at saltem ad bonam famam, & gloriam immortalem, & ad laudem, quæ nunc tractatur. Iustitiæ laude in primis floruit Aristides, qui spreuit Themistoclis consiliũ de intendenda Lacedæmoniorum classe, vtile quidem, sed iniustum. Fortitudinis laude præstiterunt Themistocles, & Miltiades, quorum alter vicit Xerxem ad Salaminem: alter Darium ad Marathonen cæsis trecentis millibus Persarum. Liberalitatis laude excelluit Cimon, qui quotidie domi conuiuium parari iubebat, quo pauperes turmatim conuenirent: qui si quem egere ciuem intelligebat, eum collata pecunia adiuuabat: qui prædiorum suorum sepes auferri iussit, vt omnes arbitrio suo fructus possent percipere.

4. Definitur iustitia a subiecto, in quo versatur, per quam quæ sua sunt, singuli habent, & vt lex præcipit. Iniustitia, per quam aliena, non vt lex iubet. lib. 5. Eth. cap. 1. Iustitia est habitus, quo homines propensi sunt ad agenda iusta, & quo iusta agunt, & iusta volunt. Quam definitionem significauit Iustinianus aliis verbis, vt iustitia sit *constans, & perpetua*, id est, habitus, qui est qualitas difficulter mobilis: *ius suum vnicuiq; tribuendi*, id est, quo iusta agunt, *voluntas*, id est, quo iusta volunt. Ac duplex quidem est iustitia, vna ὅλη, & vniuersalis: altera κατὰ μέρος, & singularis. illa comprehendit ceteras omnes virtutes, cum contineat leges prohibentes ea, quæ repugnant fortitudini, temperantiæ, mansuetudini, & præcipientes ea, quæ ad optimũ Reip. statum pertinent: hæc ab aliis virtutibus distinguitur. illa versatur in rebus omnibus, in quibus etiam vir bonus, & complectitur quadruplex ius, δεσποτικὸν, & herile inter dominum, & seruos; πατρικὸν, & paternum inter patrem, & filium; οἰκονομικὸν, & domesticum inter maritum, & vxorem; πολιτικὸν, & ciuile inter ciues omnes; quod quidem dicitur esse duplex, alterum φυσικὸν, & naturale, alterum νο-

μικὸν, & legitimum. hæc verſatur in diſtributionibus, & commerciis, & complectitur duplex ius, vnum διανεμητικὸν, & diſtributionum, quod diſtribuit bona, honores, imperia, pecunias, alia, quæ ſolent inter ciues diſtribui, & reſpondet proportioni Geometricæ, in qua non ſeruatur æqualitas numerorum; alterum διορθωτικὸν, & correctionũ, quod corrigit, & dirigit commercia, & reſpondet proportioni Arithmeticæ, vbi ſeruatur æqualitas numerorum. Nã proportio Geometrica eſt, vt duo ad quatuor: ſic octo ad ſexdecim. Proportio vero Arithmetica, 4. 8. 12. 16. 20. Vniuerſe autem laudatur iuſtitia, primum tanquam clariſſima, vt ſit virtus omnium domina, & regina virtutum, admirabilior, quam Heſperus, & Lucifer. Itaq; præfertur Veneri, & eſt vt Sol. immo præſtat ſoli. Nam Sol lucet interdiu: iuſtitia etiam noctu. ille oculis corporis: hæc etiam oculis animi. ille obeſt quandoq;: hæc ſemper prodeſt. ille facit quatuor anni tempora: hæc perpetuum ver, collocata inter leonem, & libram, vt ſignificetur, fortiter, & æquabiliter ipſam eſſe adminiſtrandam. Deinde tanquam ampliſſima, de qua dictum eſt ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι, Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes. Præterea tanquam perfectiſſima; qua qui præditus eſt, bene ſe habet non ſolum in ſe, ſed etiam erga alios; quod pertinet ad perfectionem: pleriq; enim in ſuis ipſorum rebus præclare ſe gerere poſſunt, in alienis non poſſunt. Itaq; recte Bias, ἀρχὰ τὸν ἄνδρα δείξει, Magiſtratus virum oſtendet. Quarto tanquam vtiliſſima. Nam omnium virtutum ſola iuſtitia in bonis alienis ducitur, quia non ad ſuum commodum, ſed ad aliorum omnia confert. Aliorum enim commodis, vtilitatiq; ſeruit, aut principis, aut Reip. Ceteræ vero virtutes conſiderantur duobus modis, vel vt habitus, vel vt ſpecies iuſtitiæ. Primo modo perficiunt habentem, & ſunt bonum proprium: ſecundo modo etiam ſeruiunt aliorum commodis, & ſunt bonum alienum, vt liberalitas, fortitudo, magnanimitas, & aliæ. Quinto tanquam optima, quippe quæ verſatur circa opus maxime arduum. Quemadmodũ enim ſceleratiſſimus eſt habendus is, qui malitiam, & ad ſuam, & ad amicorum perniciem, exitiumq; conuertit: Sic optimus is, qui virtutem non ad ſuam, ſed ad aliorum vtilitatem

litatem refert. est enim hoc maxime arduum opus. Laude iustitiæ floruerunt inprimis apud Athenienses Aristides: apud Romanos Camillus, & Fabricius: inter Imperatores Alexander Seuerus.

Definitur fortitudo etiam a subiecto, per quam actores sunt operum honestorum in periculis,& vt lex præcipit,atque administri legis. Timiditas vero contrarium.lib.3.Eth. cap.6.Fortitudo definitur esse mediocritas in terribilibus, & vltimo terribilium,vbi vires exerceri possunt.cap 7. quæ metuit, & fidit recte:Celtæ enim non erant vere fortes,qui ne terræ motus quidem, nec eluuiones metuebant. cap. 8. quæ spectatur in tribus,in fine honestatis, in prælectione actionis honestæ, in cognitione periculi. cap.9. quæ versatur in rebus formidolosis,& fiduciam afferētibus, sed magis in formidolosis, tanquam in maiori extremo. Eodem cap.8. duplex recensetur fortitudo, vna vera:altera adumbrata illa mouetur solo fine honestatis,agit ex prælectione,& cognoscit,quid agat. Hæc deficit in fine,cum agit ob pœnas vitandas,vel præmia adipiscenda:vel deficit in prælectione, cum agit ob iram, vel ob spem conceptam ex eo, quia sæpe, multosq; vicerit: vel deficit in cognitione, cum præsens periculum ignorat, vt cum Argiui putabant se pugnaturos cum Sicyoniis, & propterea confidebant, ignoratione decepti: cum vero cognouerunt hostes esse Lacedæmonios,fugam arripuerunt. Scribit enim Xenoph. lib.6. Græcæ historiæ Pasimachum Præfectum Lacedæmoniorum sumptis Sicyoniorum scutis Lacedæmonios armasse contra Argiuos. Et eodem cap.9. laudatur fortitudo primo loco, quod versetur circa terribilia: secundo, quod res molestas sustineat: Tertio, quod circa difficilius versetur, quam temperantia, quoniam difficilius est molesta sustinere,quam a iucundis abstinere: Quarto,quod iucundum finem habeat propositum, etiam si iis, quæ circum sunt, huiusmodi finis obscuretur; quod euenit quoq; in gymnicis certaminibus: Quinto, quod agat, cum magna res est. Sexto, quod distinguatur a re militari. Nam fortes sunt prompti ad pericula ob honestatem: milites ob lucrum.illi vitam cum paruo lucro non commutant:hi commutant. Laude autem fortitudinis præstiterunt apud A-

thenienses Milciades, Themistocles, Cimon; apud Lacedęmonios Leonidas: apud Thebanos Epaminondas: apud Romanos Brutus mortuus pro patria cum Arnate pugnans: Decius P. cum Latinis: F. cum Etruscis: N. cum Pyrrho: P. Scipio, & Cn. Scipio, ambo in Hispania contra Pœnos: M. Marcellus Verusiæ, quem carere noluit honore sepulturæ Annibal: Paullus Æmylius ad Cannas: Albinus apud Latinos: Gracchus apud Lucanos.

Definitur temperantia, per quam ad voluptates corporis sic se habent, vt lex præcipit. Intemperantia contrariũ. lib. 3. Eth. cap. 10. mediocritas circa voluptates. Cum autem voluptates aut sint animi, aut corporis, & quæ corporis sunt, pertineant ad quinque sensus: temperantia non versatur in voluptatibus animi, quibus gaudet animus sine commotione corporis, vt ex studio honoris, disciplinæ, fabularum, & narrationum; in quibus dicuntur φιλότιμοι, & cupidi honoris, φιλομαθεῖς, & cupidi discendi, ἀδόλεσχοι, & loquaces, non temperantes, nec intemperantes. Nec versatur in voluptatibus corporis, quæ pertinent ad visum, vt ex colore, figura, pictura. Nec in iis, quæ ad auditum, vt ex sono, ex cantu, ex fabularum recitatione. Nec in iis, quę ad odoratum, vt ex odoribus pomorum, rosarum, suffimentorum, vnguentorum, obsoniorum, nisi κατὰ συμβεβηκός, quia per vnguenta odorifera recordantur luxuriem meretricum: & per odorem obsoniorum recordantur comedendi suauitatem Sic leo videns ceruum: lupus audiens vocem bouis: canis sentiens odorem leporum. Sed in iis, quæ pertinent ad gustatum, & tactum; ad quem gustatus referri videtur. Quamobrem Philoxenus Eryxius, cum obsoniorũ vorax esset, optabat sibi esse guttur gruis gutture longius, quia tactu delectaretur. Nec in omnibus voluptatibus tactus, vt quæ ex fricatione, & calefactione in gymnasiis percipiuntur, sed circa aliquas partes, vt circa gulam, & pudenda. Laudatur vero temperantia, primum quia conseruat prudentiam. Legitur enim lib 6. Eth. cap. 5. appellatam esse σωφροσύνην, ὡς σώζουσαν φρόνησιν. & notum est illud, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. Deinde, quia frenat voluptatē, cum qua scriptum est lib. 2. Eth. cap. 3. ex auctoritate Heracliti, difficilius esse pugnare, quam cum ira; non quia sit vehemen-

mentior, sed quia occultior, importunior, perseuerantior. lib.2. Eth.cap.9. hæc verba sunt; Quemadmodum proceres affecti fuerunt erga Helenam: sic etiam nos oportet affici erga voluptatem, & in omnibus vti illorum voce. sic enim ipsam cum dimiserimus, minus peccabimus. Tertio, quia est animi harmonia ad imperandum, & parendum, vt dicebat Alcinous, fundamentum ceterarum virtutum, efficiens, ne homo labatur in belluam, & omne decorum conseruans. Quarto, quia ad eam pertinet adagium illud apud Platonem in Philebo, *Ne quid nimis*; quod omnes sapientes sibi vendicarunt, inscriptũ templo Apollinis. & dictum Pythagoræ apud Platonem in Gorgia; *Omnibus in rebus optima temperantia.* & dictum Orphei; *Vniuersitatem rerum temperantia regit.* & illud Auicennæ; *Temperamentum animi sequitur temperamentum corporis.* Quinto, quia, vt ex intemperantia primi parentis humana orta est miseria: sic ex temperantia hominis summum oriri bonũ potest. Atq; in hac virtute excelluerunt Socrates, Xenocrates, Curius, Fabricius, alij: dubitatumq; est, quis nam fuerit temperantior, Alexanderne, qui Darij vxorem captam ne videre quidem voluit, an Scipio, qui virginem captam, visam, & laudatam, patri inuiolatam reddidit.

Definitur liberalitas, quæ in pecuniis benefacit: illiberalitas contrarium. lib.4. Eth.cap.1. Liberalitas est mediocritas circa pecunias, magis in dando, quam in accipiendo consistens. Dicitur ergo mediocritas: quia extrema habet profusionem, & illiberalitatem. Et quidem mediocritas circa pecunias, quarũ appellatione ait Philosophus comprehendi omnia, quorum æstimatio numo mensuratur. Sic in Pandectis lib.50.tit.16. de verborum, & rerum significatione; *Pecunia nomine non solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli, quam mobiles, & tam corpora, quam iura continentur.* Postremo dicitur magis in dando, quam in accipiendo consistere, quia magis proprium est virtutis beneficio afficere, quam affici, & honesta agere, quam turpia non agere. Laudatur liberalitas primo loco; quod agit τοῦ καλοῦ ἕνεκα: ὀρθῶς: ἡδέως, καὶ ἀλύπως. honestatis gratia: recte: iucunde, vel saltem sine molestia. Recte autem, id est, οἷς δεῖ, ὅσα, ὅτι, quibus oportet, quæcunq;, quando. Secundo lo-

to ἐν τῇ λήψει, in acceptione, quod non accipit, vnde non oportet: nec est ad petendum procliuis: sed accipit ex suis possessionibus; nec sua negligit. Tertio ἐν τῇ δόσει, in datione, quod non dat quibuslibet: & sibi pauciora relinquit: & dat pro facultatibus. Quarto, quod liberalis differt a prodigo, tum in dando, cum minime exuperet, tum in accipiendo, cum minime deficiat, vt facit prodigus; & differt ab illiberali, cum nec deficiat in dando, nec exuperet in accipiendo, quemadmodum facit illiberalis. Quinto, quod actio liberalitatis, videtur esse simillima actionibus Dei, & naturæ, cum Deus sua liberalitate mundum creauerit, & Natura Dei administra rebus omnibus sua munera impertiuerit. Sexto, quod liberalitas videtur esse iustitiæ præferenda, cum iustitia congruenter distribuat bona, quæ aliena sunt: & liberalitas largiatur bona, quæ sua sunt; quod certe difficilius existit. Laudata vero fuit liberalitas non solum in Cimone, de quo Plutarchus: verum etiam in Q. Fabio Maximo, de quo Valerius.

Definitur magnanimitas virtus magnorũ effectrix beneficiorũ: Pusillanimitas, seu paruus, & angustus animus, contrarium lib. 4. Eth. cap. 3. Mediocritas circa magna, cuius exuperantia est χαυνότης, & inflatio, defectio vero μικροψυχία. & paruitas animi. Iam μεγαλόψυχος, & magnanimus magnis dignus magnis dignum se putat. Quare ab eo differt χαῦνος, & inflatus, qui paruis dignus magnis dignum se arbitratur: & μικρόψυχος, & Pusillanimus, qui magnis dignus, paruis dignum se existimat: & σώφρων, ac temperatus; & modestus, qui paruis dignus paruis dignum se censet. Laudatur vero magnanimitas, primo loco in omni materia: quia magnanimitas magnis in rebus, vt nomen ipsũm indicat, elucet: & magnitudine magnanimus est summus, licet in eo, quod se habet, vt oportet, medius sit. Secundo loco in sua ipsius materia, quia magnanimus proprie in honore versatur, quod bonum externorum bonorum maximum est, cum honorem diis attribuamus, eumq; maxime appetant, qui splendent dignitate, atq; is sit præmiũm pulcherrimum. Preterea magnanimus est optimus, & præstantissimus, tanquã maximis honoribus dignus; &, quod in quaque virtute magnum, & amplum est, ipse sequitur.

Cumq;

Cumq; moderate se habeat in summo bono externo, vt in honore, etiam moderatum se ostendit in minoribus bonis, vt in diuitiis, potentia, & prospera fortuna, quæ propter honorem expetuntur. Tertio loco in materia fortitudinis, quia magnanimus non est πυκνοκίνδυνος frequenter periclitans: nec φιλοκίνδυνος studiosus periculorum: sed μεγαλοκίνδυνος magna pericula aggrediens; nec parcus vitæ, cum periclitatur. Quarto in materia liberalitatis, quod libenter confert beneficia, non libenter accipit, ne videatur inferior: superare dantes liberalitate studet: audit libentius, quæ contulit beneficia, quam quæ accepit: nemine se ostendit indigentem: prompte aliis subministrat. Quinto in materia earum virtutũ, quæ consistunt in communi vitæ consuetudine, quod magnanimus præstat se apud magnos magnum, apud mediocres mediocrem, nec adit illa loca, vbi deferuntur honores: cumq; in omnibus se ostendat magnum, etiam in actione corporis id facit, nam motus eius est tardus, vox grauis, locutio stabilis; qualem extitisse Cn. Pompeium Cicero testatus est, virum ad omnia summa natum, qui haberet in voce splendorem, & in motu summam dignitatem. Iam vero laudati sunt tanquam magnanimi in diuersis materiis illi, qui Maximi, vel Magni fuerunt nuncupati. Plut. in vita Pompeij sic scribit; Duos populos Rom. cognominauit Maximos, Valerium, quod patres a plebe dissidentes conciliauit: Fabium Rullum, quod diuites quosdam viros e libertis genitos e senatu mouit. Pompeius vero est salutatus Magnus a Sylla post victos Carbonem, & Perpennam in Sicilia, Domitiumq; atq; Hiarbam Regem in Africa. Cosmus quoq; Mediceus a Pio v. Pontifice Max. Magnus Dux Etruriæ est declaratus. In materia vero honorum laudatus est Cæsar tanquam magnanimus, qui victo Pompeio, & Pompeij filiis magnos quosdam honores sibi a senatu delatos non recusauit, vt pater patriæ diceretur, consul esset in decennium, dictator in perpetuum, sacrosanctus; vt Quinctilis mensis appellaretur Iulius, comitia Tributa in eius essent potestate, in acta eius magistratus ineuntes iurarent; vt Imperator esset noua significatione. In materia fortitudinis celebratus est magnanimus tanquam is, qui magna pericula adiuerit Si-

cinius Dentatus, merito dictus Achilles Romanus, qui pugnauit in hostem centum, & viginti præliis; cicatricem auersam nullam, aduersas quinq;, & quadraginta tulit; cum Imperatoribus suis triumphos nouem triumphauit, vt scriptum reliquit Gellius lib. 2. cap. 11. tanquam vero is, qui nõ frequenter periclitatus sit, nec fuerit studiosus periculorũ, & nihilominus, cum oportuit, magnitudinẽ animi ostendit incredibilem, Q. Fabius cunctator, de quo illud; vnus homo nobis cunctando restituit rem; cuius magnanimitatem Minutius veneratus est. In materia liberalitatis celebratus est tanquam magnanimus Hiero Syracusanorum Rex, tunc cum post victos Romanos ad locum Thrasimenum eis dono misit trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei, trecenta, & viginti pondo auri in habitum victoriæ. In materia earum virtutum, quæ consistunt in communi vitæ consuetudine, nemo laudatus est magis, quam Pompeius, de quo ita Cicero; Iam vero ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum iniuriis esse dicuntur, vt is, qui dignitate principibus excellit, facilitate pro infimis esse videatur. Hæc ille. Quæ tamen facilitas erat cum grauitate coniuncta, & hoc modo magnanimitatem declarabat.

Definitur magnificentia virtus in sumptibus effectrix magnitudinis: paruificentia, seu sordida quædam in sumptu faciendo parsimonia contrarium. lib. 4. Eth cap. 2. Magnificentia est virtus circa pecunias, quemadmodum liberalitas, cuius defectio est μικροπρέπεια, paruificentia, & sordes; exuperantia vero βαναυσία, sumptus inanis, & ἀπειροκαλία, inscitia honesti. Cum autem versetur circa pecunias, quemadmodum liberalitas, differt tamen a liberalitate: non enim extenditur ad omnes, quæ in pecuniis cernuntur, actiones, sed ad sumptuosas. Et, qui in paruis, vel mediocribus pro dignitate sumptus facit, is magnificus non dicitur, vt cum Vlysses dicebat, πολλάκι δόσκον ἀλήτῃ, sæpe dabam erranti, sed qui in magnis. Deniq; qui est magnificus, est liberalis; qui vero liberalis, non continuo magnificus. Laudatur autem magnificus, primo loco, quod ἐπιστήμονι ἔοικε, scienti similis est: contemplari enim decorum potest. Secundo, quod καὶ τοῦ μεγαλοπρεποῦς δαπάναι μεγάλαι, καὶ πρέ-

κὴ πρέπουσι, magnifici ſumptus magni, & conuenientes ſunt. Tertio, quod τοῦ καλοῦ ἕνεκα honeſti cauſſa agit, id quod omnibus virtutibus commune eſt. Quarto quod agit ἡδέως iucunde. Quinto, quod agit προετικῶς large: exacta enim ratio eſt viri paruifici. Sexto, quod non conſiderat, πόσον, κὴ πῶς ἐλάχιστον, quãtum, & quomodo minimum, ἀλλὰ πῶς κάλλιστον, κὴ πρεπωδέστατον, ſed quomodo pulcherrimum, & conuenientiſſimum. Septimo, quod κὴ ἐλευθέριος, etiam liberalis eſt. Octauo, quod eius opus eſt μέγα, καλὸν, θαυμαστὸν, magnũ, præclarum, admirabile. Cum autẽ verſetur in ſumptibus faciẽdis, obſeruandũ eſt genera ſumptuũ honorabilium eſſe duo, vt alia ſint publica, alia priuata. Et quidem publica duo, partim quæ ſunt deorum, vt donaria, apparatus, ſacrificia, & circa omne numen: partim ad Remp. pertinentia, & quæcunq; in Rep. glorioſa ſunt, vt ludos magnificentiſſimos edere, quod fecit Pompeius, triremes magnificentiſſime armare, & alia facere, quæ non conueniunt pauperi. Quamobrem pauper non poteſt eſſe magnificus: non enim habet, ex quibus ſumptus faciat congruenter. qui autem id aggreditur, ſtultus eſt. Priuata vero tria, tum quæcunq; ſemel fiunt, vt ſunt nuptiæ, & alia huiuſmodi: tum id cui ſtudet vniuerſa ciuitas, & cui ſtudent illi, qui dignitate ſplendent, vt ſunt arma, equi, & quæ pertinent ad hoſpitum receptiones, dimiſſiones, munera, remunerationes: tum domum parare congruentes diuitiis: hoc enim etiam ornamentum quoddam eſt: & in ea opera potius ſumptus facere, quæ diuturna ſunt: pulcherrima enim hæc exiſtunt. Cic. lib. 1. Officiorum teſtatur, Cn. Octauio homini nouo ſuffragatam eſſe domum ad conſulatum adipiſcendum ædificatam in Palatio, etiam ſi magis domino domus, quam domo dominus honeſtandus eſſe videatur.

Definitur prudentia virtus rationis, per quam bene conſultare poſſunt de bonis, & malis, quæ dicta ſunt ad felicitatem pertinere. lib. 6. Eth. cap. 5. Prudentia eſt habitus in agitatione mentis dirigens ad agenda ea, quæ homini bona ſunt. Atque hæc eſt iuſtitia humana in habitu poſita. Nam duplex eſt prudentia, vna diuina, altera mortalium propria. Diuina tribuitur Deo, & mentibus cœleſtibus,

quatenus eminenti quadam prouidentia, rectisq; legibus Mundum gubernant. Mortalium propria tribuitur animalibus; & hæc aut naturalis est, aut humana. Naturalis est adumbrata quædam prudentia, quæ reperitur etiam in animalibus ratione carentibus, vt in formicis, apibus, serpentibus. Nam de prudentia formicarum ita Plinius lib.11. cap.30. Ex iis Reip. ratio, memoria, cura, semina arrosa condunt, ne rursus in fruges exeant e terra. maiora ad introitum diuidunt; madefacta imbre proferunt, atq; siccant. sepeliuntur inter se viuentium solæ præter hominem. De prudentia apum. cap. 5. Illæ ad vsus vitæ laborem tolerant, opera conficiunt, Remp. habent, consilia priuatim, ac duces gregatim, &, quod maxime mirum sit, mores habent. De serpentibus ita in sacris literis; Estote prudentes, sicut serpentes. Humana est, quæ reperitur in solis hominibus. Atq; vna quidem posita est in spe, qualis est puerorũ, dum ostendunt naturaliter se aptos esse ad prudentiam, spemq; præbent futuræ prudentiæ; de qua est mentio lib. 6. Ethic. cap.13. Altera posita in habitu, quo homines aliquo modo se habent ad consultandum de rebus agendis. Et prudentia posita in habitu, aut imitatur virtutem, & proprie dicitur calliditas, malitia, astutia: aut cum morali virtute coniuncta est, & quadruplex existit. Vna singularis, qua homo sibi ipse nouit prospicere. Altera Oeconomica, & domestica, quæ rei domesticæ consulit. Tertia Nomothetica, & legitima, quæ leges condit. Quarta Politica, & ciuilis, quæ duas habet partes, vnam consultatricem, alteram iudicatricem. Iam laudatur prudentia, primo loco, quod est perfectio ceterarum virtutum: nam sine prudentia nulla virtus moralis potest consistere, vt legitur in fine lib.6. Ethic. Hac de re Socrates partim recte dicebat, partim errabat. Quod enim prudentias esse omnes virtutes opinabatur, errabat. Recte dicebat, quod non sine prudentia esse eas affirmabat. Omnis enim recta ratio rerum peragendarum est prudentia. Omnis virtus moralis est cum recta ratione rerum peragendarum: ergo omnis virtus moralis est cum prudentia. Secundo loco, quod est regula humanæ vitæ. Tertio, quod est lex ad felicem vitam perducens. Quarto, quod est via tutissima honestatis. Quinto, quod est auriga facul-

facultatum animi nostri, frenans equos vitæ humanæ, id est, appetitus humanos. Sexto, quod est magistra docens, quomodo bonum ex omnibus percipiatur. Septimo, quod est acies mentis, quæ optimum finem spectans omnia dirigit ad finem.

Deest definitio mansuetudinis, quæ sumi potest ex lib. 4. Eth. cap. 5. vbi definitur mansuetudo mediocritas circa iras, cuius defectio est vacuitas iræ, & exuperantia iracundiæ. Laudatur mansuetus, quod irascitur, in quibus oportet, & quibus oportet, & quomodo, & quando, & quantum tempus. Et primo loco laudatur, quod vacat turbido motu animi. Secundo, quod non ducitur ab affectu. Tertio, quod quemadmodum ratio ipsa statuerit, ita, & ob hæc, & tantum temporis succenset. Quarto, quod errat potius in defectionem, & in minus extremum. Quinto, quod non est procliuis ad vlciscendum. Sexto, quod est procliuis magis ad ignoscendum.

Deest quoq; definitio sapientiæ. Sed alibi in hoc eodem lib. 1. Rhet. cap 11. definitur sapientia, rerum multarum, & admirabilium scientia. Cum autem quatuor sint gradus sapientiæ, vnus, cum ab ineunte ætate primum sapere incipimus; qui cum maximo errore coniunctus est: alter, cum magistris traditi variis quoq; imbuimur erroribus: tertius, cum hoc vnum scimus, quod nihil scimus, vt Socrates profitebatur: quartus, cum per rerum caussas veritatem contemplamur, & ipsa contemplatione vna cum Deo coniungimur: duplex est sapientia, tum apud Platonem in Theage, tum apud Aristotelem lib. 6. Eth. cap. 7. vna vniuersalis, altera singularis. Ac vniuersalis quidem est summa rerum cognitio, quarum haberi scientia potest, quæ obseruat summa rerum capita, & idcirco dicitur summo Iouis capite nata sub nomine Palladis. Singularis vero est singulis artibus, & facultatibus tributa, & summa alicuius artis cognitio. Sic dicitur sapientia gubernatorum, sapiētia aurigarum, sapientia militum, sapientia Phidiæ marmorarij, sapientia Polycleti statuarij, sapientia medicorum, sapientia iurisconsultorum. Apud Aristotelem sapientia est habitus contemplandi, qui cognoscit principia, & conclusiones. Nam intelligentia est habitus principiorum; scientia

habitus conclusionum. Sapientia vero vtramq; partẽ complectitur, tum principiorum, tum conclusionum. Prudentia habitus agendi. Ars habitus efficiendi. Laudatur sapientia, quod nos Deo omnium sapientissimo quam simillimos reddit. Laudati sunt ab antiquitate tanquam sapientes in primis viginti, quorum sexdecim enumerantur a Cicerone in 5. Tusc. in hunc modum; Itaq; & illos septem, qui a Græcis σοφοὶ, sapientes a nostris & habebantur, & nominabantur: & multis ante seculis Lycurgum, cuius temporibus Homerum etiam fuisse ante hanc vrbem cõditam traditur. Etiam heroicis ætatibus Vlyssem, & Nestorem accepimus & fuisse, & habitos esse sapientes. Nec vero Atlas sustinere cœlum: nec Prometheus affixus Caucaso: nec stellatus Cepheus cum vxore, genero, filia traderetur, nisi cœlestium diuina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxisset. Hæc Cic. Quatuor igitur habiti fuerunt sapientes in Æthiopia propter rerum cœlestium cognitionem, Cepheus Rex Æthiopũ: Cassiopea eius vxor: Andromeda filia: Perseus gener. Vnus in Assyria, nempe Prometheus, qui Astrologiam Assyriis indicauit. Vnus in Mauritania, scilicet Atlas Mauritaniæ Rex, qui Sphæram inuenit, & cursum Solis, ac Lunæ, Syderumq; omnium docuit. Duo heroicis temporibus, tum Vlysses initio Odysseæ appellatus πολύτροπος, & versuto ingenio, tum Nestor, in quo inerat sapiens eloquentia. Quare Homerus Agamemnonem exoptantem induxit, non decem Aiaces, aut decem alios viros, robore, ac neruis valentes, sed decem Nestores, quibus facilius Ilium expugnari posse arbitrabatur. Vnus temporibus Homeri, id est Lycurgus, qui leges tulit Lacedæmoniis. Septem vero sequentibus temporibus, de quibus sic legitur in epigrammate quingentesimo nonagesimo septimo lib 1. epigrammatum Græcorum;

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ' ἔπος πόλιν, οὔνομα, φωνήν.

Septem Sapientum dico, vno versu ciuitatem, nomen, dictum.

1. *Μέτρον μὲν Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος εἶπεν ἄριστον*
Mensuram quidem Cleobolus Lindius dixit optimam.
2. *Χίλων δ' ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι, γνῶθι σε αὐτόν.*
Chilon vero in plana Lacedæmone, Nosce te ipsum.

3. Ὅς

3. Ὃς δὲ Κόρινθον ἔναιε, χόλου κρατέειν Περίανδρος.
Qui autem Corinthum habitabat, iram cohibere, Periander.

4. Πιττακὸς, οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ Μιτυλήνης.
Pittacus, Ne quid nimis, qui erat genus ex Mitylene.

5. Τέρμα δ' ὁρᾶν βιότοιο, Σόλων ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις.
Finem vero ſpectare vita, Solon ſacris in Athenis.

6. Τοὺς πλέονας κακίους δὲ, Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς.
Plures peiores autem, Bias dicebat Prienenſis.

7. Ἐγγύην φεύγειν δὲ, Θαλῆς Μιλήσιος ηὔδα.
Sponſionem fugere vero, Thales Mileſius monebat.

Præterea decimus ſeptimus ſapiens nominatus eſt a Cicerone de ſenectute ſic; Demonſtrabantur mihi præterea, quæ Socrates ſupremo vitæ die de immortalitate animorum diſſeruiſſet, is, qui eſſet ſapientiſſimus oraculo Apollinis iudicatus. Et duodeuiceſimus, vndeuiceſimus, viceſimus de amicitia ſub perſona Fannij ad hunc modum; Sunt iſta vera Læli: nec enim melior vir fuit Africano quiſquam, nec clarior. Sed exiſtimare debes omnium oculos in te eſſe coniectos: vnum te ſapientem & appellant, & exiſtimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni: ſcimus L. Acilium apud patres noſtros appellatum eſſe ſapientem: ſed vterq; alio quodam modo. Acilius, quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur: Cato, quia multarũ rerum vſum habebat, multaque eius & in ſenatu, & in foro vel prouiſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acute ferebantur. Propterea quaſi cognomen iam habebat in ſenectute ſapientis. Te autem alio quodam modo dicunt, non ſolum natura, & moribus, verum etiam ſtudio, & doctrina eſſe ſapientem. Atq; hæc hactenus de prima propoſitione rerum honeſtarum, ſeu laudabilium.

Quod attinet ad ſecundam propoſitionem, quatuor in primis obſeruanda ſunt: Quædam efficere virtutem intelligendi extra ipſum: Quædam in ipſo animo: Quædam in ipſo corpore: Quædam deniq; efficere virtutem agendi. a Prop.

1. Etenim efficiunt virtutem intelligendi extra ipſum in primis quatuor, Deus, maiorum exempla, bona educatio, diuitiæ.

At Deus quidem, & impulſus cœleſtis ſignificatus eſt nõ

ſolum per Mineruam, quæ vniuerſæ præeſt ſapientiæ: ſed etiam per tres deos, qui tribus ſtudiorum muneribus præſunt, Mercurium inueſtigationi, Phœbum inuentioni, Venerem ornatui. Maiorum vero exemplum plurimum valet in nobilibus. Quare legitur lib. 3. Politicorum, βελτίους ἐκ βελτιόνων, Præſtantiores ex præſtantioribus. & apud Platonem in Funebri, ἀγαθοὶ ἐξ ἀγαθῶν, Boni ex bonis. & apud Horatium, Fortes creantur fortibus. Etiamſi quandoque fiat degeneratio, vt in iis, qui originem habuerunt ab Alcibiade ſuperiore, a Cimone, a Pericle, a Socrate. quod legitur lib. 2. Rhet cap. 15. In ignobilibus verò pro maiorum exemplo poteſt valere aliorum præſtantium virorum imitatio. Præterea efficit virtutem intelligendi bona educatio & bona inſtitutio. Nam ad comparandam ſapientiam requiritur morum compoſitio, quæ fit per educationem, vt docet Ariſt. lib. 7. Politicorum; & præcedere debet omnem contemplationem. quod intellexit Simplicius, cum ſcripſit Philoſophiam agendi diſcendam eſſe ante Philoſophiam contemplandi. εἰκὸς, inquit Ariſt. ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὺς, καὶ τὸν οὕτω τραφέντα, τοιοῦτον εἶναι. Veriſimile eſt ex bonis bonos, & ſic educatum talem eſſe. Plato, τὴν εὐγένειαν πρῶτον ἐγκωμιάζομεν: δεύτερον δὲ τροφήν τε, καὶ παιδείαν. Nobilitatem primum celebramus: ſecundo autem loco educationem, & inſtitutionem. Diuitiæ quoq; valent ad efficiendam virtutem intelligēdi, de quibus dicebat Demoſthenes in prima Olynthiaca, δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων. Opus eſt certe pecuniis, & ſine his nihil fieri poteſt eorum, quæ vtilia, & decora ſunt. & Ariſt. lib. 1. Eth cap. 8. ἀδύνατον γὰρ, ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν, ἀχορήγητον ὄντα. Fieri non poteſt, vel non facile fit, vt honeſte agat is, cui neceſſaria non ſuppetunt.

2. Efficiunt virtutem intelligendi quædam in ipſo animo, & in primis tria, ingenium, memoria, ſtudium. Ac ex variis quidem ingeniis tria hominum genera facit Heſiodus, & Ariſt. lib. 1. Eth. cap. 4. vt alius ſit πανάριστος, & longe optimus, qui per ſe omnia poſſit diſcere: alius ἐσθλὸς, & bonus, atq; ingenio bono, qui ſi non per ſe, at ſaltem a præceptore diſcat: alius ἀχρήιος ἀνὴρ, & inutilis homo, qui ineptus ſit ad diſcendū, & nec per ſe, nec ab aliis diſcere quidquam

quam possit. Sic Cicero scribebat lib. 2. de orat. alia ingenia esse diuina, alia humana, alia absurda: prima summa, secunda mediocria, tertia infima. Prima etiam roganda: secunda non deterrenda: tertia admonenda, vt se contineant. Præter ingenium valet multum memoria, quam Aphranius apud Gellium matrem sapientiæ fecit in illis versibus;

Vsus me genuit: mater peperit memoria:
Σοφίαν vocant me Graij: vos sapientiam.

Postremo requiritur studium, id est, assidua, & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, vt definitur lib. 1. de inuentione.

3. Efficiunt virtutem intelligendi, quædam in ipso corpore & in primis duo, sanitas, & robur. Ac sanitas quidem requiritur aduersus duos morbos, tanquam aduersus Scyllam, & Charibdim; nempe pituitam, de qua Horatius lib. 1. epistolarum ad Mœcenatem;

Ad summum sapiens vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, Rex deniq; Regum,
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est:

Et melancholiam, de qua Cic. in 1. Tusc. sic; Aristoteles ait, omnes ingeniosos melancholicos esse: vt ego me tardiorem esse, non moleste feram. Robur quoq; requiritur ad perferendas vigilias, quas ita Demosthenes exercebat, vt valde doleret, siquando opificum antelucana forte victus esset industria.

4. Efficiunt virtutem agendi in primis tria, natura, doctrina, & consuetudo. Ac multum quidem valet natura, si spectentur principia, & semina, ac igniculi naturales. Multum doctrina, si spectetur incitamentum. Multum consuetudo, si spectetur perfectio. Cumq; dubitetur de natura ex Arist. lib. 2. Eth. cap. 1. quod quæ sunt a natura, aliter non assuescunt, vt lapis, & ignis. At virtus moralis aliter assuescit, cum ex iusto possit fieri iniustus. Et, quæ sunt a natura, eorum habemus prius potentiam, postea actum; vt prius possumus videre, vel audire, & postea videmus, vel audimus. At virtutis moralis habemus prius actum, & postea potentiam, id est, habitũ ipsum, qui ex pluribus actibus comparatur. Respondetur virtutem moralem non esse a natu

ra simpliciter, sed esse a natura, tanquam a re inchoante. Dubitatur etiam de doctrina, quod quæ sunt a doctrina, habent finem cognitionem. At virtus moralis non habet finem cognitionem, sed actionem. Respondetur vero virtutem moralem non esse a doctrina simpliciter, sed esse a doctrina, tanquam a re excitante. Postremo dubitatur de consuetudine, quod quæ sunt a consuetudine, non oriuntur simul cum homine. At virtus moralis videtur oriri simul cum homine. Respondetur virtutem moralem non esse a consuetudine, si spectentur eius semina naturalia; sed esse a consuetudine, & more, tanquam a re perficiente.

Patet igitur, quæ possint laudari, tanquam efficientia virtutem.

Quod attinet ad tertiam propositionem, efficiuntur a virtute primo loco signa virtutum, opera, perpessiones: sed non omnes perpessiones iustitiæ. Nam inter virtutes hæc sola est, in qua non semper, quod iuste se habet, honestum, & honoratum est. Vt turpe damnari est turpius, quam iniuste; vt Socrates respondit Xantippæ vxori.

Secundo loco honorata, qualia sunt vbi præmium est honor, vt corona triumphalis, oualis, obsidionalis, ciuica, muralis, castrensis, naualis, oleaginea, de quibus Gell. lib.5.cap.6. & in Olympiis, Pythiis, Nemæis, Isthmiis, Iouis, Apollinis, Archemori, Palæmonis, dabantur, vt cecinit Simonides κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς, oleaster, baccæ, apia, pinus. Et vbi honor magis, quam pecuniæ, vt cum quis fit eques principis.

Tertio loco aliquo modo bona, qualia sunt bona propria alicuius communicata. Et simpliciter bona, vt adiuuare patriam, propinquos, amicos. Et naturaliter bona, vt in Cæsare simul scribere, & legere, dictare, & audire, epistolas quaternas, vel, si nihil aliud ageretur, septenas librariis dictare, quod scriptum reliquit Plinius lib.7.cap.27. Et non ipsi bona, vt fructus pulchritudinis. Et bona contingentia magis mortuo, vt referri in numerum deorum.

Quarto loco genera eorum, quæ fiunt propter alios, vt opera, quæ indigent arte operosa, vt theatra, templa, plateæ, publicæ viæ: Et actiones, quæ pertinent ad prudentiam, vt patrocinia amicorum: Et remunerationes, quæ

iustæ sunt: Et beneficia, vnde honor.

Quinto spectata ex consequenti, vt consequitur verecundia: ergo factum turpe. non consequitur verecundia: ergo factum honestum. Etenim qui turpia dicunt, & faciunt, & dicturi, & facturi sunt, verecundantur, vt cecinit Sappho. Nam, cùm Alcæus diceret, volo aliquid loqui: sed me prohibet pudor; respondit, si incensus esses bonarum rerum desiderio, aut honestarum, neq; dicere id, quod malum est, lingua tentaret, nequaquam tibi oculos occuparet pudor: sed de re æqua libere loquereris. Sic potest consequi anxietas cum timore, & est factum turpe, & ignauiæ: vel sine timore, & est factum honestum, & gloriæ.

Sexto spectata ex comparatione, vt virtutes, & opera meliorum sunt meliora, vt viri, quam mulieris. Et magis aliis, quam nobis voluptatia, vt iustum, & iustitia. Et magis inimicos vlcisci, quam non vlcisci; & nō reconciliari, quam reconciliari: quia par pari referri iustum est. & quia ad fortitudinem pertinet non cedere. Hæc ita censentur ratione iustitiæ, & ratione fortitudinis: sed secus est ratione magnanimitatis, & ratione mansuetudinis. Nam lib. 4. Ethic. cap. 4. legitur; Magnanimus non est iniuriarum memor: non enim magnanimi est meminisse, præsertim malorum, sed magis ea despicere. Itaq; magnanimus iudicabit honestius non vlcisci, quam vlcisci. & eodem lib. 4. Ethic. cap. 5. Mansuetus non est procliuis ad vlciscendum, sed potius ad ignoscendum. Ergo mansuetus iudicabit honestius reconciliari, quam non reconciliari.

Septimo, quæ declarant excellentiam, vt victoria, & honor.

Octauo, quæ pertinent ad memoriam, qualia sunt memorabilia scripta poetarum, oratorum, historicorum. Et magis memorabilia, vt orationes, & poemata, quam statuæ. Et quæ sequuntur mortuum, vt sepulcra. & quæ honor consequitur, vt factum Ciceronis, cum oppressit coniurationem Catilinariam, maximi honores sunt consecuti.

Nono quæ afferunt admirationem, vt quæ excellunt, quemadmodum in P. Crasso Muciano excelluerunt quinque maxima. auctor Gell. lib. 1. cap. 13. ex Sempronio Asel-

lione. in M. Catone tria summa. auctor Plinius lib. 7. cap. 27. Et quæ solus aliquis possidet; vt solus Achilles Hectorem potuit vincere: soli Ciceroni togato supplicationes decretæ sunt.

Decimo quæ pertinent ad splendorem, vt possessiones non frugiferæ. Et propria singulorum, vt Atheniensium proprium fuit alere benemeritos in Prytaneo.

Vndecimo, quæ sunt signa libertatis. Vt Lacedæmone alere comam: non enim facile potest, qui comam alit, obire seruile munus. Et non exercere artem operosam: quia pertinet ad libertatem non viuere ad alterius arbitrium.

Duodecimo, quæ sunt vicina virtutibus. Vt prudentiæ malitia: fortitudini audacia: temperantiæ immanitas in voluptatibus aspernandis: iustitiæ acerbitas. Vbi habetur caussa paralogismi. Etenim, si, vbi non est necesse, ad pericula paratus est, multo paratior videbitur, vbi honestum, & præclarum erit pericula subire. Si paratus est ad largiendum quibuslibet, etiam paratus erit ad largiendum amicis.

Decimotertio, quæ apud quosq; in honore sunt. Considerandum enim, apud quos laus fit. Quare dicebat Socrates in Menexeno, non esse difficile laudare Athenienses apud Athenienses, sed apud Peloponnesiacos. Apud Scythas in honore erat feritas. Apud Lacedæmonios etiam furtum, vt scriptum reliquit Gell. lib. 11. cap. 18. apud Philosophos vita solitaria.

Decimoquarto, quæ gesta sunt laudabiliter vno de tribus modis; vel prout conuenit, vt si quis gessit digna maioribus suis, si digna rebus ante a se gestis; Sic Euagoras laudatus est ab Isocrate; sic Sextius a Cicerone: vel præterquam conuenit in melius, & honestius, vt si prospera fortuna vtens sit moderator; quod dicitur de Cæsare pro Marcello; si aduersa fortuna vtens sit magnanimus; Si factus maior sit melior, & placabilior; sic gloriabatur Iphicrates sutoris filius; Ex quibus in quæ. Sic Olympiocites;

His humeris dura imposita mihi corbe redibam
Ex Argo pressus piscibus ad Tegeam.

Sic Archedica Hippiæ legis Athenarum filia;

Quæq; parentem habuit Regem, fratremq; virumq;.

Et tamen non erat insolentior. Quare agebat, præterquã conue-

conueniebat,in melius:Vel ex prælectione, vt si ostendatur sæpe egisse; & multa, & similia proferantur. Vbi declarantur tres termini, ἔπαινος, & laus, quæ est virtutis: ἐγκώμιον, encomium, quod est operum virtutis: πίστις ἐπιδεικτική, fides demonstratiua, quæ est eorum, quæ circum sunt, vt cum laudatur nobilitas, & educatio: verisimile enim est ex bonis bonos ortos esse, & hoc modo educatũ huiusmodi esse. Et hæc tria dicuntur pertinere ad macarismum, & eudæmonismum, id est beatitudinis, & felicitatis deprædicationem. Nam quemadmodum felicitas cõtinet virtutem: sic felicitatis deprædicatio continet laudem, encomium, & fidem demonstratiuam.

Decimoquinto, quæ in consilio dando præciperentur. Laus enim, & consilium affinia sunt: & consilium conuerti potest in laudem; Exempli gratia, consilium est, magno, & excelso animo esse oportet non propter fortunæ bona, sed propter sua. Laus vero est Euagoræ apud Isocratem; magno, & excelso animo est, non fortunæ bonis fretus, sed suis. Quare, inquit Aristoteles, cum laudare vis, vide, quid præciperes: cum præcipere vis, vide, quid laudares.

Decimosexto, quæ spectantur ex ratione amplificandi, quæ octuplex est.

1. Si solus fecit, vt solus Horatius Cocles contra exercitum Porsenæ in ponte dimicauit: solus Gorgias Rhetor tantum pecuniæ lucratus est, vt potuerit sibi auream statuam in templo Apollinis collocare: solus Cicero togatus obtinuit supplicationes, qui honor tantum armatis imperatoribus concedebatur.

2. Si primus fecit, vt primus Empedocles nonnulla mouit circa Rhetoricam: primi Corax, & Tisias, Siculi fuerunt scriptores artis Rhetoricæ: primus Antiphon orationem scripsit: primus Pericles in scribendis orationibus excelluit: primus Aristoteles Rhetoricam perfecit.

3. Si cum paucis fecit, vt Leonides Spartanus cum paucis aduersus innumerabilem exercitum Persatũ ad Thermopylas dimicauit: Lucullus cum decẽ millibus militum vicit ducenta millia militum, qui erant in exercitu Mithridatis, & Tigranis.

4. Si maxime, ac præcipue fecit, vt in victoria Theba-

norum aduerſus Lacedæmonios Epaminondæ virtus maxime enituit: in Naupacta victoria contra Turcas maxime excelluit Sebaſtianus Venerius, Venetæ claſſis ſummus Imperator.

5. Si ex temporibus, & occaſionibus, vt Octauius opportune furori Antonij teſtitit: Cicero opportune factus eſt conſul, cum opprimenda eſſet coniuratio Catilinaria.

6. Si ſæpe, vt ſæpe Cæſar, ſæpe Pompeius hoſtes deuicerunt.

7. Si ita, vt nouos honores adinuenerit, quemadmodum Hippolochus dignus viſus eſt, in quem primum encomium fieret: & Harmodius, & Ariſtogiton digni viſi ſunt, quibus primis ſtatuæ in foro collocarentur.

8. Si ita, vt, cum aliis comparatus, ceteris præferatur: Cum illuſtribus enim facienda comparatio eſt: vel ſi non cum illuſtribus, at certe cum aliis: ſiquidem excellentia indicare virtutem videtur. Cum autem tria ſint inſtrumenta oratoria, enthymema, exemplum, amplificatio, quemadmodum enthymema eſt maxime proprium generis iudicialis, & exemplum generis deliberatiui: ſic demonſtratiuo amplificatio maxime congruere exiſtimatur, & potiſſimum illa, quæ fit per comparationẽ, vt ex hoc patet loco.

Atq; hæc hactenus de primo fonte argumentandi in genere demonſtratiuo.

Secundus fons eſt ab aſſumptis finibus aliorum generum. Traditur enim lib. 1. cap. 3. cum laudantibus, & vituperantibus finis ſit honeſtum, & turpe, alia quoq; ad hæc referri ſolita eſſe, vt quæ aſſumpta ſunt a finibus aliorum generum, vt ab vtili, & pernicioſo, qui eſt finis generis deliberatiui; etiamſi quandoq; id dimittatur, & in laudibus ponatur, quod quis glorioſi aliquid geſſerit, etiam contempto ſuo ipſius commodo: ſic a iuſto, & iniuſto, qui eſt finis generis iudicialis; quæ ratio argumentandi quamuis minime neceſſaria ſit, auget tamen copiam argumentorũ.

Tertius fons eſt a communibus; quæ nihilominus magis conueniunt generi demonſtratiuo, quam aliis; vt ſunt propoſitiones de magno, vel paruo, quæ aliquid eſſe magnum, vel paruum oſtendunt. Nam lib. 2. legitur cap. 18. ex communibus amplificare maxime proprium eſſe demon-

ſtratiuæ-

strariuarum orationum. cap. autem 19. traditur, huiusmodi propositiones petendas esse ex genere deliberatiuo, vbi propositiones bonorum comparatorum sunt explicatæ, & dictum est de magnitudine bonorum, & de maiori simpliciter, & minori. Quare, inquit Philosophus, quoniam in vnaquaq; oratione propositus est finis id, quod bonum est, quemadmodum vtile, & honestum, & iustum, apparet ex illis sumendas esse omnibus amplificationes: quærere enim aliquid præter hæc de magnitudine simpliciter, & excellentia, inanis est disputatio; quia aptiores sunt ad vsum res singulares, quam vniuersales.

Quartus fons est a locis Topicis, de quibus egimus in primo libro.

V.

OBSERVANDI MORES.

MOrata oratio debet tres mores exprimere in persona oratoris, beneuolentiam, probitatem, prudentiam: & accommodanda est ad mores auditorum.

Quod attinet ad primam partem, exprimit orator beneuolentiã in auditores, dum eorum laudat mores. Quare scriptum est apud Aristot. libro tertio, cap. 17. In demonstratiuis vero oportet facere, vt putet auditor collaudari aut se, aut genus, aut studia ipsius, aut aliquo alio modo. Quod enim dicit Socrates in Funebri, verum est, non esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare, sed apud Lacedæmonios. Exprimit probitatem, dum virtutem laudat; cuius materiam valere plurimum ad moratam orationem docet idem Arist. lib. 1. cap. 9. in hunc modũ; Continget vero simul, dum de his dicemus, vt etiam illa aperiamus, vnde aliquibus moribus prædit existimabimur, quæ erat secunda fides. Ex iisdem enim nos ipsos, & alium efficere fide dignum poterimus propter virtutem. Exprimit prudentiam cum aliis multis modis, tum assumens ad laudandum pro vitio vicinam virtutem, & ad vituperandum pro virtute vicinum vitium: & commemorans ea, quæ laudat, gesta esse, modo prout conuenit, modo præterquam conuenit in melius, & honestius, modo ex prælectione: & ea tantum laudans, quæ consulendo præcipi possunt, vt traditur eodem cap. 9.

De accommodanda vero oratione ad mores auditorũ, quæ quidem erat secunda pars moratæ orationis, ita scribit idem Arist. lib. 1. cap. 9. Considerare vero etiam oportet, apud quos laus sit: non enim, quemadmodum dicebat Socrates, difficile est Athenienses apud Athenienses laudare. Dicendum autem est, quod apud quosq; in honore est, vt apud Scythas, aut Laconas, aut Philosophos, & omnino, quod in honore est, reducendum est ad honestum, siquidem esse vicinum videtur. Platonis verba sunt sub persona Socratis in Menexeno; Si oporteret vel in Peloponneso Athenienses, vel Peloponnesiatos Athenis orare, facundo tunc ore opus esset, qui & persuaderet, & probaretur. Quando autem apud eosdem se quis exercet, quos & laudat, facile eius verba laudantur.

VI.

OBSERVANDI AFFECTVS.

Voluptas afferenda est animis auditorum: & gratia commouenda ex prædicatione virtutis, & operũ honestorum. Docet enim Cicero in Partitionibus affectum accommodatum huic generi esse delectationẽ: & in caussis demonstratiuis omnem rationem fere ad voluptatem auditoris, & ad delectationem referri. Præterea vero etiam constat gratiam huic generi conuenire; quæ quidem quo magis amplificatur, eo mouetur magis tum in iis, qui laudantur, si præsentes sint, tum in iis, qui audiunt aliorum laudes, qui quidem clarorum hominum laudatione non possunt non commoueri ad benefaciendi cupiditatem, & desiderium bene merendi de humano genere, ac affectum gratiæ concipiendum. Quamobrem non erit inutile proponere ante studiosorum oculos, quæ grauissimus auctor tradidit Aristoteles de his duobus affectibus, voluptate, & gratia.

Cum autem in Rhetorica definitiones μήτε ἀσαφεῖς, μήτε ἀκριβεῖς, neq; obscuræ, neq; exquisitæ esse debeant, definitur voluptas lib. 1. cap. 10. primo loco motio quædam: secundo constitutio; duplex enim est voluptas, vna in motu, & hæc est affectus; altera in statu, & hæc non est affectus; quemadmodum alia est voluptas sitientis, & bibentis, alia post restinctam sitim: tertio animi; conuenit enim tantum rebus

rebus animatis: quarto ſubita; eſt enim diſpoſitio, non habitus: quinto ſenſibilis; conuenit enim rebus animatis ſenſu præditis, non iis etiam, quæ tantummodo vitam continent, vt ſtirpibus, & arboribus: ſexto in inſitam naturam, vt ſcilicet recreetur natura, & ſenſus hilaretur. Iucundum vero definitur, quod habet vim efficiendæ talis diſpoſitionis. Et moleſtum, quod habet vim corrumpendæ talis diſpoſitionis, vel efficiendæ contrariæ. cap. autem II. enumerantur iucunda, & voluptatem afferentia.

Primo loco, quæ ſunt ſecundum naturā, vel ſecundum conſuetudinem, vel ſecundum voluptatē. Naturale enim plerunq; habet vim efficiendæ propriæ voluptatis. vnde Virg. Trahit ſua quemq; voluptas. Et conſuetum quaſi natura inſitum eſt. Ideo Virg. Adeo a teneris aſſueſcere multum eſt. Et non violentum eſt ſecundum naturam, ideo ſuaue. Contra vero violentum; vnde dictum eſt ab Eueno apud Ariſt. lib. 4. eorum, quæ dicuntur Metaphyſica, & lib. 2. de moribus ad Eudemum, & apud Plutarchum; *Inſuaue eſt etenim fieri quodcunque neceſſe eſt.* Si igitur commemorabuntur naturalia, conſuetum, & non violenta, ea valde delectabunt.

Secundo loco, quæ mouent ſenſum, & phantaſiam; vt cuius eſt cupiditas: vt bonum præſens, præteritum, & futurum & malum præteritum: vt iraſci: vt omnis fere cupiditas: vt vlciſci. Definitur cupiditas appetitio rei iucundæ; & cupiditates dicuntur eſſe partim expertes rationis, vt ſitis, & fames: partim cum ratione, quæ ex perſuaſione concipiuntur. Non ſolum autem iucundum eſt bonum præſens, præteritum, & futurum, ſed etiam malum præteritū. vnde illud, ἀλλ' ἡδύ τι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, Dulcis malorum eſt memoria, vbi illa effugeris. Et iucundum eſt iraſci, quia habet ſpem futuri boni: & omnis cupiditas eſt iucunda, quia recordantur, & ſperant bonum, vt qui febricitant, qui amant, qui verſantur in luctibus amicorum, vbi non ſolum eſt moleſtia ex eo, quia non adſit res amata: verum etiam voluptas ex eo, quod in memoriā reuocent, & quodammodo videant amicum, & quid ageret, & qualis eſſet. Et vlciſci eſt iucundum, quia non vlciſci habet dolorem.

Tertio, quæ gignunt phantaſiam excellentiæ, vt vince-

re:vt ludi:vt iudicialis,& contentiosa disputatio: vt honor, & gloria : vt amicus: vt admirationi esse: vt adulari, & adulator; De victoria ita Cic.lib.2.de diuin.Etiam bestiæ propter victoriam mouentur, vt galli victi silere solent, canere victores. Ludi quoq; sunt iucundi propter victoriam; inuenti a Lydis, cum Lydus, & Tyrrhenus fratres regnarent, & magna esset hominum fames. Sic propter victoriam iucunda est iudicialis,& contentiosa disputatio. Et honor,& gloria, vbi oritur phantasia excellentiæ. Et amicus, quia amare,& amari iucundum est.Et suspici propter honorem. Et adulari,& adulator, quia videtur amicus.

Quarto, quæ sunt accommodata consuetudini, vel naturæ, vel perfectioni humanæ. Nam accommodatum est consuetudini, eadem agere. Quare Apelles nullam diem sine linea sinebat præterire. Accommodatum est naturæ permutare. Vnde Euripides in Oreste; permutatio omniũ dulcis. Accommodatũ perfectioni humanæ est discere, & admirari: & naturale est homini discere, vt suam nanciscatur perfectionem: & in admiratione cupiditas est discendi.

Quinto, quæ pertinent ad beneficium, vt benefacere, & beneficium accipere. hoc enim est consequi, quod optatur: illud vero habere,& excellere. Vt etiam corrigere proximos, quod valet ad benefaciendum. Et inchoata perficere, quod etiam valet ad benefaciendi rationem.

Sexto admirabilia, vt quod imitatione expressum est, qualis est pictura, statuaria, poetica. Tantum enim valet imitatio ad delectandum, vt etiam molesta imitatione expressa delectent, quemadmodum animalia fera, viperæ, tigres, atq; hominum cadauera, quæ quidem cum molestia inspicere solemus, tamen si sint exquisite depicta, cum voluptate inspicimus. vt tradit Arist. in Poetica. sunt etiam admirabiles Peripetiæ, & in contrarium mutationes, atq; ancipites, variiq; casus; & vix seruari ex periculis: idcirco afferunt iucunditatem.

Septimo amica, vt cognata, & similia, vnde prouerbia; Æqualis æqualem delectat: simile simili amicum: cognouit fera feram: graculus cum graculo. Vt quisque sibi. Vt sua, cuiusmodi sunt opera, liberi. Vt inchoata perficere: ipsorum enim opus iam fiunt.

Octa-

Octauo, quæ pertinent ad principatum, vt videri ſapientem: vt principem eſſe, & increpare proximos: vt in eo verſari, vbi optimus eſt. vnde Euripides;

Nam quiſq; ad id frequens adeſt,
Magnamq; in illo temporis partem terit,
In quo ipſe ſe præſtantiorem exiſtimet.

Nono, & vltimo ridicuſa, quia pertinent ad ludum, vt ridiculi homines, ridicula dicta, ridicula facta. Definitur ridiculum in Poetica, peccatum quoddam, & turpitudo, ſine dolore, & non habens vim interimendi. Homines autem ſunt ridiculi, aut ratione animi, vt Margites: aut ratione corporis, vt Therſites, vnde illud, Θέρσιτον βλέμμα: aut ratione rerum extrinſecus poſitarum, vt ſi doctor conſpiciatur veſtibus baiuli indutus. Dicta ſunt ridicula, vt illud Siculi; Da mihi, quæſo, ex iſta arbore quos feram ſurculos. Facta ſunt ridicula, vt illud Diogenis, qui accenſa in meridie lucerna dicebat ſe hominem quærere: &, cum malus quidam iaculator ad ſcopum ſagittam dirigeret, ipſe prope ſcopum acceſſit, dicens ſe vereri, ſi alibi ſtetiſſet, ne ſagitta feriretur: &, cum in domum quandam eleganter ædificatam, & politam, introductus eſſet, atq; excreaſſet; in faciem domini expuit, dicens ſe nullum fœdiorem locum conſpicere, in quem expueret.

Definitur gratia lib. 2. cap. 7.

1. Qua is, qui quid habet, dicitur gratificari indigenti:
2. Non vt aliquid referat:
3. Neq;, vt ad eum, qui gratificatur, aliquid propterea perueniat:
4. Sed eius tantum cauſſa, cui gratificatur, & ſolo animo benefaciendi.

Ac mouentur quidem ad gratificandum qui poſſident illud, quo alij indigent.

Et mouentur erga indigentes.

Et adducuntur ad gratificandum animaduerſa aliorum indigentia.

Indigentiæ vero ſunt appetitiones, & ex his illæ potiſſimum, quæ coniunctum dolorem habent rei, quæ non ſuppetit. Eiuſmodi vero ſunt cupiditates.

Vt amor:
Et in corporeis cruciatibus:
Et in periculis:
Et in paupertate:
Et in exilio.

Iam operæ precium est intelligere, quomodo amplificetur gratia, & quomodo diminuatur.

Amplificatur enim triplici ratione;

1. Eorum, qui accipiunt, vt sint valde indigentes:

2. Eorum, quæ dantur, vt sint { Magna, Difficilia, Opportuna.

3. Eorum, qui dant, vt dent { Soli, Aut primi, Aut in primis.

Diminuitur vero tribus modis,

1. Ex quadruplici effectu { Quod sua caussa tribuerint: Quod casu fecerint: Quod coacti: Quod magis reddiderint, quam dederint.

2. Ex inspectione categoriarum { Quod dederint hoc, & non illud; quæ inspectio est substantiæ: Quod non tantum, quãtum oportebat; quæ inspectio est quantitatis: Quod nõ tale, quale requirebatur; quæ inspectio est qualitatis: Quod non quando oportebat; quæ inspectio est temporis: Quod non vbi oportebat; quæ inspectio est loci: Et sic de aliis categoriis.

3. Ex tribus signis animi parum beneuoli, { Quod ne rem quidem minorem tribuerint: Quod etiam inimicis tribuerint: Quod res viles tribuerint.

VII.

VII. ATTENDENDA ELOCVTIO.

PRæcipit Arist. lib. 3. cap.12. elocutionem ſcriptionis exactiſſimam eſſe oportere: & elocutionem demonſtratiuam ſcriptioni accommodatiſſimam eſſe: idcircoq; in ea exactiſſimum ſtudium requiri; vt, cum oratores aliquam excuſationem habere poſſint in cauſſis iudicialibus, & deliberatiuis, quod fere loquantur ex tempore, vel parum certe temporis habeant ad ſe ipſos comparandos; &, vt tempus habeant, magis ſpectent vtilitatem cauſſarum, quam delectationem auditorum: non ſic excuſentur in hoc genere, ſi minus eleganter, minusq; copioſe dicant, quia valde meditati ſoleant accedere ad dicendum, vel ſi parum temporis habeant, vt in Funebribus, nihilominus delectare auditores debeant dicendi copia, atq; elegantia. Orationes igitur demonſtratiuæ omnibus eloquentiæ luminibus, quaſi ſtellis, ſunt illuminandæ, & diſtinguendæ, atq; ad eas colorandas ex Rhetorum libris, veluti ex arculis quibuſdam, omnia illuſtrandi pigmenta ſunt depromenda. Ciceronis verba ſunt in Partitionibus; Quoniam in his cauſſis omnis ratio fere ad voluptatem auditoris, & ad delectationem refertur; vtendum erit iis in oratione ſingulorum verborum inſignibus, quæ habent plurimum ſuauitatis, id eſt, vt factis verbis, aut vetuſtis, aut tranſlatis frequenter vtamur, & in ipſa conſtructione verborum vt paria paribus, & ſimilia ſimilibus ſæpe referantur, vt contraria, vt geminata, vt circumſcripta numeroſe non ad ſimilitudinem verſuum, ſed ad explendum aurium ſenſum apto quaſi quodam verborum modo. Adhibendaq; frequentius etiam illa ornamenta rerum ſunt, ſiue quæ admirabilia, nec opinata, ſiue ſignificata monſtris, prodigiis, & oraculis, ſiue quæ videbuntur ei, de quo agimus, accidiſſe diuina, atq; fatalia: omnis enim expectatio eius, qui audit, & admiratio, & improuiſi exitus, habent aliquam in audiendo voluptatem. Hæc ille. Cum autem triplex ſit genus elocutionis, vnum graue, alterum mediocre, tertium attenuatum; in orationes demonſtratiuas maxime mediocre genus recipiendum videtur, vt ſe feciſſe Cicero in laudibus Pompeij teſtatur lib.3. de orat. his verbis; Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornan-

di copiam persecuti sumus. Cumq; genus deliberatiuum ceteris præferatur generibus ab Arist. lib. 1. cap. 1. ratione rerum, quæ tractantur, propter quas dicitur pulchrius, & ciuilius, quippe quod bonum communius tractet, & hoc modo maius: demonstratiuũ tamen antefertur ab eodem lib. 3. cap. 12. ratione elocutionis, quæ in eo exactissima requiritur. Quamobrẽ, cum ad hoc genus potissimum pertineat elocutio, ad ipsum adornandum, quæ ab Aristotele de elocutione tradita sunt, in facilem studiosorum aspectum producamus.

Ex capite primo libri tertii.

Agendum est de elocutione:
- Quia non satis est habere, quæ oportet dicere, nisi etiam hæc dicantur, quomodo oportet.
- Et quia elocutio valet ad exprimendos mores oratoris.

Et quidem agendum statim post fidem, seu persuasionem, & triplex artificium persuasionis positum tum in argumentis, tum in moribus, tum in affectibus: quia secundum naturam hæc tria ordinata sunt.

1. Fides:
2. Elocutio:
3. Actio.

Actio vero, quæ reduci potest ad elocutionem,

1. Vim habet maximam:
2. In oratore ante Aristotelis tempora nondum ad artem fuerat redacta.
3. Quemadmodum inspecta est in poetarum studio: sic inspici potest in dicendi ratione.
4. Consistit potissimũ in voce, in qua quidem tria considerantur;
   1. Magnitudo:
   2. Concentus:
   3. Rhythmus.
5. Vt in poetarum certaminibus plus valebant actores, quam poetæ: sic in ciuilibus cõtentionibus plus ipsa valet, quam argumentatio propter improbitatem Rerump.

6. Non

6. Non est mirandum ante Aristotelis tempora si nondum ad artem redacta esset in oratore
- Quia sero etiam elocutio tractata est:
- Et quia ipsa actio videtur esse res leuis, si spectetur id, quod recte se habet, nōn quod necessarium est.

7. Cum redigetur ad artem in oratore, talis ars efficiet idem, quod efficit ars histrionū: de ipsa vero quædam scripsit Thrasymachus in Miserationibus.

8. Est minus artificiosa, quam elocutio.

Redacta est ad artem, vt etiam elocutio, primum a poetis.

Iam cum duplex sit elocutio, vna poetica, altera oratoria: de oratoria præcipiendum videtur, in qua spectantur verba partim simplicia, partim coniuncta.

Ex capite secvndo.

Quod attinet ad verba simplicia, tres sunt præcipuæ virtutes elocutionis.

1. Vt sit perspicua: alioqui non obibit suum ipsius munus:
2. Vt non humilis, sed ornata:
3. Vt non supra dignitatem, sed decora.

1. Nomina propria reddunt orationem perspicuam.

2. Nomina immutata efficiunt elocutionem, non humilem, sed ornatam;

In Poetica multis modis:
In Rhetorica paucioribus.

3. Domestica sunt adhibenda, vt non videamur fide dicere, sed naturaliter.

Raro vtendum est linguarum varietate.
Raro adhibenda duplicia nomina, & facta.
Tria potissimum laudantur in soluta oratione;

1. Proprium:
2. Domesticum:
3. Translatum.

Homonymiæ sunt propriæ sophistarum.
Sinonymiæ sunt propriæ poetarum.
Translationes conueniunt poetis, & oratoribus, de quibus decem inprimis traduntur.

1. De translationibus dictum est in poetica, nimirum quatuor esse genera translationum, quoniam aut accipitur genus pro specie, vt stare pro in portu esse; aut species pro genere, vt decem millia pro multis: aut species pro specie, vt leo pro homine: aut est translatio ex proportione, quemadmodum cum dicitur poculum Martis pro scuto, & scutum Bacchi pro poculo.
2. De translationibus eo magis laborandum est, quo pauciora præsidia habentur in soluta oratione, quam metrica.
3. Translationum tres sunt virtutes:
   1. Perspicuum.
   2. Iucundum.
   3. Peregrinum.
4. Translationes non sunt sumendæ ab alio, & longe diuerso.
5. Contrariis contrariæ translationes, & contraria epitheta conueniunt.

Senectus	Infantia.
Occasus vitæ	Ortus vitæ.
Pauper	Diues.
Demissus	Arrogans.
Humilis	Superbus.

6. Sumuntur translationes
   - Vel a meliori ad ornandum, vt si eum, qui mendicet, dicam precari.
   - Vel a peiori ad vituperandum, vt si eum, qui precetur, dicā mendicare.
7. In translationibus vitandus est syllabarum error, vel asperitas, vt cum Dionysius poesim appellauit clangorem Calliopes.
8. Translationes non sunt longe sumendæ, sed ex iis, quæ

iis, quæ cognata, & conformia sunt, nomine afficiendo, quæ carent nomine, vt in ænigmateillo probato,

Virum vidi igne æs viro agglutinantem,

Id est, qui applicabat cucurbitulam.

9. Possunt assumi translationes ex probe fictis ænigmatibus.

Nam continuatæ translationes ænigmata pariunt.

10. Sumi debent translationes ab honestis.

Nominis autem honestas posita est in tribus;

Sono,
Significato,
Translatione.

Sic etiam turpitudo, quæ quandoq; est in translatione, vt si dicatur, inquit Cicero, morte Africani castrata Resp. & stercus curiæ Glaucia.

In epithetis quoq; adhibendus modus est, quæ sumuntur
- Aut a meliori ad ornandum, vt Orestes patris vindex, Mulæ volucrum filiæ equorum.
- Aut a peiori ad vituperandum, vt Orestes matricida, Mulæ semiasinæ.

Sic diminutiua sunt caute adhibenda, quibus Aristophanes cauillatur in Babyloniis, dicens
- Pro auro aurulum:
- Pro toga togulam:
- Pro conuicio conuiciolum:
- Pro morbo morbulum.

Ex capite tertio.

Cauendum est in primis, ne frigida videatur elocutio, quæ quidem spectatur in quatuor.

1. In duplicibus nominibus, vt cum Lycophron dixit, Multiforme cœlum, magniceruicam terram, littus angustiuium.
2. In vsu variarum linguarum, vt cum Lycophron Xerxem appellauit virum pelorium, id est, ingentem voce Thessala.
3. In epithetis aut longis, aut intempestiuis, aut frequentibus vsurpandis. In poesi enim decet dicere lac album, niuem albam: at in soluta

oratione non decet. Qua in re Alcidamas valde reprehensus est, qui non vtebatur epithetis, vt condimentis, sed vt cibis; & dicebat, non sudorem, sed humidum sudorem, & alia huiusmodi.

4. In translationibus indecoris, & obscuris, quæ longe petitæ sint, vt cum Gorgias dixit, pallidas, & exangues res.

Ex capite qvarto.

Si duriuscula videatur translatio, mollienda est similitudine; & mollita translatio dicitur imago. Cum enim ille inquit de Achille, Vtq; leo ruit, imago est. Si vero dicatur, Leo ruit, translatio est.

In verbis autem coniunctis septem spectantur.

1. Elocutio emendata:
2. Amplificata:
3. Decora:
4. Numerosa:
5. Fusa, & versa:
6. Vrbana:
7. Conueniens.

Ex capite qvinto.

Emendata elocutio in quinq; rebus versatur;

1. In coniunctionibus suo loco ponendis, atq; ita collocandis, vt custodiri memoria queant.
2. In propriis nominibus, & non ambientibus.
3. In non ambiguis; nisi ambigua de industria proferantur, vt illud, Crœsus Halym penetrans magnam peruertet opum vim.
4. In generibus nominum masculinis, fœmininis, neutris recte reddendis.
5. In multis, & paucis, & vno recte nominandis.

Ac in emendata quidem elocutione tria potissimum obseruanda sunt;

1. Vt quod scribitur, facile legi, & proferri possit, facta idonea interpunctione, quam spernebat Heraclitus, vt in principio libri sui; Rationis huius

huius existentis semper imperiti homines fiunt. Vbi incertum est, illud, semper, vtri interpungendo adiungatur.

2. Vt verbis adiungatur, quod conuenit: quia, si non reddatur, quod conuenit, efficitur Solœcismus, vt si dicam; strepitum, & colorem videns: potius enim dicendum est, sentiens.

3. Vt in modio multa ne inculcentur: vitanda enim est obscuritas huiusmodi; Debebam, locutus cum illo hæc, & hæc, & sic, proficisci.

Ex capite sexto.

Amplificata elocutio,.

1. Orationem pro nomine adhibet, dicens planiciem a medio æqualem pro circulo.
2. Translatis, & epithetis vtitur, vitando id, quod poeticum est.
3. Vnum multa facit, &, quamuis sit vnus portus, dicit Portus in Achaicos.
4. Non coniungit, sed vtrumq; vtriq; adiungit, vt: Huius mulieris, huius nostræ, pro, huius mulieris nostræ. Mea vxor, tuaq; vxor, pro, mea, tuaq; vxor.
5. Polysintheton adhibet, & cum coniunctione dicit, vt: Profectus sum, & locutus sum, & precatus sum, pro, profectus, locutus, precatus sum.
6. Commemorat, quæ ipsa res non habet, quemadmodum cum poetæ appellant tubam sine chordis, & sine lyra concentum. Atq; hic est latissimus modus amplificandi, quo vsus est Antimachus in laudando Teumesso, & ostendendo, quænam mala ille non haberet.

Ex capite septimo.

Decora elocutio est tribus modis;

1. Si proportionem habeat cum subiectis rebus.

Vt non sit	Summissa	de amplis.
	Grauis	de tenuibus.

Vt tenue nomen ornatus non consequatur: alioquin apparet comœdia, vt faciebat Cleophon, proferens quædam similiter, ac si diceret; Veneranda ficus. Quod præceptum proportionis ad tempus intermittitur, vt decipiatur auditor, & lateat, quod facit orator.

2. Si sit affecta;

Vt naturæ rerum respondeat; &
- De contumelia iracunde proferatur:
- De impiis, & turpibus indignabunde, & caute:
- De laudabilibus admirabunde:
- De miserabilibus humiliter:
- De aliis similiter.

Vt afficiat auditores in hunc modum; Quis non intelligit? Omnes sciunt. Confitetur enim audiens pudore captus, vt eius particeps sit, cuius & alij omnes. Vt admittat epitheta, duplicia, peregrina: venia enim datur irato, si dicat, Malum Cæliungum, & Pelorium, id est, magnum.

3. Si sit morata;

Vt respondeat
- Generi
  - Vt ætati,
  - Vt sexui,
  - Vt rationi.
- Habitui
  - Animi,
  - Corporis,
  - Fortunæ.

Vt quandoq; orator se ipsum increpet.

EX CAPITE OCTAVO.

NVMEROSA elocutio debet esse
- Neque metri compos.
- Neque rhythmi expers.

1. In qua herous constans ex tribus syllabis, prima longa, & duabus breuibus, dicitur esse grandis, & dictioni accommodatus, atq; indigens harmoniæ aliorum numerorum, ne oratio sit nimis turgida, Mūnĕră.

Sed

Sed per heroum intelligunt etiam ſpondeum conſtantem ex duabus ſyllabis longis, Mūltī.

Et anapæſtum conſtantem ex tribus ſyllabis, duabus breuibus, & tertia longa, Hŏmĭnēs.

2. Iambus multitudinis elocutio eſt, conſtans ex duabus ſyllabis prima breui, altera longa, Fĕrūnt.

Trochæus vero conſtans ex duabus item ſyllabis, prima longa, altera breui, appellatur cordacior, & laſciuior, Mūltă.

3. Pæan primus dicitur eſſe aptus incipientibus, conſtans ex quatuor ſyllabis, prima longa, & tribus breuibus, Cōnquĕrĭtŭr.

Pæan vero vltimus dicitur eſſe aptus deſinentibus, conſtans itidem ex quatuor ſyllabis, tribus breuibus, & quarta longa, Tĕmĕrĭtās.

Cui tamen Cicero dichoreum anteponit conſtantem ex quatuor ſyllabis, prima longa, altera breui, tertia longa, quarta breui, Cōmprŏbāuĭt.

EX CAPITE NONO.

FVSA, ET VERSA elocutio eſt cognoſcenda.

1. Fuſa, priſca, qua primum omnes vtebantur, quæ nullum habet finem per ſe, niſi res, quæ dicitur, terminetur: & iniucunda eſt, propter infinitatem.

2. Verſa, quæ habet periodos; cum periodus ſit elocutio habens principium, & finem per ſe, & magnitudinem facilem conſpectu.

Et iucunda eſt, quia terminata.

Et facilis ad percipiendum, quia facile memoria retineri poteſt propter numerum, qui omniũ eſt aptiſſimus ad memoriam, vt ob id metra magis omnes recordentur, quam ſoluta.

Periodus autem ſententia terminanda eſt, neq; ab-

rumpenda, vt in illo versu; *Calydon quidem hæc terra Pelopei soli.* Vbi si nulla fiat distinctio, videtur Calydon esse in Peloponneso, cum tamen sit in Ætolia.

Ac vna quidem periodus est in colis, quæ sunt partes eius: altera vero est simplex, & vnimembris.

Iam nec cola, nec periodi debent esse aut mutilæ, aut longæ.

Nam, quod mutilum est, facit, vt auditor hæreat.

Quod longum est, facit, vt auditor deficiat.

Elocutio, quæ colis continetur,

Vel distincta est per varias interpunctiones, vt apud Isocratem;

Admiratus sum sæpenumero, qui coegerunt conciliabula, & instituerunt gymnica certamina.

Vel opposita, cuius partes sunt,

1. Contentio, vt vtrisq; autem profuerũt, & qui remanserunt, & qui secuti sunt: illis enim plura iis, quæ domi essent, acquisiuerunt: his vero satis eorum, quæ domi essent, reliquerunt. contraria mansioni consecutio: ei, quod satis est, id, quod plus est.

2. Compar, quod constat ex pari fere numero syllabarum, vt, in prælio mortem pater oppetebat: domi filius nuptias comparabat.

3. Assimilatio, quæ sextuplex est.

   1. In principio Agnominatio, vt: Agrum accepit agrum ab eo.
   2. In fine similiter desinens, vt: Non putarunt ipsum puerum peperisse, sed eius caussam extitisse.
   3. Et similiter cadens, vt: In cura quidem plurima, in spe vero minima.
   4. In similitudine vocis coniugatio, vt: Dignus, qui statuam habeat æream, non existens dignus ære.
   5. In eodem nomine, vt: Tu illi, cum vinceres, dicebas male, & nunc scribis male.
   6. Eadem Syllaba, vt: Quidnam passus esses malum, si

lum, si hominem vidisses ignauum?

4. Falsa oppositio, quales faciebat Epicharmus; Interdum enim cum illis ego eram: interdum vero apud illos ego.

Ex capite decimo.

Vrbana elocutio si secundum partem consideretur, est ingeniosi, & exercitati: si vniuerse spectetur, est methodi, & artis.

Pertinent ad vrbanitatem nomina,
- Non peregrina, quia incognita:
- Non propria, quia nimis nota:
- Sed translata, & imagines, vt Thais apud Terentium in Eunucho; Scelesta, ouem lupo commisisti. Translatio est:
- Si dixisset; Tanquã ouem lupo commisisti; imago fuisset.

Vrbana dicta in sententia, non debent esse;

1. Nec eminentia, omnibus nota, vt si diceretur dies Iunij, & Iulij esse longiores, & calidiores diebus Decembris, & Ianuarij.
2. Nec obscura, qualia fere erant Apollinis dicta.
3. Sed quæ simul, aut paullo post cognoscuntur, vt Cicero pro Cœlio; Nisi intercessissent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro: Fratrem volui dicere: semper hic erro.

Vrbana dicta in verbis ducuntur;

1. Ab oppositione, vt apud Isocratem in oratione ad Philippum de pace; Existimantibus pacem quidem communem aliis: bellum vero suis priuatis rebus.
2. A translatione, maxime ex proportione, quemadmodum Pericles dixit, iuuentutem mortuam in bello ita sublatam esse ex ciuitate, vt si quis tolleret ver ex anno.

Ex capite vndecimo.

3. Ab actu rei animatæ in re inanimata, vt: Euolauit sagitta.
4. A præcedenti deceptione, vt Pontidius, cum

quidam ab eo petiisset, qualem existimaret eum, qui in adulterio deprehensus esset, tardum respondit.

5. Ab apophthegmate, vt illud Stesichori; Cicadas apud se humi cantaturas, id est, rerum omnium vastitatem, & ruinam esse secuturam.

6. Ab ænigmate, vt apud Virg.

Dic, quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli spatium non amplius Vlnas.

7. Ab iis, quæ noua sunt, vt ab annominatione. Cicero, cum vidisset quendam candidatum, qui esse coqui filius putabatur, prehensantem, & populi suffragia mendicantem, dixit: Ego coque tibi fauebo.

8. Ab homonymia, vt Anaschetus non Anaschetus, vt vertit Victorius, Intolerabilis nõ intolerabilis: vt Maioragius, Importunus non importunus: vt ego verti, Tolerabilis non tolerabilis. Commodus non commodus.

9. Ab imagine, vt scutum esse tanquam Martis poculum; & poculum esse tanquam Bacchi scutum.

10. A Prouerbio, vt de eo, qui rem aliquam afferat domum suam, tanquam vtilem sibi futuram, & ex ea pro vtilitate, quam sperabat, ingens accipiat detrimentum, illud egregie conuenit, Carpathius leporem. In Carpatho enim insula nulli erant lepores, quos cum Carpathij intulissent, magna damna habuerũt, corrumpentibus illis agrorum fructus, vt declarat Iulius Pollux.

11. A superlatione, vt apud Homerum lib. 9. Iliados Achilles; Non, si mihi tot det, quot arena, & puluis, filiam ducam Agamemnonis Atridæ. Neq; si cum aurea Venere pulchritudine contendat, operibus vero cum Minerua.

EX CAPITE DVODECIMO.

CONVENIENS elocutio duplex est.

1. Scriptionis, ad quam reducitur demonstratiua.

2. Con-

2. Contentionis, ad quam reducitur deliberatiua, & iudicialis.

1. Elocutio scriptionis debet esse exactissima.

2. Elocutio contentionis debet esse cum actione coniuncta.

Vel morata exprimens mores:
Vel affecta, concitans affectus.

1. In scriptione repetitio vitanda est.

2. In contentione repetitio vsurpanda.

Quæ debet variare orationem:
Et debet adiuuari actione:
Vt etiam dissolutio.

Cum autem inprimis triplex sit elocutio oratoria, deliberatiua, iudicialis, demonstratiua:

1. Deliberatiua vmbratili picturæ est similis.

Nam in vmbratili pictura est Amplitudo rerum.
In elocutione deliberatiua est Amplitudo sententiarũ.
In illa Non exquisitum studium pingendi.
In hac Non exquisitum studium dicendi.

2. Iudicialis est accuratior deliberatiua.

3. Demonstratiua debet esse accuratissima, tanquam scriptioni accommodatissima.

VIII.

ATTENDENDA DISPOSITIO.

Dispositionis ratio requirit, vt cogitetur, adhiberi posse in hoc genere prooemium separatum, quale est in encomio Helenæ apud Isocratem: in narratione, & confirmatione, quæ inter se permiscentur, esse quinq; ordines collocandi, vt docet Cicero in Partitionibus Oratoriis; quorum aliquis est eligendus: peroratione non admodum opus esse. Quod attinet ad quinque ordines generis demonstratiui, primus est temporum gradus, cum primo loco laudantur, quæ quemq; antecesserunt: deinde, quæ quemq; comitata sunt: postremo quæ quemq; consecuta sunt. Antecedit genus, quod si sit nobile, vt scriptum reliquit Cicero in Partitionibus, breuiter, modiceq; laudandum est, cum eius laus sit potius communis, quam propria, & celebrandæ sint magis laudes propriæ, quam commu-

nes, vt supra ex Aristotelis doctrina notatum est; contra quam faciunt multi nostrorum temporum, qui in laudandã patria, vel familia maiorem orationis partem consumunt: si sit infame, prætermittendum: si humile, vel prætereundum, vel ad augendam eius, qui laudatur, gloriam tangendum. Nam, tametsi magna laus est eius, qui egit, prout conuenit, id est, gessit res maioribus suis, vel rebus ante a se gestis dignas: tamen ne parum quidem laudandus est is, qui egit, præterquã conuenit in melius, & pulchrius; quale est illud Iphicratis, quod ab Arist. lib. 1. cap. 9. commemoratur, Ex quibus, in quæ. Iphicrates enim sutoris filius propter excellentem virtutem, & rei militaris scientiam factus Atheniensium Imperator genus suum non occultauit, sed ignobilitatem confessus dixit: Ex quibus initiis in quæ præmia virtutis delatus sum: & ex quibus ignobilitatis sordibus in quem dignitatis splendorem perueni. Nobiles igitur agere debent, prout conuenit: Ignobiles vero, præterquam conuenit in melius, & pulchrius. Iam cum genus quemq; antecedat, comitantur virtutes, & opera, ac signa virtutum, quæ inprimis exornanda, & celebranda sunt. Consequuntur honores, qui mortuis deferuntur.

Secundus ordo est, generum distributio, cum ea, quæ laudanda sunt in quædam genera, & capita distribuuntur; quemadmodũ si laudes alicuius imperatoris reducantur ad sciẽtiam ei militaris, ad virtutem, ad auctoritatem, ad felicitatem, vt fit in oratione per lege Manilia ad exornandum Pompeium: alicuius iurisconsulti ad scientiam humanarũ actionum, ad probitatem, ad honores, ad diuitias: alicuius philosophi ad cognitionẽ rerum diuinarum, & humanarum, ad innocentiam, ad beneficentiam: alicuius mulieris ad pulchritudinem, ad magnitudinẽ, ad temperantiam, ad studium operis sine illiberalitate: sic aliorũ ad alia genera, & capita; quorum consideratio magnam oratoribus dicendi copiam affert, dum illi multa vniuerse dicunt, eaq; omnia referunt ad laudes eius, quem laudant; vt non solum laudibus maiorum comprehendendis, verũ etiam hypothesi ad thesin reuocanda, & rebus singularibus ad vniuersales reducendis copiosiorem etiam reddant orationem. Atq; hoc illud est, vt scriptum reliquit Arist. lib. 3. cap.

3. cap. 17. quod dicebat Gorgias, sibi nunquam deesse orationem. Si enim de Achille loqueretur, Peleum laudabat, deinde Aeacum, postremo Deum. Similiter vero etiam celebrabat fortitudinem, eiusq; laudes ad Achillem virum fortem applicabat.

Tertius ordo est a minoribus ad maiora ascensus, cum a minoribus ad maiora ascendimus amplificandi gratia, & primum minores laudes, quantum possumus, amplificamus: deinde ad maiores progredimur; vt facit Cicero in oratione pro M. Marcello à laude bellica Cæsaris ad laudem clementiæ. Nam magna quidem est laus bellica: sed laus clementiæ maior. illa enim est communis cum multis: hæc magis propria. illa minus difficulter comparatur: hæc difficilius. Itaq; dicit Cæsarem vicisse gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: vicisse in bello ciuili imperatores Romanos: vicisse victores bellorum ciuilium æquitate, & misericordia: vicisse se ipsum: vicisse victoriam ipsam. Quæ sane progressio est a minoribus ad maiora.

Quartus ordo est a maioribus ad minora descensus, cum a maioribus & laude dignioribus ad minora, & minus laudabilia delabimur, & in vituperando maiora extenuamus, sensimq; ad minora descendimus, & ad extremũ omnem vituperationem, ignominiam, & probrum iacimus. Id quod faciunt, inquit Arist. lib. 3. cap. 15. homines artificiosissimi, & iniquissimi. Quale est illud apud Horatiũ lib. 1. sermonum:

Mentio si qua
De Capitolini furtis iniecta Petili
Te coram fuerit, defendas, vt tuus est mos:
Me Capitolinus conuictore vsus, amicoq;
A puero est, caussaq; mea permulta rogatus
Fecit, & incolumis, lætor, quod viuit in vrbe:
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit. hic nigræ succus loliginis: hæc est
Aerugo mera.

Et illud Ciceronis pro L. Flacco;

Hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo illis literas: do multarum artium disciplinam: non adimo sermonis

leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: deniq; etiam, si qua sibi alia assumunt, non repugno. Testimoniorum religionem, & fidem nunquam ista natio coluit; totiusq; huius quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorat.

Quintus ordo est, inæquabilis varietas, cum omnia inæquabili varietate distinguimus; vt parua magnis sic; Cato rem familiarem administrabat, vt bonus paterfamilias: bellum gerebat, vt summus imperator: nec facile iudices, an fuerit domi, forisve præstantior: Simplicia coniunctis sic; Cato in censura summam laudem est consecutus, vnde censorius est nuncupatus; triaq; summa habuit, cum optimus fuerit senator, optimus orator, optimus imperator: Obscura dilucidis sic; Cato quater, & quadragies fuit accusatus, & semper absolutus: censuramq; omnium integerrime administrauit: Læta tristibus sic; Cato cum amicis suauissime, & iucundissime versabatur; sed nihil admirabilius est, quam quomodo ille mortem Marci filij tulit clari viri, & consularis: Incredibilia probabilibus sic; Cato plura oppida cepit, quam dies egit in Hispania; seq; optimum præbuit imperatorem.

IX.
FACIENDVM PROOEMIVM.
EX CAPITE DECIMO QVARTO LIBRI TERTII.

CVm procœmium dicatur	in oratione:
Prologus	in Poesi:
Proaulium	in aulesi:

In genere demonstratiuo tale est procœmium, quale in aulesi proaulium, vndecunq; sumptum, vt in Encomio Helenæ apud Isocratem. Et Prologus Dithyramborum, qui canebant Bacchum.

Duciturq; a quinque locis;

1. A laude, vt: illud Gorgiæ in Olympica oratione; Digni sunt Græci, qui a multis suspiciantur. & illud; Digni sunt, qui laudentur, homines probi; idq; magnum est ad virtutem incitamentum: idcirco M. Catonem omnium probissimum

bilimum statum laudare, vt eum imitari queatis.

2. A vituperatione, vt illum Isocrates vituperat Græcos, quod corporis virtutes donis honorarunt: prudentibus vero nihil præmij fecerunt: & illud; Cum improbi homines digni sint, quos probris omnibus insectemur, quis consilium, & factum meum poterit improbare, si L. Catilinam omnium improbissimum vituperauero, vt eius vitia deuitemus?

3. A suasione, vt: Oportet bonos honorari: & idcirco Aristides, qui bonus est, suscipitur exornandus. Suasio enim est, cum aliquod verbum vsurpatur, quod denotet consilium, vt oportet, conuenit, decet, & similia, in hunc modum; Oportet viris optimis honorem habere; quorum in numero cum maxime splendeat Xenocrates, merito laudabitur.

4. A dissuasione, vt: Non oportet iniustis hominibus honorem habere: & idcirco Pisistratus potius vituperatione, quam laude dignus ostendetur propter maximã iniustitiam suam. Et, Non conuenit homines impios, & iniustos honore afficere; in quibus cum sit Dionysius, de eius impietate, & iniustitia libere agendum videtur.

5. Ab iis, quæ referuntur ad auditores, vt si rogentur, vt veniam dent, quod de re incredibili habeatur oratio, vel difficili, vel peruulgata.

Omnino efficiendum est, vt putet auditor collaudari aut se, aut genus suum, aut studia ipsius, aut aliquo alio modo: quod enim dicebat Socrates in Funebri, verum est,

Non esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare, sed apud Lacedæmonios.

T

XI.

FACIENDA FIDES, SEV CONFIRMATIO.

CVm demonstratiuæ confirmationis proprium instrumentum sit amplificatio, vt traditum est non solum lib. 1. cap. 9. vbi legitur in laudes iure cadere amplificationem: consistere enim in excellentia: & excellentiam esse rerum honestarum: verum etiam lib. 3. cap. 13. vbi legitur, in genere demonstratiuo plerunq; esse amplificationem honestorum, & vtilium: ac raro hæc demonstranda, & probanda esse, vt si qua res fide careat, vel alter auctor eius existimetur: vt diligens habeatur ratio amplificandi, qua in re præcipua oratoris laus consistit, quæ de amplificatione scripserit nō solum Aristoteles, sed etiam Cicero, & Quintilianus, in hunc ipsum locum conducemus, & facile, breuiterq; declarabimus.

Aristoteles enim duobus in locis egit de amplificatione, tum lib. 1. cap. 9. prope finem ratione rerum, tum lib. 3. cap. 6. ratione elocutionis.

Ac amplificationis quidem positæ in rebus, octo sunt loci, quos etiam supra enumerauimus in quarto præcepto:

1. Si solus fecit:
2. Si primus:
3. Si cum paucis:
4. Si maxime, ac præcipue:
5. Si opportune:
6. Si sæpe:
7. Si ita, vt nouos sibi honores compararierit:
8. Si ita, vt cum aliis comparatus ceteris præferatur.

Amplificationis vero, consideratæ in elocutione, sunt sex loci, qui etiam supra a nobis enumerati sunt in septimo præcepto;

1. Orationem pro nomine adhibere, vt si dicatur planicies a medio æqualis pro circulo:
2. Translatis, & epithetis vti, vitando tamen id, quod poeticum est:
3. Vnum multa facere, vt, cum sit vnus portus, dicere, portus in Achaicos.

4. Non coniungere, sed vtrunq; vtriq; adiungere, vt: Huius mulieris, huius nostræ, pro Huius nostræ mulieris.

5. Cum coniunctione dicere, vt profectus sum, & locutus sum, & precatus sum, pro, profectus, locutus, precatus sum.

6. Commemorare, quæ res non habet, quemadmodũ cum poetæ tubam appellant sine chordis, & sine lyra concentum.

Ex Ciceronis doctrina in secunda parte partitionũ in præceptis perorationis;

Amplificatio est grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.

Duplex est, vna posita in verbis, altera in rebus.

Amplificationis positæ in verbis octodecim sunt loci;

1. Si verba ponantur, quæ vim habeant illustrandi, vt quæ dicuntur per energiam, cum actus rei animatæ datur rei inanimatæ, vt apud Virg. lib. 8. Æneidos, *Gemit impositus incudibus antrum* Vel per energiam, cum res constituitur pene ante oculos, ita vt eam videre videamur, quẽadmodũ cum eodem in loco Virg. ponit ante oculos, quomodo Cyclopes clypeum informent, dicens;

Ocyus incubuere omnes, pariterq; laborem
Sortiti: fluit æs riuis, auriq; metallum:
Vulnificusq; chalybs vasta fornace liquescit:
Ingentem clypeum informant, vnum omnia contra
Tela Latinorum: septenosq; orbibus orbes
Impediunt: alii ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntq;: alij stridentia tingunt
Aera lacu: gemit impositus incudibus antrum:
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum: versantq; tenaci forcipe massam.

2. Si verba ponantur non ab vsu abhorrentia: inusitata enim sunt omittẽda, vt Trisechsenex pro decrepito, Manciolæ pro paruis manibus, & alia similia: vsitata vero magis pertinent ad amplificandum, quippe quæ magis intelligantur, & magis ponant rem ante oculos.

3. Si ponantur verba grauia, vt: Qua tempestate, pro, Quo tempore.

4. Si

4. Si ponantur verba plena, quæ sua ipsorum magnitudine complent actionem, & pronuntiandi contentionem, vt: Cæsar deorum immortalium beneficio cum sua virtute, tum approbatione auctoritatis meæ incitatos latronis impetus retardauit.

5. Si ponantur verba sonantia, in quibus sonet litera A, O, R. vt apud Virg.lib.1.Æneidos;

Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras
Imperio premit.

Et in illo veteri versu;

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

6. Si ponantur verba iuncta, vt consclerati homines, Matricidæ, Fratricidæ.

7. Si ponantur verba facta, & nouata, vt apud Laberium; Non annosa, non mammosa, non bibosa, non procax.

8. Si ponantur verba cognominata, quæ Græce dicuntur synonyma, vt immanis, tetra, crudelis, importuna bellua, abiit, excessit, euasit, erupit.

9. Si ponantur verba non vulgata, quæ quotidie versantur in ore vulgi, vt illud, Ego volo tibi bene, sed a vulgari sermone aliquantisper discedentia, vt: Ego te omni beneuolentia complector, Omnibus studiis prosequor. Tradit enim Aristoteles in Poetica, vitandum esse illud vitium, quod dicitur ἰδιωτικὸν, & vulgare, & idcirco monet, non esse vsurpanda sola propria, quæ illud vitium faciunt, sed propria peregrinis temperanda, appellans peregrina omnia illa, quæ propria non sunt.

10. Si ponantur verba superlata, & per hyperbolen dicta, vt: Ferit æthera clamor, candidior niue, Tardior testudine.

11. Si ponantur verba translata, vt: Plato Philosophorum Coryphæus: Aristoteles Homerus Philosophorum: Cicero limen, immo potius lumen, & flumen, immo vero fulmen eloquentiæ; cum vel animatum accipitur pro animato, vt pastor pro Pontifice: vel inanimatum pro inanimato, vt nauis pro Republica: vel animatum pro inanimato, vt Chalybs, qui inuenit ferrum, pro ipso ferro, & illa, *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*: vel inanimatum pro

animato, vt Patauium pro Patauinis, Italia vniuersa pro omnibus Italis. Quæ genera translationum obseruauit Quintilianus.

12. Si ponantur verba, quæ contineant soluta, & dicantur sine coniunctione, vt plura videantur, vt: Nos penates, aras, focos, sepulchra maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus.

13. Si ponantur verba relata, vt: Est hæc, iudices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.

Armatus pharetra, laqueis, atq; igne cupido
It, quo nos feriat, vinciat, atq; cremet.
Corda ferit verbis, vincit crine, vrit ocellis,
Sic miser heu patior vulnera, vincla, faces.

14. Si ponantur verba iterata, vt: Vbi nunc senatus est, quem secuti sumus? vbi equites Rom. illi, illi, inquit, tui? vbi studia municipiorum? vbi Italiæ voces?

15. Si ponantur verba duplicata, vt: Valeant, inquit, valeant ciues mei. Fuit, fuit ista quondam in hac Rep. virtus.

Ah Coridon Coridon, quæ te dementia cepit?

16. Si ponantur verba, quæ ascendant gradatim, vt: Facinus est vincire ciuem Romanum: scelus verberare: prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?

17. Si adhibeatur quasi naturalis, & sua sponte fusa, nō explanata, & ambitiose elegāns oratio.

18. Si verbis actio vocis, vultus, & gestus congruens, & apta ad animos permouendos accommodata sit.

Amplificationis positæ in rebus octo sunt loci.

1. Si ponantur definitiones conglobatæ, vt: Historia, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.

2. Si adhibeatur consequentiū frequentatio, vt: Dum Brutus oppugnatur, non est bellum? Mutina obsidetur, ne hoc quidem bellum est? Gallia vastatur, Claterna recepta est, fugati equites, prœliū commissum, occisi aliquot, delectus tota Italia decreti, sublatis vacationibus saga cras sumentur, vtrum hoc bellum non est?

3. Si

3. Si adhibeatur contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium, rerum conflictio, vt: Cedere patria seruatorem eius: manere in patria perditores.

4. Si exprimantur caussæ, & ea, quæ sunt de caussis orta, vt: Tantæ ne erunt tuæ libidines, vt, quod videris, audieris, concupieris, cogitaris, velis esse tuum?

5. Si ponantur similitudines, vt: Saxa, & solitudines voce respondent: bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poetarum voce moueamur?

6. Si ponantur exempla, vt: Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum: Chij suum vendicant: Salaminij repetunt: Smyrnei vero suum esse confitentur. Itaq; etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt. Permulti alij præterea pugnant inter se, atq; contendunt. Ergo illi alienũ, quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc viuum, qui & voluntate, & legibus noster est, repudiabimus?

7. Si fictæ etiam personæ, muta deniq; loquantur per Prosopopœiam, vt: Si mecum patria mea, quæ mihi vita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis Resp. sic loquatur, M. Tulli, quid agis? &, parietes mediusfidius huius curiæ tibi, C. Cæsar, gratias agere gestiunt.

8. Si ea adhibeantur, quæ magna habentur.

Quorum est duplex genus.

1. Alia enim magna natura videntur
- Vt cœlestia: Tonitrua, imbres, tempestates, syderum, stellarumq; insolitæ mutationes.
- Vt diuina: oracula, auspicia, vaticinationes, responsa sacerdotum, aruspicum, coniectorum.
- Vt quorum obscuræ sunt caussæ, luce videri cometem, lupos vlulare in vrbe, monstra gigni, tristem apparere naturam.

2. Alia vſu, quæ cernuntur in tribus
- Charitate, vt deorum, vt patriæ, vt parentum.
- Amore, vt fratrum, vt coniugum, vt liberorum, vt familiarium.
- Honeſtate, vt virtutum, maximeq; earum, quæ ad communionem hominum, & liberalitatem valent.

Quintilianus lib. 8. tradit, quatuor maxime generibus conſtare amplificationem.

1. Incremento, vt: Non furem, ſed ereptorem, non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumq; non ſiccarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium, ſociorumq; in veſtrum iudicium adduximus.

In quo quidem incremento quandoq; fit adiectio ſupra ſummum vel per defectionem verbi, vt: Facinus eſt vincire ciuem Rom. ſcelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Vel per exceptionem, vt apud Virgilium de Lauſo

——Quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Vel per repetitionem eiuſdem, vt: Matrem tuam occidiſti. Quid dicam amplius? Matrem tuam occidiſti.

2. Comparatione, vt: An vero vir ampliſſimus P. Scipio Pontifex. Max. Ti. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. priuatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde, atq; incendiis vaſtare cupientem nos conſules perferemus? Hic & Catilina Graccho: & ſtatus Reip. orbi terrarum: & mediocris labefactatio cædi, & incendiis, & vaſtationi: & priuatus conſulibus comparatur.

3. Ratiocinatione de rei magnitudine, cum ex alio colligitur aliud, quod magnum ſit, vt: Obiecturus Antonio Cicero merum, & vomitum, Tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tãtum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet in populi Rom. conſpectu vomere poſtridie. Colligitur ergo ex faucibus, ex lateribus, ex gladiatoria firmitate Antonij, quantum vini ipſe potuerit exhaurire. & colligitur ex conſequen-

ſequenti quantitas vini ab eo exhauſta. Siquidem tanta vis fuit vini erumpentis, vt non caſum afferret, aut voluntatẽ, ſed neceſſitatem, vbi minime deceret, vomendi, & cibus non recens, vt accidere interdum ſolet, redderetur, ſed qui vſq; in poſterum diem redundaret. Quandoq; ex antecedentibus ducitur amplificatio; quemadmodum, cum Æolus a Iunone rogatus,

—— cauum conuerſa cuſpide montem
Impulit in latus; ac venti velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt:

Appatet, quanta ſit futura tempeſtas.

4. Congerie, vt: Quid tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Et, abiit, exceſſit, euaſit, erupit.

XII.
DE PERORATIONE COGITANDVM.

ARiſtoteles lib. 3. cap. 13 negat perorationem neceſſariã eſſe orationibus demonſtratiuis. Cuius quidem rei illa afferri ratio poteſt, quod cum quatuor ſint munera perorationis, vt ipſe Ariſt. eiuſdem libri cap. 19. tradit, auditorem bene erga ſe conſtituere, male in aduerſarium: quæ confirmata ſunt, amplificare: affectus mouere: memoriam renouare; in hoc ipſo genere ſua ſponte bene conſtituti ſunt auditores, dum facit orator, vt ipſi putent collaudari aut ſe, aut genus ſuum, aut ſtudia ipſorum, aut aliquo alio modo: amplificatio vero per totam orationem adhibetur, tanquam proprium huius generis inſtrumentum: ſic mouetur delectatio, & gratia in virtutibus celebrandis, quos ſuperius notauimus eſſe proprios affectus laudationum: in ſingulis autem laudibus ea fieri ſolet commoratio, vt illæ in animis auditorum penitus imprimantur; nec ipſarũ memoriam renouare, opus eſſe videatur. Cicero quoq; tradit in Partitionibus, cum peroratio diuidatur in duas partes, amplificationem, & enumerationem, in illis quidem cauſſis, quæ ad delectationem exornantur, eos amplificandi locos tractandos eſſe, qui mouere poſſunt expectatio-

nem, admirationem, voluptatem: ſed enumeratione͂ laudatori nunquam eſſe neceſſariam.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DVODECIMVS CONTINENS

EXEMPLVM CAVSSÆ DEMONSTRATIVÆ.

I.



VM quatuor laudari ſoleant, deus, homo, animal rationis expers, res inanimata: ſi inter animalia rationis expertia lauda͂dus ſit canis, tenendæ ſunt proprietates eius, vt traditur lib. 2. cap. 22. quemadmodum ſit animal latrabile ſocium humani generis, ad cuſtodiam vtiliſſimum, & alia huiuſmodi.

II.

COgnoſcendi proprietates generis demonſtratiui ex lib. 1. cap. 3. quod eius auditor venit ad audiendum, vt delectetur, & iudicet de facultate oratoris: quod eius partes ſunt laus, & vituperatio: quod omne tempus ei conuenit, ſed præcipue præſens: quod eius finis eſt honeſtum & turpe.

III.

HAbenda cognitio ſtatus, qui in exornationibus potiſſimum eſt de magnitudine rerum, vt traditum eſt lib. 3. cap. 17.

IIII.

INdaganda ſunt argumenta ex quatuor fontibus, ex propriis, ex aſſumptis, ex communibus, ex communiſſimis.

Propriæ propoſitiones huius generis enumerantur tres lib. 1. cap. 9. vt honeſtum, & laudabile ſit,

Quod efficit virtutem:

Quod eſt virtus:

Quod

Quod efficitur a virtute.

1. Efficit virtutem nobilitas generis, vt de cane, quod non solum sydus, sed etiam Pan deus totius naturæ propter nobilitatem eius sit appellatus canis, de quo apud Pindarum; O beate, quem magnæ deæ canem omnifarium vocant olympij. Cælius lib. 17. cap. 28. sic scriptum reliquit; Canem inflauit Vulcanus: immissa quoq; anima: Ioui donauit: Iupiter Europæ: Europa Minoi: Minos Procridi: Procris Cephalo. Eius hæc fuit natura, vt vitari non posset, vbi insequi cœpisset. Quidam vsi sunt canibus pro nobilibus sepulchris. Cæl. lib. 11. cap. 21. Bactriani habebant canes sepulchrales, quibus senio, morbove confectos apponebant. Cic. 1. Tusc. Hircaniæ plebs publicos alit canes: optimates domesticos. nobile autem genus canum illud scimus esse: sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur, eamque optimam illi esse censent sepulturam. Inter nobiliores canes sunt Corsi. Volaterranus lib. 6. Geographiæ; Corsica vino, quod Romã exportabatur: canum, & equorum ferocia celebris.

2. Canum celebrari possunt sex in primis virtutes, seu naturæ dona, sagacitas, fidelitas, memoria, ingenij acumen, clementia, magnanimitas.

3. In canibus varia efficiuntur a virtute.

Primo loco sagacitatis opus est indagatio, quam quidem sapientes imitantur. Philosophi enim, iurisconsulti, & medici eo digniores sunt, quo melius oleant manus canum, odorantes quam sagacissime, & peruestigantes, quod verum, bonumque sit. Quod si turpe non fuit Pana deum totius naturæ canem omnifarium nominare: ne sapientibus quidem indignum videri debet, si legitimi, ac prope diuini canes nominentur, qui veritatem sagaciter indagant. Itaque qui literas profitentur, alij, cum a vera studiorum ratione sint alieni, & inanibus opinionibus ducantur, sunt tamquam anseres, qui inanes clangores fundunt, & inaniter clamant: alij cum res studeant per proprias causas cognoscere, ratione indagationis sunt tamquam venatici canes, sed partim honoratiores, qui prope incredibilẽ adhibent sagacitatẽ ad ea, quæ vera sunt, inuenienda, & inuentam veritatem iucundissime tenent: partim minus ho-

Tertio loco memoriæ opus, de quo Plinius ibidem; Itinera quamuis longa meminere: nec vlli præter hominem memoria maior.

Quarto loco ingenij admirabilitas, de qua ita Cælius lib. 23. cap 29 Apud Ætnam Siciliæ montem Vulcani templum seruabatur a canibus pios mulcentibus, impios lacerantibus In Daulia templum Mineruæ seruabatur a canibus optime distinguentibus humanos a barbaris. Gell. lib. 7. cap. 1. Canes Capitolium custodientes Africanum Maiorem non allatrabant. Narrat Iouius cum Galli ad Nouariam ab Heluetiis sunt superati, tum Gallorum canes paullo ante, quam prælium committeretur, frequentes ab Heluetiis transfugisse, eosque lambendo, & quasi exosculando tamquam dominos suos agnouisse, & futuram victoriam significasse, tempore Leonis X. Pontificis Max. cum Maximilianus Sforcia Dux Nouariam teneret, adiutus ab ipso Pontifice Max.

Quinto loco clementiæ opus, de quo scribit Arist. lib. 2. Rhetoricæ, impetum canum, & sæuitiam mitigari ab homine considente humi, de quo ita Plinius eodem cap. Indiam petenti Alexandro Magno Rex Albaniæ dono dederat inusitatæ magnitudinis vnum; cuius specie delectatus iussit vrsos, mox apros, & deinde damas emitti, contemptu immobili iacente, eaq; segnitie tanti corporis offensus imperator generosi spiritus eum interimi iussit. Nuntiauit hoc fama Regi. Itaq; alterum mittens addidit mandata, ne in paruis experiri vellet, sed in leone, elephantove. Duos sibi fuisse, hoc interempto, præterea nullum fore. Nec distulit Alex. leonemque fractum protinus vidit: postea elephantum iussit induci: haud alio magis spectaculo lætatus.

Assumpta sunt a finibus aliorum generum, vt ab vtili, quod canes sint vtiles dominis suis ad custodiam, & defensionem; & a iusto, quod canum iustitia cognita sit in illis, qui custodiebant templum Mineruæ, & Capitolium.

Cōmunia sunt, quæ communiter cōueniunt aliis generibus, vt de facto, nō facto, futuro, nō futuro, possibili, impossibili, magno, & paruo; in quib. ea, quæ sunt de magno, conueniūt magis generi demōstratiuo, quam aliis vt quod

præferendi sint canes ceteris fere omnibus animalibus ratione carentibus laude sagacitatis, fidelitatis, memoriæ, & aliis huiusmodi, immo vero etiam hominibus ipsis, cum aliis rebus, tum ipsa fidelitate, cum reperiantur homines plurimi minus fideles, quam canes.

Quartus fons argumentandi est a communissimis, & locis Topicis, vt ab etymologia, seu notatione, quod canis Græce dicatur κύων παρὰ τὸ κύω, osculor. quam propensionem osculandi, & amandi genus humanum ita habent canes, vt nonnulli etiam commemorentur fuisse hominum amatores. Cæl. lib. 13. cap. 12 Glaucen citharistiam adamauit canis. Xenophontis puerum dilexit canis.

V.

SVnt exprimendi mores in persona oratoris ex libro 2. Rhet. cap 1. vt cum orator laudat virtutes canum: & accommodanda est oratio ad auditorum mores ex eiusdem lib. 2. cap 12. vt cum orator se accommodat ad auditores, qui veniunt ad audiendum, vt delectentur; idcirco eos delectat, quantum potest.

VI.

SVnt mouendi affectus proprij generis demonstratiui, non solum delectatio, de qua lib. 1. cap. 10. & 11. sed etiam gratia, & affectus benefaciendi ex eo, quod si etiam beneficia canum in genus humanum celebrantur, multo magis credendum sit homines beneficos celebratum iri. Quæ quidem spes laudis est maximum ad bene agendum incitamentum. De gratia autem legendus est Arist. lib. 2. cap. 7.

VII.

ELocutio debet esse accuratissima, & exactissima, tanquam scriptioni accommodatissima, vt traditum est lib. 3. cap. 13. Itaq; ex omnibus artis oratoriæ arculis omnia ornandi pigmenta huc conferenda sunt, & omnibus elocutionis luminibus, tanquam stellis quibusdam, varianda, & distinguenda est oratio.

VIII.

CVm quatuor partes in oratione soleant collocari, de quibus libro tertio, capite 13. tres in primis conueniunt orationibus demonstratiuis, procemium, propositio, fides.

IX.

PRoœmia demonſtratiua poſſunt eſſe ſeparata, vt ſi agatur de ceteris animalibus, & in fine procemij iudicetur eſſe oſtendendum, illis omnibus eſſe digniores canes: & ducuntur a quinq; locis;

1. A laude, quod digna ſint laude omnia vtilia, quales demonſtrabuntur eſſe canes.

2. A vituperatione, quod digna vituperatione ſint omnia inutilia, in quorum numero cum minime ſint canes, potius ſunt laudandi, quam vituperandi.

3. A ſuaſione, quod oportet laudare virtutes, vt illas, quas in canibus eſſe facile poteſt demonſtrari.

4. A diſſuaſione, quod non oportet vituperare animalia virtute prædita, ſed potius exornare, vt canes.

5. Ab iis, quæ referuntur ad auditores, ſi rogentur, vt attente velint audire, quamuis de re quodammodo incredibili agatur, in hunc modum; Etſi vereor, Aud. ne illud, quod tractaturus ſum, vobis incredibile videatur, tamen vos etiam atq; etiam rogo, vt me benigno, & attento animo audiatis. Quod ſi facere volueritis, efficiam profecto, vt veriſſimum eſſe iudicetis, canes non ſolum ceteris omnibus animalibus ratione carentibus, verum etiam multis hominibus eſſe præſtantiores, atq; laudabiliores.

Quæ doctrina de procemiis eſt Ariſt. lib. 3. cap. 14.

X.

PRopoſitio eſt neceſſaria pars orationis, vt traditum eſt lib. 3. cap. 13. & in hac materia poteſt fieri de canum nobilitate, de virtutibus eorum, de operibus virtutũ. Cumq; ad propoſitionem referatur narratio, de qua lib. 3. cap. 16. ſi qua narrentur de præſtantia canum, huiuſmodi narratio debet eſſe in partibus, vt ſingulæ partes, & ſingula facta ſuas habeant amplificationes.


XI.

IN fide demonſtratiua proprium inſtrumentum eſt amplificatio, de qua lib. 3. cap. 17. Itaq; curandum eſt potiſſimum, vt omnia, quæcunq; de canibus dicantur, quantum fieri poteſt, amplificentur.

XII.

SVperius notauimus, in orationibus demonstratiuis perorationem non esse admodum necessariam, ex doctrina Aristotelis, lib.3. cap.13.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DECIMVSTERTIVS



IN ORATIONEM ISOCRATIS, QVÆ INSCRIPTA EST *ENCOMIVM HELENÆ*.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



Es, qua de agitur, est Helena. Mira vero narrantur de Helena, quorum nonnulla, quamuis fabulosa, a nobis attingentur, vt in hoc genere, quod refertur ad delectandum, ipsam delectationem contempsisse ne videamur. Fuit filia Tyndari Regis Laconiæ, & Ledæ. Quidam tamen memoriæ prodiderunt, eam non a Tyndaro, sed a Ioue amante Ledæ fuisse genitam. Alij matrem Helenæ nominarunt Nemesim. Lactantius putauit Ledam, & Nemesim fuisse eandem. Ausonius scripsit, Nemesim genuisse: Ledam puerperam fuisse. Pausanias id confirmauit, scribens in hunc modum; Græcorum opinio est, Nemesim Helenæ matrem esse, Ledam lac præbuisse, atque educasse. Fabula sic commemoratur; Cum Iupiter Nemesim amaret, nec, vt ab ea admitteretur, impetrare posset, iussit Venerem in aquilam conuerti, ipseque oloris effigiem sumpsit; cumque aquilam nimis metuere videretur, raptim se proripiens, & latebras quærens, in puellæ gremium deuolauit, eamque in numinis

in

In soporem conuersam, &, vt nonnulli scriptum reliquerunt, in anserem mutatam, ita compressit, vt ex eo congressu ouum postea partum sit, quod auferens Mercurius Spartam detulerit, ac sedenti Ledæ in gremium proiecerit, vnde nata fertur Helena ab ipsa Leda loco filiæ habita, & educata. Hæc leguntur apud Ludouicum Cælium ciuem meum. Quod attinet ad ouum, ex quo Helena orta perhibetur, testatur Athenæus libro secundo de cœnis sophistarum, nonnullos putasse, illud e cœlo decidisse. Apud Plutarchum quoque in Symposiis sic legitur; Tyndareum ouum poetę aiunt e cœlo delapsum apparuisse. Illud ipsum Horatius appellauit geminum, cum de Homero scripsit;

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

Ausonius vero Tergeminum sic;

Istos, tergemino nasci quos cernis ab ouo
Patribus ambiguis, & matribus asseueratos:
Hos genuit Nemesis, sed Leda puerpera fouit:
Tyndareus pater his, & Iupiter: hic putat, hic scit.

Significauit Castorem, Pollucem, Helenam, quos ex eodem ouo natos esse Pausanias in Laconicis, Hyginus, Lucianus, Lycophronis interpres, alij multi testantur. Ac Helenam quidem fœminarum omnium formosissimam, annos natam septem. Theseus Athenarum Rex decimus rapuit, eamque Aphydnis collocauit. Qua de re sic legitur apud Plutarchum in Theseo; Cum iam esset ad quinquagesimum annum ætate prouectus, vt Hellanicus scribit, Helenam rapuit, haud ætate suadente; vnde hoc quidam crimen, vt maximum, & fœdissimum tegere cupientes aiunt Helenam non ab eo raptam, sed ab Ida, & Lynceo, atque apud eum depositam, atque asseruatam fuisse. & paulo post: Accepta virgine, quæ nondum nuptui idonea erat, in Aphydnas detulit, ibique cum matre relinquens, Aphydno homini sibi amicitia coniuncto commendauit, eamq; clam omnibus asseruare iussit. Idem tradit Tyndaridas sororem bello repetentes, Theseo cum Perithoo ad rapiendam Proserpinam profecto, Aphydnas cepisse, eamque recepisse, & cum Æthra Thesei matre, quæ captiua facta est, Lacedæmonen perduxisse. Prodit quoque Duris Samius, raptam fuisse a Theseo Helenam annorum septem,

& tamdiu retentā, donec Iphigeniam suscepit filiam, mox vero ea fuisse exutum. Nec omittit Ludouicus Cælius ex veterum testimonio, Iphigeniam Thesei, & Helenæ filiā, fuisse postea Clitemnestæ adoptatam, Græcis immolandam, nisi Dianæ commiseratione fuisset prærepta. Præterea traditur, Tyndarum septimum Regem Lacedæmoniorum, cum videret Helenam filiam suam propter pulchritudinem a multis procis expeti, veritum, ne prælium aliquod exitiale propter eius nuptias nasceretur, iureiurando adegisse, procos omnes, vt armis inter se ne decertarent, sed sortes iacerent, isque cui sors obtigisset, vxorem Helenam haberet; reliqui vero omnes, si quauis Helenæ marito pararetur, auxilium ei ferrent; eamque conditionem ab omnibus libenter acceptam esse, quoniam vnusquisque sortem sibi propitiam augurabatur; Helenā autem Menelao obtigisse, qui mortuis Castore, & Polluce Tyndaridis sine filiis, quod Helena vxore ducta Tyndari gener esset, ad Regnum Lacedæmoniorum peruenit, fuitque eorum Rex nonus. Nihil vero in literarum tractatione notius videtur, quam iudicium Paridis de pulchritudine trium dearum, Iunonis, Palladis, Veneris, & victoria Veneri data, quæ postea ei raptum Helenæ confecerit, vnde Troianum bellum fuisse exortum dicitur. Illud autem minus tritum, ac peruulgatum est, quod Græcis literis fuit consignatum, & a Ludouico Cælio ciue meo memoriæ proditum, Paridem filium Priami Regis Troianorum iussu patris educatum esse in loco, quem Amandrum appellarunt, mox Parion a nomine Paridis, annos circiter triginta; atque ibi ingeniosum iuuenem, & ad præclara doctrinarum studia idoneum, græcis literis imbutum esse, cumq; felicem cursum, ac progressionem fecisset ad excellentiam, Veneris laudes oratione edita celebrasse, eamque Palladi, & Iunoni prætulisse; indeque datam esse fabulæ occasionem de Paride inter Deas, quænam ipsarum pulchrior esset, contendentes lecto iudice, & de malo aureo, id est, victoria Veneri tributa; ipsum vero Paridem decurso triginta annorum spatio a patre accersitum, emissumque ad rem diuinam obeundam, cum Spartam appulisset, Helenam rapuisse, vnde Troianum bellum originem habuit. Nec

desunt

desunt ex Græcis scriptoribus, qui iudicium inter Deas somnium fuisse tradant in Ida Paridi oblatum, vnde is cõiectauerit fore sibi in Græciam nauiganti propitiam Venerem, nauigasseque eum Hesionen repetiturum, quæ fuit Teucri mater, & Priami soror, & hoc modo Paridis amita. Cum enim Hercules Troiam expugnasset, ac diripuisset, Hesionen Laomedontis filiam, & Priami sororem Telamoni donauit, ex qua postea Telamon suscepit Teucrum. Traditur ergo Paridem ad repetendam Hesionen in Græciam nauigasse, & tunc Helenam rapuisse. Iam Isocrates hac oratione ipsam Helenã miris laudibus effert; quod ea Iouis filia fuerit: quod Theseus, cum esset vir sapientissimus, eam adhuc puellam, & virginem adamarit, & rapuerit: quod alij Reges, & Principes Græciæ eam expetiuerint: quod Paris eam prætulerit Regno Asiæ, & omni victoriæ in bellis: quod eam tanti fecerint Græci, vt ipsius causa tantum excitauerint bellum: quod pulcherrima extiterit, eaque corporis virtute perornata, quæ omnium rerum pretiosissima, ac diuinissima est: quod diuina potentia prædita fuerit.

II.

GENVS CAVSÆ.

Refertur hæc oratio tota ad eos auditores, qui iudicant tantum facultatem oratoris, & audiunt, vt delectentur. Habet laudem, immo potius encomium. Cum enim laus, vt tradit Arist. lib. 1. cap. 9. sit virtutis, encomium vero operum, consilium Isocratis est celebrare in primis opus pulchritudinis, quæ traxit ad eam peramandam Theseum, Paridem, & alios; ac diuina quædam effecit. Cum autem omnia tempora laudibus conueniant, res præteritæ hac oratione laudantur. Ac laudanti quidem finis debet esse propositus honestum: sed, cum corporis pulchritudo sit inter bona vtilissima, quibus & vti, & abuti possumus, quoniam tamen honoratur, habetur loco rei honestæ: Omnino enim, inquit Arist. lib. 1. cap. 9. quod in honore est, reducendum ad honestum est, siquidem esse vicinum videtur. Ex quibus colligitur hanc orationem esse in genere demonstratiuo.

III.

STATVS.

QVæritur, an pulchritudo Helenæ tanta laude sit digna, vt cæteris omnibus, quæ laudantur, præferenda esse videatur. Qui status sine dubio est quantitatis, proprius generis demonstratiui. Eum significauit Rodolphus Agricola Inuentionis Dialecticæ lib. 3. cap. 3. ad hunc modum; Isocrates in Helenæ laudatione, cum pulchritudinem eius in maxima laudum illius parte poneret, & pulcherrimam eam fuisse cum aliis rebus, tum Thesei rapina, prudentissimi totius Græciæ viri, & Paridis iudicio docuisset; exiguam tamen laudem conquisisse videbatur, pulchritudinis quamuis admirandæ, quamuis incredibilis commemoratione, nisi & ipsam pulchritudinem (quam alij fortassis ne laudandam quidem putarent, alij in vltimis laudum ponerent) omnibus aliis, quæ laudantur, prætulisset.

IIII.

ARGVMENTA.

CVm argumenta ducantur a quatuor fontibus, nimirum a propriis, ab assumptis, a communibus, a communissimis; assumpta, vt sæpe fit, in hac oratione dimittuntur, & propria, ac communia, & communissima vsurpantur. Nam si generis demonstratiui propriæ spectentur propositiones, sumpta hæc laudatio est a tertia propositione rerum honestarum, & laudabilium, id est ab iis, quæ effecta sunt a virtute. Ostenditur enim vis pulchritudinis, quæ est vna de quinque virtutibus corporis, ac exponitur, quam mira effecerit. Si propositiones communes attendantur magis generi demonstratiuo accommodatæ, non est dubitandum, quin illis Isocrates vsus sit, ad Helenæ laudes amplificandas, & pulchritudinis amplitudinem explicandam. Si propositiones communissimæ, & loci Topici obseruentur, inter cæteros occurrit locus a rebus effectis, quod pulchritudo effecit, vt Iupiter inter plurimos semideos ab ipso ortos solius Helenæ vocari pater voluerit: vt tantum Helena Herculi videatur fuisse præferenda, quantum pulchritudo robori: vt, quantum Herculis vita labori-

laboribus, & periculis obnoxia fuit, tantum Helenæ natura fuerit illustris, & expetenda. Præterea, vt Theseus, qui alios vincere solebat, Helenæ se subiecerit, eamque rapuerit, atque omnia se debere Pirithoo in ea rapienda ipsius socio existimarit; qui Theseus non fuit vulgaris aliquis, sed vir excellentissimus, cum ei nulla virtus defuerit, cum parem gloriam cum Hercule gesserit, cum etiam vtilior fuerit, quam ipse Hercules; id quod probatur ex rebus, quas ipse solus gessit, & ex iis, quas totius ciuitatis copiis munitus aduersus hostes fecit, & ex iis, quas in Rep. Atheniensi instituit. Pulchritudinis quoq; effectus fuit, quod omnes Reges, & Principes vrbium, quod Theseus, de Helena senserunt, eamq; expetiuerunt. Et locus a re iudicata est, vnde argumentum ducitur, quod Alexander Helenæ consuetudinem ceteris prætulerit; ad quem locum Arist. lib. 2. cap. 23. reducit non solum factum Thesei, sed etiam defensionem Alexandri, seu Paridis, cuius iudicium improbari non poterat, quippe cui primas deæ detulerant. Verba Aristotelis sunt in loco Topico 13. Et Helenam, vt Isocrates scripsit, præstantissimam fuisse: Theseus enim id iudicauit. Et Alexandrum præstantissimum, quem deæ iudicem delegerunt. Quomodo autem Alexander defendi possit, idem in loco, 6. qui est a pari, ostendit sic; Si non fecit iniuste Theseus, ne Alexander quidem. Et lib. 1. cap. 6. in propositione, 9. bonorum controuersorum, meminit earundem rerum in hunc modum; Et quod ex prudentibus aliquis, vel bonis viris, vel mulieribus, præiudicauit; quemadmodum Vlyssem Minerua, & Helenam Theseus, & Alexandrum Deæ, & Achillem Homerus. Præterea adhibetur locus a caussa, quod Græci pro Europa, Troiani pro Asia dimicarunt, existimantes, in vtra corpus Helenæ incoleret, eam regionem feliciorem fore. Et a iudicio personarum, de eo bello gerendo, quod non solum Græci, & Barbari interesse eiusmodi bello dignum iudicarunt, sed etiam Dij filios suos abesse ab eo noluerunt, licet præuidissent eos interituros; immo vero ipsi multo acrius, & vehementius præliati sunt, quam contra Gigantes. Et a contrario, quod pulchritudinis experetia negliguntur: pulchritudinem habentia diliguntur, vt virtus, quæ quidem eo potissimum cele-

bratur, quod pulcherrima sit. Et a differentia, quæ est inter pulchritudinem, & cetera bona. Et a Iouis, atq; aliorum de forma iudicio. Et ab effectibus diuinis Helenæ, quæ fratres suos inter deos retulit; mortalem Menelai sortem diuinitate mutauit, id quod probatur Spartiatarum testimonio; Stesichoro diuinam potentiam ostendit; Homerum diuinitatis participem fecit.

V.

MORES.

PRudentem se ostendit Isocrates in reprehendendis sophistis, qui absurda argumenta tractarent, quibusq; pecunia officio esset antiquior: in reprehendendo Gorgia, qui cum se laudationem Helenæ scribere profiteretur, defensionem potius factorum illius edidit: in excusando se ipso, si præter rem loqueretur, & de Theseo prolixius diceret, vt scilicet ostenderet, amatores, & admiratores Helenæ admirabiliores aliis extitisse: in prouidendo, ne agere prolixius de Theseo propter argumenti inopiam videretur. Apparet probus, accipiendo in meliorem partem raptum Helenæ, quod Alexander eam rapuerit, non propter voluptatem, sed vt Iouis gener fieret, & nominaretur: vituperando iuuenes, qui florem iuuentutis suæ prostituerent, & laudando eos, qui pulchritudinem suam, tanquam inaccessum prauis templum custodirent. Exprimit beneuolentiam suam in auditores, dum amice illos hortatur ad colendam Helenæ diuinitatem, posteaquam diuinam esse eius potentiam, demonstratum est. Quod attinet ad alteram partem moratæ orationis, se accommodat ad naturalem hominum propensionem, qui communiter pulchritudini student, & fauent.

VI.

AFFECTVS.

NOn solum mouet gratiam laudando rem gratiosam, verum etiam delectationem, celebrando rem iucundam, id est pulchritudinem, quam omnes naturaliter appetunt (id enim est iucundum, cuius est cupiditas, & cupiditas est appetitio rei iucundæ) ac variando mirabiliter orationem. Nam permutare est iucundum, quia naturæ accommodatum, vt ab Arist. traditur lib. 1. cap. 11. Quamobrem ora-

rem orator, dum Thesei res gestas ornat, dum Paridem excusat, dum se ipsum tuetur, plura dicit præter rem, quam de re, egregia tamen, & ab instituto non prorsus aliena, atq; ad auditorum delectationem maxime pertinentia; vtiturq; digressionibus, prolixis illis quidem, sed valde iucundis. Præterea mire delectat commemoratione fabularum, & elegantia elocutionis.

VII.

ELOCVTIO.

TRadit Aristoteles, elocutionem scriptionis oportere esse accuratissimam, & exactissimam; qualis est elocutio Isocratis, qui non habebat, sed scribebat orationes. Narrat enim Plutarchus eum a ciuilibus negotiis se abstinuisse ob laterum imbecillitatem, & vocis gracilitatem, morumq; verecundiam; & vnam duntaxat de Antidosi orationem habuisse, ceteras vero aliis legendas, vel recitandas scripsisse. Quamobrem interroganti cuidam, quomodo ipse non idoneus ad publicam dictionem alios idoneos redderet, Eodem, inquit, modo quo cotes, cum secare nequeant, ferrum tamen, vt secet, acuunt. Quod eleganter expressit quoq; Horatius in epistola ad Pisones sic;

—— Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipsa secundi.

Cum autem elocutio demonstratiua sit scriptioni accommodatissima, ea potissimum debet esse accurata, & exacta, vt in hac oratione sine dubio est. Cumq; triplex sit genus elocutionis, graue, mediocre, & attenuatum; mediocris in primis elocutio in genere demonstratiuo est seruanda, vt fecit Cicero in laudando Pompeio pro lege Manilia, & Isocrates quoq; in hoc encomio Helenæ.

VIII.

DISPOSITIO.

IN hac oratione quatuor partes sunt collocatæ, procemium, propositio, fides, epilogus: & fides, seu confirmatio est quadripartita, vt inferius apparebit.

IX.

IN PROOEMIVM.

EἸσί τινες; *Sunt quidam*] Cicero libro primo de inuentione inter vitia exordiorum enumerat separatum ex-

ordium, quod scilicet non ex ipsa caussa ductum est, nec sicut aliquod membrum annexum orationi. Tale tamen vitium intelligendum est in orationibus iudicialibus, & deliberatiuis, non in demonstratiuis, vbi Arist. præcipit lib. 3. cap. 14. posse esse procemia similia proaulio, & vndecunq; sumpta, & hoc modo etiam separata. Etenim tibicines, quodcunq; volunt canere, id præcinentes, cum endosimo copulant. Sic oratores in demonstratiuis orationibus initio possunt dicere, quidquid velint, & postea copulare, & annectere aliis partibus. Cuius rei omnes exemplum faciunt procemium Isocratis in encomio Helenæ, nihil enim propinqui est sophistis, & Helenæ. Cum autem ex doctrina eiusdem procemiorum demonstratiuorum sint quinq; loci, vnus a laude, alter a vituperatione, tertius a suasione, quartus a dissuasione, quintus ab iis, quæ referuntur ad auditores, si rogentur, vt de re incredibili, vel difficili, vel peruulgata cum bona venia velint audire: Hoc procemiũ est sumptum a secundo loco, id est a vituperatione sophistarum; quod quidam affirmarunt, fieri non posse, vt falsum dicatur, neq;, vt contradicatur, quod putasse Antisthenem Arist. lib. 1. Topicorum testatur: quod alij dixerunt fortitudinem, & sapientiam, & iustitiam idem esse, & natura nihil harum rerum nos habere, & vnam esse scientiam omnium: quod Protagoras, & eo tempore nati sophistæ talia, & multo his intricatiora tractarunt: quod Gorgias ausus est dicere, omnia, quæ sunt, nihil esse: quod Zeno tentauit demonstrare eadem & possibilia, & impossibilia esse: quod Melissus rerum multitudine infinitarum, quasi vnum essent, demonstrationes inuenire conatus est, cum existimauerit, vt scribit quoq; Aristoteles, quidquid est, vnum esse: quod isti nihil curarunt magis, quam vt pecuniam corraderent a iunioribus: quod accusarunt quidem, qui contractibus fallerent, & minus iuste orationibus vterentur, sed ipsi multo grauiora efficerent: quod licentiam tantopere auxerũt, vt eorum sectatores scribere auderent, mendicorum, & exulum vitam magis expetendam esse, quam hominum ceterorum; quod fecisse quoq; Agrippinum, Senecæ, & Epicteti æqualem, qui exilium, & paupertatem laudauit, memoriæ proditum est: idq; efficere viderentur, vt, si dicendi

dicendi copiam haberent de rebus improbatis, ad res præclaras exponendas idonei existimarentur; ridicule tamen, cum in tractandis iis rebus versarentur, quas alij Græci negligerent; qualis est calamitatum laudatio; & qualis fuit sanitatis vituperatio, quam Chrysippus fecit; & febris quartanæ commendatio habita a Phauorino Philosopho; & alia similia, partim ἄτοπα, & damnati argumenti, vt de pestilentia; partim ridicula, vt de caluitio, de ventris crepitu, de musca, de culice, de ansere: & id potius facerent propter ingenij imbecillitatem, quæ adduceret eos ad ineptias pertractandas, cum facilius esset in re leui, & iocosa versari, quam graui, & seria, & minus verba deficerent, laudantem apiculas, salem, & reliqua eius generis, quam dicentem de rebus omnium confessione præclaris, & bonis, aut de viris virtute præstantibus. Atq; hæc est summa eorum, quæ dicuntur ab Isocrate contra sophistas.

X.

IN PROPOSITIONEM.

Διὸ καὶ τὸν γράψαντα περὶ τῆς Ἑλένης; *Quamobrem & eum qui scripsit de Helena*] Accedit ad propositionem cum laude eius, qui de Helena scripsit, id est, Gorgiæ, quod eam mulierem laudauerit, quæ & genere, & forma, & gloria multum excelluit; qui tres laudationis loci diligenter sunt obseruandi, A genere, quod efficit virtutem: A pulchritudine, quæ est virtus corporis: A gloria, quæ efficitur a virtute: & cum reprehensione eiusdem, quod encomium professus defensionem fecerit. Visus enim est hac diuisione; Helenæ, siue fato raptus illi decretus fuerit, siue vi abrepta fuerit, siue blanditijs verborum decepta Paridem secuta fuerit, veniam dandam esse; quod & eloquentiæ maxima vis sit, & violentiæ resisti nō possit, & cum fatis ne ipsi quidem Dij pugnare queant. Confudit igitur genus demonstratiuū cum iudiciali. Id quod Isocrates ei opponit. Quanquam id quandoq; solere fieri, vt in vno genere digressiones in alterum fiant, maxime vero si præcipui generis, in quo versatur oratio, copia non suppetat, Arist. lib. 3. cap. 17. exemplo oratorum Atheniensium, & ipsius Isocratis, tradit in hunc modum; Oportet igitur indigentem id facere, quod Athenis oratores faciunt, & Isocrates: etenim delibe-

rans accusat, quemadmodum Lacedæmonios in Panegyrico, & Charetem in Sociali. Proponit vero Isocrates, se initium laudationis ducturum a genere Helenæ.

XI.

IN PARTEM PRIMAM FIDEI.

ΠΛείστων γὰρ ἡμιθέων γεννηθέντων ὑπὸ διός; *Nam cum plurimi semidei a Ioue procreati sint*] Attingit tres locos laudationis; primum a genere, quod filia fuerit Iouis, & quidem ita, vt eius vnius Iupiter vocari pater voluerit: alterum a forma, qui locus pulcherrimam habet comparationem Helenæ cum Hercule, formæ cum robore: tertium a gloria, quod Iupiter Herculis vitam laboribus, & periculis plurimis obnoxiam esse voluerit, Helenæ vero naturam illustrem, & expetendam reddiderit. Iam vero operæ pretium est considerare, quam parum immoretur in laudibus generis, quod, quamuis nobile, breuiter, modiceque laudandum esse, ex doctrina Ciceronis supra notauimus. Proprium vero instrumentum huius generis ex sententia Aristotelis docuimus esse amplificationem, & eam maxime, quæ fit per comparationem, & collationem. Quare merito Isocrates in tota oratione hoc potissimum artificium adhibet amplificationis, & collationis. Propositum autem in primis habet celebrare gloriam Helenæ: quia finis huius ipsius generis est honestum, & gloriosum.

IN PARTEM SECVNDAM FIDEI.

ΚΑὶ πρῶτον μὲν θησεὺς ὁ λεγόμενος μὲν αἰγέως, γενόμενος δὲ ἐκ ποσειδῶνος, *Ac primum quidem Theseus, qui dicitur quidem Ægei filius, sed natus est ex Neptuno*] In genere demonstratiuo multa habentur diuerticula, licetq; a proposito digredi multo magis, quã in aliis generibus. Quod declarauit Arist. lib. 3. cap. 14. vbi cum egisset de procemio separato, quod proaulio simile est, addidit in hunc modũ; Simul vero etiam, si digredietur, conueniet non totam orationem vnius generis esse. & cap. 17. sic; In demonstratiuis vero oportet orationem laudibus intexere, vt Isocra-

tes

tes facit. Semper enim aliquem inferr: & hoc illud est, quod dicebat Gorgias, se non deficere orationem. Si enim de Achille loquatur, Peleum laudat, deinde Æacum, deinde Iouem: similiter vero etiam fortitudinem: aut vtrumque facit, quod tale est. Hæc ille. Variam igitur esse conuenit orationem demonstratiuam, & licet in hoc genere ἐπεισοδιοῦν, id est, episodiis, ac digressionibus orationem augere, & laudes hinc atque inde cumulando eam refertam, & plenam reddere, vt cum nationem laudant, vel patriam, vel maiores, & parentes, vel fortunas, vel aliquam virtutem vniuerse. Quamobrem dicebat Gorgias sibi nunquã orationem deesse propter diuerticula, quæ in hoc genere habentur. Nam si Achillem laudandum suscepisset, laudabat etiam eius genus, vt Peleum, ipsius patrem, Æacum auum, Iouem proauum. Itaque laudes Achillis laudibus maiorum cumulabat. Vel animaduertens ipsius Achillis laudes ad fortitudinem pertinere, huiusmodi virtutem valde exornabat. In his autem diuerticulis mirabiliter excelluit Isocrates, qui in celebrandis laudibus alicuius semper aliquid adiungit, quod laudet, vt in Busiride laudes regionis, in qua ille regnauit, mirabiliter persequitur, Nilumque & sacerdotes Ægyptios, eorumque instituta, quæ Pythagoras sibi esse cognoscenda statuit, mirum in modum celebrat. In hac vero parte huius orationis, tametsi propositum habet Helenam laudare, tamen Theseum magnopere, & pluribus verbis laudat, qui eam adhuc puellam rapuit: præterea laudat Paridem, qui eandem ad Troiam duxit; laudesque Thesei, & Paridis cum laudibus Helenæ coniungit, quam non solum Theseus, verum etiam vniuersi Reges illius temporis, & Principes vrbium appetiuerunt; ob cuius raptum Græci non secus, ac si tota Græcia vastata fuisset, indignati sunt, Barbarique ita superbierunt, quasi Græcos omnes superassent; de qua non solum Græci, ac Barbari dignum existimarunt bellum gerere, sed etiam Dij filios suos pugnare, atque emori voluerunt; immo vero ipsi multo acrius, & vehementius præliati sunt, quam contra Gigantes.

Theseus autem prolixius exornatur, & laudibus in cœlum fertur;

1. Quod fuerit vnus ex semideis, verbo Ægei, re ipsa Neptuni filius.

2. Quod alios vincere solitus sit: plurimis enim victoriis eum clarum fuisse constat.

3. Quod patriam habuerit amplissimam, & regnum tutissimum: ipse enim Athenarum vrbem auxit, & murorum ambitum ita propagauit, vt antiquum Cecropiæ oppidum pro summa arce reliquerit, nouamq; vrbem, quam astu appellauit, ciuibus habitandam concesserit; eo autem Atticos omnes ex duodecim oppidis, agrisque compulit, & tutissimum habitandi locum reddidit.

4. Quod Tyndarei regnum fortissime aggressus sit, nec Castoris, Pollucisque vires, nec pericula, quæ a Lacedæmoniis impendebant, timuerit, vt Helenam raperet.

5. Quod erga Pirithoum, quo in rapienda Helena socio vsus fuerat, ita gratum se præbuerit, vt eum etiam ad inferos descendentem comitatus sit.

6. Quod vir fuerit præcellentissimus, & omnibus virtutibus perornatus.

7. Quod non solum Herculis temporibus natus ita se gesserit, vt parem cum eo gloriam sit consecutus, verum etiam vtiliora, quam Hercules, & Græcis coniunctiora certamina subiuerit. vbi adhibetur illa, quam supra notauimus esse proprium instrumentum generis demonstratiui, amplificatio per comparationem, & collationem, dum præclare Theseus cum Hercule confertur, atque ille huic elegantissime præfertur.

8. Quod Taurum Marathonium, qui Atticam vastabat, domuerit; qua de re sic scriptum reliquit Plutarchus; Theseus, ne ocio, desidiaque languesceret, simul gratia, & beneuolentia multitudinem hominum deuincire cupiens, contra Marathonium Taurum ex vrbe profectus est, qui Tetrapolitanis permagna detrimenta attulerat; eumque captum, ostentandi roboris gratia, viuum per mediam vrbem egit, posteaque Apollini Delphico immolauit.

9. Quod inita cum Lapithis societate Centaurorum genus prorsus deleuerit; de quo ita idem Plutarchus; Pirithous, cum Deidamiam sibi matrimonio coniunxisset, Theseum orauit, vt secum vna proficisceretur, regionem inuise-

inuiseret,& se in Lapitharum congressum, ac colloquium daret.Inuitarat etiam ad cœnam Centauros. Vt vero calere res cœpit, & hi lasciuientes petulantia, corruptiq; vino mulieribus iniecerunt manus, ad resistendum Lapithæ se conuerterunt, ac aliis quidem peremptis, alios bello subactos, socio, & adiutore Theseo, e regione postea exegerunt.

10. Quod Minotaurum interfecerit; de quo idem in hunc modum; Theseus, vbi naue est delatus in Cretam, vt scriptum a plurimis, ac decantatum est, ab Ariadna eius amore capta accepto filo, edoctusq; qua ratione ex labyrinthi erroribus posset euadere, Minotaurum oppressit, abnauigauitq; Ariadna,& pueris consecutis.

11. Quod Scyronem necarit; de quo ita idem; Scyronē cum iuxta agrum Megarensium e petra deiecisset, vita priuauit; qui, vt vulgatior fama tenet, viatores eo accedentes in prædam vertebat.

12. Quod Cercyonem quoque superarit; de quo etiam Plutarchus; Eleusine præterea Cercyonem Arcadem in Palæstra superatum interemit.

13. Quod Heraclidas ab Eurystheo Mycenarum Rege post Herculis patris obitum Peloponneso eiectos Athenis exceperit, eosque contra Eurystheum bello in terra Attica gesto defenderit.

14. Quod Adrasto opitulatus sit in recuperandis cadaueribus eorum, qui ad Thebas ceciderant, idque etiam Thebanis inuitis.

15. Quod popularem Reipub. statum demonstrauerit: nam se non Regem, sed belli ducem, & legum custodem futurum, reliqua vero populo permissurum pollicitus est.

De cæteris Græciæ procis, qui Helenam appetebant, in argumento dictum est: simulque de iudicio Paridis: cætera vero clariora sunt, quam vt pluribus debeant explicari.

IN PARTEM TERTIAM FIDEI.

Ἐγ λόγως δ' ἐκεῖνοι ταῦτ' ἔγνωσαν, *Recte autem & illi sic senserunt*] Paullo supra notauimus, Gorgiam solitum esse digredi non solum in laudes maiorum eius, quem sibi

XII.

SVperius notauimus, in orationibus demonstratiuis perorationem non esse admodum necessariam, ex doctrina Aristotelis, lib. 3. cap. 13.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DECIMVSTERTIVS

IN ORATIONEM ISOCRATIS, QVÆ INSCRIPTA EST *ENCOMIVM HELENÆ.*

I.

RES, QVA DE AGITVR.



Es, qua de agitur, est Helena. Mira vero narrantur de Helena, quorum nonnulla, quamuis fabulosa, a nobis attingentur, vt in hoc genere, quod refertur ad delectandum, ipsam delectationem contempsisse ne videamur. Fuit filia Tyndari Regis Laconiæ, & Ledæ. Quidam tamen memoriæ prodiderunt, eam non a Tyndaro, sed a Ioue amante Ledæ fuisse genitam. Alij matrem Helenæ nominarunt Nemesim. Lactantius putauit Ledam, & Nemesim fuisse eandem. Ausonius scripsit, Nemesim genuisse: Ledam puerperam fuisse. Pausanias id confirmauit, scribens in hunc modum; Græcorum opinio est, Nemesim Helenæ matrem esse, Ledam lac præbuisse, atque educasse. Fabula sic commemoratur; Cum Iupiter Nemesim amaret, nec, vt ab ea admitteretur, impetrare posset, iussit Venerem in aquilam conuerti, ipseque oloris effigiem sumpsit; cumque aquilam nimis metuere videretur, raptim se proripiens, & latebras quærens, in puellæ gremium deuolauit, eamque in numinis

In soporem conuersam, &, vt nonnulli scriptum reliquerunt, in anserem mutatam, ita compressit, vt ex eo congressu ouum postea partum sit, quod auferens Mercurius Spartam detulerit, ac sedenti Ledæ in gremium proiecerit; vnde nata fertur Helena ab ipsa Leda loco filiæ habita, & educata. Hæc leguntur apud Ludouicum Cælium ciuem meum. Quod attinet ad ouum, ex quo Helena orta perhibetur, testatur Athenæus libro secundo de cœnis sophistarum, nonnullos putasse, illud e cœlo decidisse. Apud Plutarchum quoque in Symposiis sic legitur; Tyndareum ouum poetę aiunt e cœlo delapsum apparuisse. Illud ipsum Horatius appellauit geminum, cum de Homero scripsit;

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

Ausonius vero Tergeminum sic;

Istos, tergemino nasci quos cernis ab ouo
Patribus ambiguis, & matribus asseueratos:
Hos genuit Nemesis, sed Leda puerpera fouit:
Tyndareus pater his, & Iupiter: hic putat, hic scit.

Significauit Castorem, Pollucem, Helenam, quos ex eodem ouo natos esse Pausanias in Laconicis, Hyginus, Lucianus, Lycophronis interpres, alij multi testantur. Ac Helenam quidem fœminarum omnium formosissimam, annos natam septem. Theseus Athenarum Rex decimus rapuit, eamque Aphydnis collocauit. Qua de re sic legitur apud Plutarchum in Theseo; Cum iam esset ad quinquagesimum annum ætate prouectus, vt Hellanicus scribit, Helenam rapuit, haud ætate suadente; vnde hoc quidam crimen, vt maximum, & fœdissimum tegere cupientes aiunt Helenam non ab eo raptam, sed ab Ida, & Lynceo, atque apud eum depositam, atque asseruatam fuisse. & paulo post; Accepta virgine, quæ nondum nuptui idonea erat, in Aphydnas detulit, ibique cum matre relinquens, Aphydno homini sibi amicitia coniuncto commendauit, eamq; clam omnibus asseruare iussit. Idem tradit Tyndaridas sororem bello repetentes, Theseo cum Perithoo ad rapiendam Proserpinam profecto, Aphydnas cepisse, eamque recepisse, & cum Æthra Thesei matre, quæ captiua facta est, Lacedæmonen perduxisse. Prodit quoque Duris Samius, raptam fuisse a Theseo Helenam annorum septem,

&ctamdiu retentã, donec Iphigeniam ſuſcepit filiam, mox vero ea fuiſſe exutum. Nec omittit Ludouicus Cælius ex veterum teſtimonio, Iphigeniam Theſei, & Helenæ filiã, fuiſſe poſtea Clitemneſtæ adoptatam, Græcis immolandam, niſi Dianæ commiſeratione fuiſſet prærepta. Præterea traditur, Tyndarum ſeptimum Regem Lacedæmoniorum, cum videret Helenam filiam ſuam propter pulchritudinem a multis procis expeti, veritum, ne prælium aliquod exitiale propter eius nuptias naſceretur, iureiurando adegiſſe, procos omnes, vt armis inter ſe ne decertarent, ſed ſortes iacerent, iſque cui ſors obtigiſſet, vxorem Helenam haberet; reliqui vero omnes, ſi quauis Helenæ marito pararetur, auxilium ei ferrent; eamque conditionem ab omnibus libenter acceptam eſſe, quoniam vnuſquiſque ſortem ſibi propitiam augurabatur; Helenã autem Menelao obtigiſſe, qui mortuis Caſtore, & Polluce Tyndaridis ſine filiis, quod Helena vxore ducta Tyndari gener eſſet, ad Regnum Lacedæmoniorum peruenit, fuitque eorum Rex nonus. Nihil vero in literarum tractatione notius videtur, quam iudicium Paridis de pulchritudine trium dearum, Iunonis, Palladis, Veneris, & victoria Veneri data, quæ poſtea ei raptum Helenæ confecerit, vnde Troianum bellum fuiſſe exortum dicitur. Illud autem minus tritum, ac peruulgatum eſt, quod Græcis literis fuit conſignatum, & a Ludouico Cælio ciue meo memoriæ proditum, Paridem filium Priami Regis Troianorum iuſſu patris educatum eſſe in loco, quem Amandrum appellarunt, mox Parion a nomine Paridis, annos circiter triginta; atque ibi ingenioſum iuuenem, & ad præclara doctrinarum ſtudia idoneum, græcis literis imbutum eſſe, cumq; felicem curſum, ac progreſſionem feciſſet ad excellentiam, Veneris laudes oratione edita celebraſſe, eamque Palladi, & Iunoni prætuliſſe; indeque datam eſſe fabulæ occaſionem de Paride inter Deas, quæ nam ipſarum pulchrior eſſet, contendentes lecto iudice, & de malo aureo, id eſt, victoria Veneri tributa; ipſum vero Paridem decurſo triginta annorum ſpatio a patre accerſitum, emiſſumque ad rem diuinam obeundam, cum Spartam appuliſſet, Helenam rapuiſſe, vnde Troianum bellum originem habuit. Nec

deſunt

desunt ex Græcis scriptoribus, qui iudicium inter Deas somnium fuisse tradant in Ida Paridi oblatum, vnde is cõiectauerit fore sibi in Græciam nauiganti propitiam Venerem, nauigasseque eum Hesionen repetiturum, quæ fuit Teucri mater, & Priami soror, & hoc modo Paridis amita. Cum enim Hercules Troiam expugnasset, ac diripuisset, Hesionen Laomedontis filiam, & Priami sororem Telamoni donauit, ex qua postea Telamon suscepit Teucrum. Traditur ergo Paridem ad repetendam Hesionen in Græciam nauigasse, & tunc Helenam rapuisse. Iam Isocrates hac oratione ipsam Helenã miris laudibus effert; quod ea Iouis filia fuerit: quod Theseus, cum esset vir sapientissimus, eam adhuc puellam, & virginem adamarit, & rapuerit: quod alij Reges, & Principes Græciæ eam expetiuerint: quod Paris eam prætulerit Regno Asiæ, & omni victoriæ in bellis: quod eam tanti fecerint Græci, vt ipsius causa tantum excitauerint bellum: quod pulcherrima extiterit, eaque corporis virtute perornata, quæ omnium rerum pretiosissima, ac diuinissima est: quod diuina potentia prædita fuerit.

II.

GENVS CAVSÆ.

Refertur hæc oratio tota ad eos auditores, qui iudicant tantum facultatem oratoris, & audiunt, vt delectentur. Habet laudem, immo potius encomium. Cum enim laus, vt tradit Arist. lib.1. cap. 9. sit virtutis, encomium vero operum, consilium Isocratis est celebrare in primis opus pulchritudinis, quæ traxit ad eam peramandam Theseum, Paridem, & alios; ac diuina quædam effecit. Cum autem omnia tempora laudibus conueniant, res præteritæ hac oratione laudantur. Ac laudanti quidem finis debet esse propositus honestum: sed, cum corporis pulchritudo sit inter bona vtilissima, quibus & vti, & abuti possumus, quoniam tamen honoratur, habetur loco rei honestæ: Omnino enim, inquit Arist. lib.1. cap 9. quod in honore est, reducendum ad honestum est, siquidem esse vicinum videtur. Ex quibus colligitur hanc orationem esse in genere demonstratiuo.

laboribus, & periculis obnoxia fuit, tantum Helenæ natura fuerit illustris, & expetenda. Præterea, vt Theseus, qui alios vincere solebat, Helenæ se subiecerit, eamque rapuerit, atque omnia se debere Pirithoo in ea rapienda ipsius socio existimarit; qui Theseus non fuit vulgaris aliquis, sed vir excellentissimus, cum ei nulla virtus defuerit, cum parem gloriam cum Hercule gesserit, cum etiam vtilior fuerit, quam ipse Hercules; id quod probatur ex rebus, quas ipse solus gessit, & ex iis, quas totius ciuitatis copiis munitus aduersus hostes fecit, & ex iis, quas in Rep. Atheniensi instituit. Pulchritudinis quoq; effectus fuit, quod omnes Reges, & Principes vrbium, quod Theseus, de Helena senserunt, eamq; expetiuerunt. Et locus a re iudicata est, vnde argumentum ducitur, quod Alexander Helenæ consuetudinem ceteris prætulerit; ad quem locum Arist. lib 2. cap. 23. reducit non solum factum Thesei, sed etiam defensionem Alexandri, seu Paridis, cuius iudicium improbari non poterat, quippe cui primas deæ detulerant. Verba Aristotelis sunt in loco Topico 13. Et Helenam, vt Isocrates scripsit, præstantissimam fuisse: Theseus enim id iudicauit. Et Alexandrum præstantissimum, quem deæ iudicem delegerunt. Quomodo autem Alexander defendi possit, idem in loco, 6. qui est a pari, ostendit sic; Si non fecit iniuste Theseus, ne Alexander quidem. Et lib. 1. cap. 6. in propositione, 9. bonorum controuersorum, meminit earundem rerum in hunc modum; Et quod ex prudentibus aliquis, vel bonis viris, vel mulieribus, præiudicauit; quemadmodum Vlyssem Minerua, & Helenam Theseus, & Alexandrum Deæ, & Achillem Homerus. Præterea adhibetur locus a caussa, quod Græci pro Europa, Troiani pro Asia dimicarunt, existimantes, in vtra corpus Helenæ incoleret, eam regionem feliciorem fore. Et a iudicio personarum, de eo bello gerendo, quod non solum Græci, & Barbari interesse eiusmodi bello dignum iudicarunt, sed etiam Dij filios suos abesse ab eo noluerunt, licet præuidissent eos interituros; immo vero ipsi multo acrius, & vehementius præliati sunt, quam contra Gigantes. Et a contrario, quod pulchritudinis expertia negliguntur: pulchritudinem habentia diliguntur, vt virtus, quæ quidem eo potissimum cele-

bratur, quod pulcherrima sit. Et a differentia, quæ est inter pulchritudinem, & cetera bona. Et a Iouis, atq; aliorum de forma iudicio. Et ab effectibus diuinis Helenæ, quæ fratres suos inter deos retulit; mortalem Menelai sortem diuinitate mutauit, id quod probatur Spartiatarum testimonio; Stesichoro diuinam potentiam ostendit; Homerum diuinitatis participem fecit.

V.
MORES.

PRudentem se ostendit Isocrates in reprehendendis sophistis, qui absurda argumenta tractarent, quibusq; pecunia officio esset antiquior: in reprehendendo Gorgia, qui cum se laudationem Helenæ scribere profiteretur, defensionem potius factorum illius edidit: in excusando se ipso, si præter rem loqueretur, & de Theseo prolixius diceret, vt scilicet ostenderet, amatores, & admiratores Helenæ admirabiliores aliis extitisse: in prouidendo, ne agere prolixius de Theseo propter argumenti inopiam videretur. Apparet probus, accipiendo in meliorem partem raptum Helenæ, quod Alexander eam rapuerit, non propter voluptatem, sed vt Iouis gener fieret, & nominaretur: vituperando iuuenes, qui florem iuuentutis suæ prostituerent, & laudando eos, qui pulchritudinem suam, tanquam inaccessum prauis templum custodirent. Exprimit beneuolentiam suam in auditores, dum amice illos hortatur ad colendam Helenæ diuinitatem, posteaquam diuinam esse eius potentiam, demonstratum est. Quod attinet ad alteram partem moratæ orationis, se accommodat ad naturalem hominum propensionem, qui communiter pulchritudini student, & fauent.

VI.
AFFECTVS.

NOn solum mouet gratiam laudando rem gratiosam, verum etiam delectationem, celebrando rem iucundam, id est pulchritudinem, quam omnes naturaliter appetunt (id enim est iucundum, cuius est cupiditas, & cupiditas est appetitio rei iucundæ) ac variando mirabiliter orationem. Nam permutare est iucundum, quia naturæ accommodatum, vt ab Arist. traditur lib. 1. cap. 11. Quamobrem ora-

rem orator, dum Thesei res gestas ornat, dum Paridem excusat, dum se ipsum tuetur, plura dicit præter rem, quam de re, egregia tamen, & ab instituto non prorsus aliena, atq; ad auditorum delectationem maxime pertinentia; vtiturq; digressionibus, prolixis illis quidem, sed valde iucundis. Præterea mire delectat commemoratione fabularum, & elegantia elocutionis.

VII.

ELOCVTIO.

TRadit Aristoteles, elocutionem scriptionis oportere esse accuratissimam, & exactissimam; qualis est elocutio Isocratis, qui non habebat, sed scribebat orationes. Narrat enim Plutarchus eum a ciuilibus negotiis se abstinuisse ob laterum imbecillitatem, & vocis gracilitatem, morumq; verecundiam; & vnam duntaxat de Antidosi orationem habuisse, ceteras vero aliis legendas, vel recitandas scripsisse. Quamobrem interroganti cuidam, quomodo ipse non idoneus ad publicam dictionem alios idoneos redderet, Eodem, inquit, modo quo cotes, cum secare nequeant, ferrum tamen, vt secet, acuunt. Quod eleganter expressit quoq; Horatius in epistola ad Pisones sic;

——— Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipsa secundi.

Cum autem elocutio demonstratiua sit scriptioni accommodatissima, ea potissimum debet esse accurata, & exacta, vt in hac oratione sine dubio est. Cumq; triplex sit genus elocutionis, graue, mediocre, & attenuatum; mediocris in primis elocutio in genere demonstratiuo est seruanda, vt fecit Cicero in laudando Pompeio pro lege Manilia, & Isocrates quoq; in hoc encomio Helenæ.

VIII.

DISPOSITIO.

IN hac oratione quatuor partes sunt collocatæ, procœmium, propositio, fides, epilogus: & fides, seu confirmatio est quadripartita, vt inferius apparebit.

IX.

IN PROOEMIVM.

EἸσί τινες; *Sunt quidam*] Cicero libro primo de inuentione inter vitia exordiorum enumerat separatum ex-

ordium, quod scilicet non ex ipsa caussa ductum est, nec sicut aliquod membrum annexum orationi. Tale tamen vitium intelligendum est in orationibus iudicialibus, & deliberatiuis, non in demonstratiuis, vbi Arist. præcipit lib. 3. cap. 14. posse esse procemia similia proaulis, & vndecunq; sumpta, & hoc modo etiam separata. Etenim tibicines, quodcunq; volunt canere, id præcinentes, cum endosimo copulant. Sic oratores in demonstratiuis orationibus initio possunt dicere, quidquid velint, & postea copulare, & annectere aliis partibus. Cuius rei omnes exemplum faciunt procemium Isocratis in encomio Helenæ, nihil enim propinqui est sophistis, & Helenæ. Cum autem ex doctrina eiusdem procemiorum demonstratiuorum sint quinq; loci, vnus a laude, alter a vituperatione, tertius a suasione, quartus a dissuasione, quintus ab iis, quæ referuntur ad auditores, si rogentur, vt de re incredibili, vel difficili, vel peruulgata cum bona venia velint audire: Hoc procemiũ est sumptum a secundo loco, id est a vituperatione sophistarum; quod quidam affirmarunt, fieri non posse, vt falsum dicatur, neq;, vt contradicatur, quod putasse Antisthenem Arist. lib. 1. Topicorum testatur: quod alij dixerunt fortitudinem, & sapientiam, & iustitiam idem esse, & natura nihil harum rerum nos habere, & vnam esse scientiam omnium: quod Protagoras, & eo tempore nati sophistæ talia, & multo his intricatiora tractarunt: quod Gorgias ausus est dicere, omnia, quæ sunt, nihil esse: quod Zeno tentauit demonstrare eadem & possibilia, & impossibilia esse: quod Melissus rerum multitudine infinitarum, quasi vnum essent, demonstrationes inuenire conatus est, cum existimauerit, vt scribit quoq; Aristoteles, quidquid est, vnum esse: quod isti nihil curarunt magis, quam vt pecuniam corraderent a iunioribus: quod accusarunt quidem, qui contractibus fallerent, & minus iuste orationibus vterentur, sed ipsi multo grauiora efficerent: quod licentiam tantopere auxerũt, vt eorum sectatores scribere auderent, mendicorum, & exulum vitam magis expetendam esse, quam hominum ceterorum; quod fecisse quoq; Agrippinum, Senecæ, & Epicteti æqualem, qui exilium, & paupertatem laudauit, memoriæ proditum est: idq; efficere viderentur, vt, si dicendi

dicendi copiam haberent de rebus improbatis, ad res præclaras exponendas idonei existimarentur; ridicule tamen, cum in tractandis iis rebus versarentur, quas alij Græci negligerent; qualis est calamitatum laudatio; & qualis fuit sanitatis vituperatio, quam Chrysippus fecit; & febris quartanæ commendatio habita a Phauorino Philosopho; & alia similia, partim ἄτοπα, & damnati argumenti, vt de pestilentia; partim ridicula, vt de caluitio, de ventris crepitu, de musca, de culice, de ansere: & id potius facerent propter ingenij imbecillitatem, quæ adduceret eos ad ineptias pertractandas, cum facilius esset in re leui, & iocosa versari, quam graui, & seria, & minus verba deficerent, laudantem apiculas, salem, & reliqua eius generis, quam dicentem de rebus omnium confessione præclaris, & bonis, aut de viris virtute præstantibus. Atq; hæc est summa eorum, quæ dicuntur ab Isocrate contra sophistas.

X.

IN PROPOSITIONEM.

Διὸ καὶ τὸν γράψαντα περὶ τῆς ἑλένης; *Quamobrem & eum qui scripsit de Helena*] Accedit ad propositionem cum laude eius, qui de Helena scripsit, id est, Gorgiæ, quod eam mulierem laudauerit, quæ & genere, & forma, & gloria multum excelluit, qui tres laudationis loci diligenter sunt obseruandi, A genere, quod efficit virtutem: A pulchritudine, quæ est virtus corporis: A gloria, quæ efficitur a virtute: & cum reprehensione eiusdem, quod encomium professus defensionem fecerit. Vsus enim est hac diuisione; Helenæ, siue fato raptus illi decretus fuerit, siue vi abrepta fuerit, siue blanditijs verborum decepta Paridem secuta fuerit, veniam dandam esse; quod & eloquentiæ maxima vis sit, & violentiæ resisti nō possit, & cum fatis ne ipsi quidem Dij pugnare queant. Confudit igitur genus demonstratiuū cum iudiciali. Id quod Isocrates ei opponit. Quanquam id quandoq; solere fieri, vt in vno genere digressiones in alterum fiant, maxime vero si præcipui generis, in quo versatur oratio, copia non suppetat, Arist. lib. 3. cap. 17. exemplo oratorum Atheniensium, & ipsius Isocratis, tradit in hunc modum; Oportet igitur indigentem id facere, quod Athenis oratores faciunt, & Isocrates; etenim delibe-

rans accuſat, quemadmodum Lacedæmonios in Panegyrico, & Charetem in Sociali. Proponit vero Iſocrates, ſe initium laudationis ducturum a genere Helenæ.

XI.

IN PARTEM PRIMAM FIDEI.

ΠΛείστων γὰρ ἡμιθέων γεννηθέντων ὑπὸ διὸς; *Nam cum plurimi ſemidei a Ioue procreati ſint*] Attingit tres locos laudationis; primum a genere, quod filia fuerit Iouis, & quidem ita, vt eius vnius Iupiter vocari pater voluerit: alterum a forma, qui locus pulcherrimam habet comparationem Helenæ cum Hercule, formæ cum robore: tertium a gloria, quod Iupiter Herculis vitam laboribus, & periculis plurimis obnoxiam eſſe voluerit, Helenæ vero naturam illuſtrem, & expetendam reddiderit. Iam vero operæ pretium eſt conſiderare, quam parum immoretur in laudibus generis, quod, quamuis nobile, breuiter, modiceque laudandum eſſe, ex doctrina Ciceronis ſupra notauimus. Proprium vero inſtrumentum huius generis ex ſententia Ariſtotelis docuimus eſſe amplificationem, & eam maxime, quæ fit per comparationem, & collationem. Quare merito Iſocrates in tota oratione hoc potiſſimum artificium adhibet amplificationis, & collationis. Propoſitum autem in primis habet celebrare gloriam Helenæ: quia finis huius ipſius generis eſt honeſtum, & glorioſum.

IN PARTEM SECVNDAM FIDEI.

ΚΑὶ πρῶτον μὲν θησεὺς ὁ λεγόμενος μὲν αἰγέως, γενόμενος δὲ ἐκ ποσειδῶνος, *Ac primum quidem Theſeus, qui dicitur quidem Ægei filius, ſed natus eſt ex Neptuno*] In genere demonſtratiuo multa habentur diuerticula, licetq; a propoſito digredi multo magis, quã in aliis generibus. Quod declarauit Ariſt. lib. 3. cap. 14. vbi cum egiſſet de proœmio ſeparato, quod proaulio ſimile eſt, addidit in hunc modũ; Simul vero etiam, ſi digredietur, conueniet non totam orationem vnius generis eſſe. & cap. 17. ſic; In demonſtratiuis vero oportet orationem laudibus intexere, vt Iſocra-

tes

tes facit. Semper enim aliquem infert: & hoc illud est, quod dicebat Gorgias, se non deficere orationem. Si enim de Achille loquatur, Peleum laudat, deinde Æacum, deinde Iouem: similiter vero etiam fortitudinem: aut vtrumque facit, quod tale est. Hæc ille. Variam igitur esse conuenit orationem demonstratiuam, & licet in hoc genere ἐπεισοδιοῦν, id est, episodiis, ac digressionibus orationem augere, & laudes hinc atque inde cumulando eam refertam, & plenam reddere, vt cum nationem laudant, vel patriam, vel maiores, & parentes, vel fortunas, vel aliquam virtutem vniuerse. Quamobrem dicebat Gorgias sibi nunquã orationem deesse propter diuerticula, quæ in hoc genere habentur. Nam si Achillem laudandum suscepisset, laudabat etiam eius genus, vt Peleum, ipsius patrem, Æacum auum, Iouem proauum. Itaque laudes Achillis laudibus maiorum cumulabat. Vel animaduertens ipsius Achillis laudes ad fortitudinem pertinere, huiusmodi virtutem valde exornabat. In his autem diuerticulis mirabiliter excelluit Isocrates, qui in celebrandis laudibus alicuius semper aliquid adiungit, quod laudet, vt in Busiride laudes regionis, in qua ille regnauit, mirabiliter persequitur, Nilumque & sacerdotes Ægyptios, eorumque instituta, quæ Pythagoras sibi esse cognoscenda statuit, mirum in modum celebrat. In hac vero parte huius orationis, tametsi propositum habet Helenam laudare, tamen Theseum magnopere, & pluribus verbis laudat, qui eam adhuc puellam rapuit: præterea laudat Paridem, qui eandem ad Troiam duxit; laudesque Thesei, & Paridis cum laudibus Helenæ coniungit, quam non solum Theseus, verum etiam vniuersi Reges illius temporis, & Principes vrbium appetiuerunt; ob cuius raptum Græci non secus, ac si tota Græcia vastata fuisset, indignati sunt, Barbarique ita superbierunt, quasi Græcos omnes superassent; de qua non solum Græci, ac Barbari dignum existimarunt bellum gerere, sed etiam Dij filios suos pugnare, atque emori voluerunt; immo vero ipsi multo acrius, & vehementius præliati sunt, quam contra Gigantes.

Theseus autem prolixius exornatur, & laudibus in cœlum fertur;

1. Quod fuerit vnus ex semideis, verbo Ægei, re ipsa Neptuni filius.

2. Quod alios vincere solitus sit: plurimis enim victoriis eum clarum fuisse constat.

3. Quod patriam habuerit amplissimam, & regnum tutissimum: ipse enim Athenarum vrbem auxit, & murorum ambitum ita propagauit, vt antiquum Cecropiæ oppidum pro summa arce reliquerit, nouamq; vrbem, quam astu appellauit, ciuibus habitandam concesserit; eo autem Atticos omnes ex duodecim oppidis, agrisque compulit, & tutissimum habitandi locum reddidit.

4. Quod Tyndarei regnum fortissime aggressus sit, nec Castoris, Pollucisque vires, nec pericula, quæ a Lacedæmoniis impendebant, timuerit, vt Helenam raperet.

5. Quod erga Pirithoum, quo in rapienda Helena socio vsus fuerat, ita gratum se præbuerit, vt eum etiam ad inferos descendentem comitatus sit.

6. Quod vir fuerit præcellentissimus, & omnibus virtutibus perornatus.

7. Quod non solum Herculis temporibus natus ita se gesserit, vt parem cum eo gloriam sit consecutus, verum etiam vtiliora, quam Hercules, & Græcis coniunctiora certamina subiuerit. vbi adhibetur illa, quam supra notauimus esse proprium instrumentum generis demonstratiui, amplificatio per comparationem, & collationem, dum præclare Theseus cum Hercule confertur, atque ille huic elegantissime præfertur.

8. Quod Taurum Marathonium, qui Atticam vastabat, domuerit; qua de re sic scriptum reliquit Plutarchus; Theseus, ne ocio, desidiaque languesceret, simul gratia, & beneuolentia multitudinem hominum deuincire cupiens, contra Marathonium Taurum ex vrbe profectus est, qui Tetrapolitanis permagna detrimenta attulerat; cumque captum, ostentandi roboris gratia, viuum per mediam vrbem egit, posteaque Apollini Delphico immolauit.

9. Quod inita cum Lapithis societate Centaurorum genus prorsus deleuerit; de quo ita idem Plutarchus; Pirithous, cum Deidamiam sibi matrimonio coniunxisset, Theseum orauit, vt secum vna proficisceretur, regionem inuise-

inuiseret,& se in Lapitharum congressum, ac colloquium daret. Inuitarat etiam ad cœnam Centauros. Vt vero calere res cœpit, & hi lasciuientes petulantia, corruptiq; vino mulieribus iniecerunt manus, ad resistendum Lapithæ se conuerterunt, ac aliis quidem peremptis, alios bello subactos, socio, & adiutore Theseo, e regione postea exegerunt.

10. Quod Minotaurum interfecerit; de quo idem in hunc modum; Theseus, vbi naue est delatus in Cretam, vt scriptum a plurimis, ac decantatum est, ab Ariadna eius amore capta accepto filo, edoctusq; qua ratione ex labyrinthi erroribus posset euadere, Minotaurum oppressit, abnauigauitq; Ariadna,& pueris consecutis.

11. Quod Scyronem necarit; de quo ita idem; Scyronē cum iuxta agrum Megarensium e petra deiecisset, vita priuauit; qui, vt vulgatior fama tenet, viatores eo accedentes in prædam vertebat.

12. Quod Cercyonem quoque superarit; de quo etiam Plutarchus; Eleusine præterea Cercyonem Arcadem in Palæstra superatum interemit.

13. Quod Heraclidas ab Eurystheo Mycenarum Rege post Herculis patris obitum Peloponneso eiectos Athenis exceperit, eosque contra Eurystheum bello in terra Attica gesto defenderit.

14. Quod Adrasto opitulatus sit in recuperandis cadaueribus eorum, qui ad Thebas ceciderant, idque etiam Thebanis inuitis.

15. Quod popularem Reipub. statum demonstrauerit: nam se non Regem, sed belli ducem, & legum custodem futurum, reliqua vero populo permissurum pollicitus est.

De cæteris Græciæ procis, qui Helenam appetebant, in argumento dictum est: simulque de iudicio Paridis: cætera vero clariora sunt, quam vt pluribus debeant explicari.

IN PARTEM TERTIAM FIDEI.

Ἐγκλόγως δὲ κἀκεῖνοι ταῦτ' ἔγνωσαν, *Recte autem & illi sic senserunt*] Paullo supra notauimus, Gorgiam solitum esse digredi non solum in laudes maiorum eius, quem sibi

laudandum proposuisset, verum etiam in laudes alicuius virtutis; ita vt, si Achillem laudaturus esset, præter propria ipsius Achillis decora, & ornamenta, etiam Peleum, & Æacum, & Iouem, maiores eius exornaret; etiam fortitudinem, qua is præstitisset, celebraret. Sic Isocrates in hac oratione primum amatores Helenæ loco maiorum eius celebrauit. Deinde pulchritudinem, quæ in ea erat admirabilis exornauit. Hoc igitur in loco agit de laudibus pulchritudinis; & primum adhibito proprio instrumento huius generis eam confert cum aliis bonis; ostendens maiorem esse animi propensionem in hanc, quam in cætera omnia: aliis inuideri, hanc omni beneuolentia coli: aliis obnoxios adulatores nominari, huic seruientes elegantes, & industrios appellari: circa hanc omnem pietatem, & curam adhiberi. Deinde argumentatur a iudicio Iouis, & aliorum Deorum, quod Iupiter optimus maximus in aliis quidem potentiam suam demonstrauerit, ad pulchritudinem vero humili persona suscepta accedendum esse censuerit; & alij quoque Dij pulchritudinem se magnifacere ostenderint. Fabulas vero nõnullas recenset, vt fecit etiam in superioribus partibus, quæ vt notissimæ sunt, sic valent plurimum ad delectationem, proprium affectum generis demonstratiui.

IN PARTEM QVARTAM FIDEI.

ΩΝ ἑλένη τοσούτῳ πλέον ἔχεν, ὥσπερ καὶ τὴν ὄψιν αὐτῶν διήνεγκεν; *Quibus Helena tanto meliore conditione fuit, quanto eis etiam facie præstitit*] Cum, vt superius notatum est, illud intersit inter laudem, & encomium, quod illa sit virtutum, hoc operum, & eorum, quæ efficiuntur a virtute; Isocrates preter alios admirabiles Helenæ effectus, probat hoc in loco diuinam eius potestatem quatuor præcipuis ipsius operibus;

1. Quod fratres suos, qui iam fato concesserant, Castorem, & Pollucem, inter deos retulit.

2. Quod mortalem Menelai sortem diuinitate mutauit, cum eorum vtriq; Therapnis in Laconia sacra facta sint, non vt heroibus, sed vt diuis; id quod probatum est testimonio Spartiatarum.

3. Quod

3. Quod Stesichorum poetam propter maledicta in ipsam coniecta oculis orbatum reddidit, ac propter Palinodiam in pristinum videndi statum restituit.

4. Quod Homero diuinitus astitit, eiusq; poesim maxime gratiosam, & apud omnes celebrem effecit.

XII.


IN PERORATIONEM ENCOMII HELENAE.

ΩΣ ἔν κὴ δίκlw λαμϐάνειν, κὴ χάϱιν ἀποδοῦναι δυναμένης; *Eam igitur, quæ tum irrogare pœnam, tum gratiam referre possit*] Quamquam genus demonstratiuum peroratione carere potest, vt ex doctrina Aristotelis supra notauimus; tamen eam quandoq; solet recipere, maxime ad secundum munus ipsius perorationis obeundum, quod positum est in amplificando. Id enim maxime proprium huius generis esse, vt res ipsæ amplificentur, constat. Quare Isocrates ad cultum Helenæ potestate diuina præditæ cohortando (solent enim sæpe exornationes ad extremum conuerti in cohortationem auditorum, vt eum, qui exornatus sit, imitentur, atq; honorent) amplificat Helenæ præstantiam, quod eam propter ipsius diuinitatem, maxime idoneam ad pœnam irrogandam, & gratiam referendam, tum diuites donariis, sacrificiis, supplicationibus, ceterisq; cultibus, tum Philosophi, & eruditi omnes studiosa, atq; honorifica celebratione placare, & honorare debeant. Recte autem Helenæ, tanquam Deæ, honorem tribuit. Nam Arist. lib. 1. Eth. prope finem pluris facit τὸ τιμητὸν, quam τὸ ἐπαινετὸν, &, cum res diuinæ maius quiddā requirant, quam sit laus, & encomium, eis magis honor, quam ipsa laus, ipsumq; encomium videtur conuenire. Præterea amplificat hanc Helenæ materiam, quod, cum multa dixerit, plura tamen præteriit, quam commemorauit; cum ad eam referri possint non solum multæ artes, & multa ingeniose excogitata, multæque vtilitates, sed etiam Græcorum libertas, quæ omnia aliis oratoribus dicendi materiam possunt suppeditare.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DECIMVSQVARTVS IN FVNEBREM ORATIONEM QVÆ SVB NOMINE Demosthenis extat.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



VNEBRIVM orationum institutum apud Græcos in Solonem, qui temporibus Tarquinij Prisci quinti Romanorum Regis leges Atheniensibus tulit, Anaximenes orator retulit: apud Romanos vero in P. Valerium Poplicolam consulem, collegæ suo Bruto in pugna contra Aruntem Tarquinij superbi filium fortissime mortuo honorem habentem, Plutarchus relatum esse restatur. Nam de Valerio, & Solone sic apud eum legitur in Poplicola; Honores a Valerio collegæ habiti sunt; funusq; eius, quanto cum apparatu potuit, fecit; funebremq; orationem de eius laudibus dixit; quæ adeo grata, iucundaq; Romanis fuit, vt ex eo consuetudo manserit, vt qui strenue pugnando obiisset, ab optimatibus laudaretur. Dicitur etiam funebribus Græcorum orationibus illam vetustiorem fuisse; nisi iam forte antea Solon huius rei auctor extitit, vt Anaximenes orator tradit. Hæc ille. Pericles quoq; apud Thucydidem lib. 2. commemorat præclarum legibus institutum morem, dicendi in concione ad exequias eorum, qui in bello occubuissent; atq; ex eo more defunctos in bello Peloponnesiaco laudat. Eiusdem argumenti extat pulcherrima, & nobilissima Platonis oratio in Menexeno, vbi statim in principio habetur mentio legis, quæ iubebat, vt cum re ipsa in bello mortuis iusta exhibita essent, tam publice a ciuitate, quam priuatim a propinquis facto magnifico sumptu, ac frequenti concursu ad

eos

eos honorandos, verbis etiam laudatio adderetur: quod rebus gestis ex ipsa verborum exornatione ad eos, qui gesserunt, apud auditores memoria perennis, splendorq; perueniret. Præterea ostenditur, qualem orationem esse oporteret, quæ nimirum defunctos satis laudaret, superstites benigne moneret, filios eorum, fratresq; ad virtutis ipsorum imitationem hortaretur, parentes autem, & maiores alios, si qui superessent, consolaretur. De laudibus vero defunctorum ita proponitur agendum; Videtur mihi opus esse secundum naturam vt boni effecti sunt, ita eos laudare: boni autem ideo prouenerunt, quia ex bonis traxerunt originem. Quapropter generosam primo illorum stirpem laudemus: deinde educationem, & disciplinam: postremo narremus, ita ab eis fuisse res gestas, vt maxime decebat eos, qui essent ex talibus oriundi, & ita postmodum educati. Hæc Plato sub persona Socratis, ex quibus facile perspicitur, qualis esset illa funebris oratio, quæ cohortaretur ad summam patriæ charitatem; primum laudando illos, qui pro salute patriæ pericula, mortemq; intrepide subiuissent: deinde ipsius patriæ antiquitatem, virtutesq; laudibus miris extollendo.

In eodem argumento versatur hæc ipsa oratio, cuius artificium suscepimus explicandum, de iis, qui in pugna ad Cheroneam aduersus Philippum commissa, occubuerunt. Ac huiusmodi quidem orationes funebres erant anniuersariæ; vt etiam Venetiis quotannis habetur oratio mense Maio in Principis, & patrum conspectu de laudibus Ioan. Baptistæ Zeni S. R. E. Cardinalis, qui, Duce Augustino Barbadico cum moreretur, in patriam liberalissimus fuit; ob quam liberalitatem ei singulis annis ex publico decreto exequiæ celebrantur, ac Principe, patribusque præsentibus eius laudes luculenta oratione recensentur. Aliæ vero funebres orationes sunt recentes, ob recentem alicuius mortem habitæ; qualis erat illa, quam, si quis paullo illustrior Romæ humanis cessisset, habere solitum fuisse filiũ, vel certe ex sanguine coniunctis aliquem, qui defuncti præconia oratorie persequeretur, auctor est Polybius; ex quo præclaro instituto Cæsar dicitur amitam suam laudasse annos natus plus minus duodecim: Tiberius autem

etiam annorum nouem in patre idem impleſſe; quales quoque ſunt illæ, quæ noſtris temporibus in funeribus Principum haberi conſueuerunt. Iam anniuerſariæ, quæ recitabantur ad tumulum defunctorum dicebantur ἐπιτάφιοι λόγοι; quale fuit epitaphium, vel oratio, vel carmen, quod ad Mauſoli viri ſepulchrum quotannis Artemiſia recitari inſtituit: recentes vero, quæ dicuntur corpore nondum affecto ſepultura, vocantur Epicedia, cuiuſmodi eſt Epicedium Pallantis, & Euryali. Atque in illis componendis, quæ appellabantur ἐπιτάφιοι λόγοι, orator habebat multum temporis ad ſe comparandum, niſi ſubita fieret optio. Quamquam etiam ante optionem Rhetores ſolebant huiuſmodi orationes ſibi parare, vt, ſi forte eligerentur, in promptu haberent, quod dicerent. Id quod declaratur apud Platonem in huncmodum; Men. Nunc vereor, ne illi, qui eligetur, defutura ſit dicendi facultas: ſubita namque obtigit optio. Quamobrem cogetur forte, quiſquis dicturus erit, ex improuiſo quodammodo verba facere. Socr. Quinam, o bone vir? ſingulis enim iſtis ſunt orationes dudum in hoc compoſitæ. Hæc Plato. In his autem conficiendis, quæ proprie nominantur Epicedia, vix tantum temporis oratori conceditur, vt poſſit ea, quæ dicturus eſt, cogitare; cum præſertim non puero alicui, id munus ſit obeundum, vt eueniſſe Cæſari, & Tiberio modo notauimus, cui teneræ ætati facilius ignoſcitur, ſi non omnia, at pauca quædam vel a præceptore ſubminiſtrata memoriter recitentur, ſed oratori in dicendo non mediocriter verſato, qui quandoque propter temporis anguſtias neceſſe habet non ex memoria, ſed ex ſcripto non ſine aliqua deformitate orationem recitare. Quod multis noſtri ordinis clariſſimis viris, & ſummis oratoribus accidiſſe, facile poſſem cõmemorare, niſi vererer, ne quis me de illorũ laude nonnihil detrahere velle exiſtimaret. Quare tantum artificium meum notabo, ſane illis imitabile, qui eam linguam, qua vtuntur, recte poſſident. Cum enim aliqua huiuſmodi materia mihi proponitur ad dicendum (vt ſæpe propoſitam eſſe vel editis orationibus meis conſtat) primum commentor mecum, quid, & quo loco ſim dicturus, & decurſis locis inueniendorum argumentorum, exprimendo-

mendorum morum, concitandorum affectuum, ac suo quaque re loco disposita, constitutisque quibusdam quasi capitibus, nec pluribus vnquam, quam decem, nec paucioribus, quam tribus, tum vero, si non habeo plus temporis, quam noctem, vel dimidium diem, conficio mihi commentarios orationis meæ, nec eam totam scribo, nisi postquam habui, & mihi bene successisse animaduerti, exemplo Ciceronis, quem quidem omnium causarum, quas acturus esset, memoriæ causa commentarios facere solitum fuisse, quas autem se maxime expolire videbat posse, eas postquam egisset, diligētius scriptas publicare, quas non probaret, in commentariis relinquere consueuisse, vetera monumenta testantur. Si vero paullo plus, vel minus, quam biduum cōceditur, etiam, antequam habeam, conscribo orationem; & statim res omnes, quas quidem sum mecum commentatus, vel scripta oratione complexus, sepposito omni scripto, quam ornatissimis possum verbis, intra domesticos parietes pronuntio. Qua exercitatione & rerum, & ordinis, & scriptionis, & priuatæ pronuntiationis eorum, quæ aliquo modo scripta sunt, fit, vt, si non possum commentata, & scripta ediscere, quod magis pueris, quam viris videtur accommodatum, at saltem res ipsas, & ordinem memoria retineam; atque, si ex serie verborum, quæ scripserim, exeo, nunquam ex rerum serie egrediar; & aliquot periodis ex tempore in eadem materia interiectis, in ea ipsa, quæ cogitauerim, atque exarauerim, facile incurram. Itaq;, tametsi ediscendi tempus non habeo; recito tamen vel iisdem verbis, vel parum diuersis. Quo quidem artificio nisi plurimum adiuuarer, nec publice vnquam dicere, nec funebres orationes habere auderem. Atque hæc præter causam, quamquam non sine causa. Nam, quod attinet ad rem, quam tractat Demosthenes, vel sub nomine Demosthenis alius, (Libanius enim, & Dionysius Alicarnasseus de inscriptione huius orationis dubitant) anno tertio Olympiadis centesimæ decimæ Philippo Macedonum Regi in Atticam irrumpenti Athenienses, & Thebani Demosthenis adducti consiliis cum occurrissent, Charete, & Lysicle ducibus ad Chæroneam Bœotiæ oppidum, memorabili prælio fusi sunt. Cum autem ro-

lata essent Athenas interfectorum cadauera, & publice de more sepulta, habita est in eorum laudem oratio; primum vt defunctis gratia referretur, & propinquorum luctus leuaretur; deinde vt alij ciues ad patriam defendendam essent alacriores. Cui quidem honori illud accessisse, memoriæ proditum est, vt & parentes tenuiores, dum viuerent, & liberi vsq; ad virilem ætatem publice alerentur, armisq; donarentur. Post eam pugnam, vnde Demosthenes fugisse dicitur, Athenienses, & Bœoti pacem a Philippo impetrarunt: & Lysiclem, quo duce male pugnarant, accusante Lycurgo, capite damnarunt.

II.

GENVS ORATIONIS.

Genus orationis est ἐπιδεικτικὸν, & demonstratiuum, quod ex doctrina Arist. lib. 1. cap. 3. habet quatuor proprietates. Nam proprius auditor est ὁ θεωρὸς, ὁ κρίνων περὶ τῆς δυνάμεως, auscultator, seu spectator, qui iudicat de facultate oratoris. Sic de hac oratione erat iudicandũ, quantã esset facultas dicendi, & eloquentia oratoris, celebrantis eos, qui pro patria pugnando fortissime occubuerunt. Propriæ partes, τὸ μὲν ἔπαινος, τὸ δὲ ψόγος, vna quidem laus, altera vero vituperatio. In hac vero oratione exercetur laus. Præterea in primis conuenit generi demonstratiuo ὁ παρὼν χρόνος, præsens tempus. προσχρῶνται δὲ πολλάκις καὶ τὰ γενόμενα ἀναμιμνήσκοντες, καὶ τὰ μέλλοντα προεικάζοντες. Sed assumunt sæpe etiam præterita, quæ in memoriam reuocant, & futura, quæ coniectant. Itaq; etiam hac oratione virorum fortium pro patria interfectorum res præteritæ celebrantur, & dulcis, ac decora mors in cœlum laudibus fertur. Postremo proprius finis est τὸ καλὸν, καὶ τὸ αἰσχρὸν, honestum, & turpe. Sic hæc oratio propositum habet finem, vt ostendat honestum, & gloriosum factum illorum, qui pro patria sanguinem profuderant.

III.

STATVS CAVSSÆ.

Status caussæ est περὶ τῆς ποσότητος, de quantitate, cum quæritur, ποσόν τι, Quantopere. Nam, vt legitur libro 3. cap. 17. ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς, τὸ πολὺ, ὅτι καλὰ, ἢ ὠφέλιμα, ἡ αὔξησις ἐστι. τὰ γὰρ πράγματα δεῖ πιστεύεσθαι. ὀλιγάκις γὰρ καὶ τούτων ἀποδείξεις φέ-

ξεις φέρουσιν, ἐὰν ἄπιστοι ᾖ, ἢ ἐὰν ἄλλος αἰτίαν ἔχῃ. In demonstratiuis plerunq; honestorum, aut vtilium amplificatio erit. Facta enim oportet credi: raro enim & horum demonstrationes afferunt, si fide careant, aut si alius caussam habeat. & lib. 1. cap. 9. ὅλως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις, ἡ μὲν αὔξησις ἐπιτηδειοτάτη τοῖς ἐπιδεικτικοῖς: τὰς γὰρ πράξεις ὁμολογουμένας λαμβάνουσι, ὥστε λοιπὸν μέγεθος περιθεῖναι, καὶ κάλλος. Omnino autem ex iis formis, quæ communes sunt omnibus orationibus, amplificatio quidem aptior est ad demonstratiuas: actiones enim confessas sumunt, vt reliquū sit magnitudinem adiungere, & pulchritudinem. Cùm igitur proprius status orationum demonstratiuarum sit de rerum quantitate, etiam in hac oratione quæritur, quantum fuerit factum in bello cæsorum, & quanta laude digni esse videantur.

IIII.

ARGVMENTA.

Cum argumenta ducantur partim a propriis, partim ab assumptis, partim a communibus, partim a communissimis, & Topicis; propria huius generis sunt tum quæ efficiunt virtutem, tum virtutes, tum quæ efficiuntur a virtute. Itaque orator argumentatur ab iis primum, quæ efficiunt virtutem, vt a nobilitate, & educatione. & quoniam priuatam interfectorum nobilitatem proferre non potest, publicam eis tribuit, atque in laudibus Atheniensium diutius immoratur, cum in sterilibus argumentis πλείω τὰ πάρεργα τῶν ἔργων, plura præter rem, quam ea, quæ sunt de re, esse soleant, vt licet etiam obseruare in Isocratico Helenæ encomio. Ac, veluti nouo exordio conciliatis sibi auditorum animis, occisorum laudat educationem, quæ puerilia studia complectitur. Deinde vero argumentatur a virtute, vt a prudentia, & a fortitudine. Et ab iis, quæ effecta sunt a talibus virtutibus. Cladem q; acceptam partim in fortunam, partim in victoris fortitudinem, partim in Thebanorum ignauiam transfert. Non poterat igitur assumi finis generis deliberatiui, quod egissent rem vtilem: sed de tali fine illi excusandi erant. Itaque omittuntur ea, quæ dicuntur assumpta, quæ scilicet assumuntur a finibus aliorum generum; quia non est necesse semper ab

illis argumentari, vt docet Arist. lib. 1. cap. 3. Communia vero sunt, quæ probant possibile, vel impossibile, futurum, vel non futurum, factum, vel non factum, magnum, vel paruum: ex quibus vtitur orator in ipso exordio primo genere argumentandi ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου, ab eo, quod fieri non potest, quod non possint fortissimi viri pro merito celebrari. Et quoniam, vt legitur lib. 2. cap. 18. ἔστι τῶν κοινῶν τὸ αὔξειν οἰκειότατον τοῖς ἐπιδεικτικοῖς, est ex communibus amplificare aptissimum demonstratiuis, ideo præcipua opera ponitur in amplificando facto talium virorum. Quod vero attinet ad locos communissimos, & Topicos, præcipue vsurpatur locus causarum, expositis causis, quibus ad fortitudinem illi excitati sunt, vna communi, scilicet populari imperio, altera priuata, videlicet exemplis eorum, a quibus cognomina singulis Tribubus imposita sunt.

V.

MORES.

EXprimit beneuolentiam, laudando Atheniensium institutum: probitatem, tribuendo laudem virtute præfulgentibus viris: prudentiam, excusando illos de clade accepta. Quæ est prima pars moratæ orationis. Nam, quod attinet ad secundam, optime se accommodat ad mores auditorum, celebrando Atheniensium nobilitatem, & instituta.

VI.

AFFECTVS.

MOuet gratiam, & desiderium benefaciendi, exornando benefacta: & mouet delectationem communibus laudibus celebrandis, & virorum fortium actionibus amplificandis.

VII.

ELOCVTIO.

DE elocutione ita scriptum reliquit Arist. lib. 3. cap. 12. ἔστι λέξις γραφικὴ μὲν ἀκριβεστάτη; Est elocutio scriptionis exactissima. & paulo post; ἡ ἐπιδεικτικὴ λέξις γραφικωτάτη· τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἀνάγνωσις; Demonstratiua elocutio scriptioni accommodatissima est: opus enim ipsius est lectio. Non est igitur dubium, quin elocutio demonstratiua debeat esse exactissima, & accuratissima, tamquã scriptioni maxime

maxime accommodata. Vt est mea quidem sententia elocutio huius orationis, quæ tametsi visa est Demosthenicæ maiestati non respondere, πολὺ γὰρ τῆς ἐκείνου δυνάμεως ἀπολείπεται, multū enim ab illius facultate deficit: tamen non est contemnenda, luminibus sententiarum, & verborum satis illustrata. Cumque sint tria præcipua genera elocutionis, graue, humile, mediocre; hæc seruat mediocre & temperatum dicendi genus; vt fecit quoque Cicero pro lege Manilia in exornando Pompeio.

VIII.

DISPOSITIO.

Quatuor sunt partes orationis, quæ in hac quoq; adhibentur, procœmium, propositio, fides, epilogus.

IX.

IN PROOEMIVM.

Ἐπειδὴ τοὺς ἐν τῷ τάφῳ κειμένους, ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ γεγενημένους, ἔδοξε τῇ πόλει δημοσίᾳ θάπτειν; *Quoniam in hoc monimento conditos viros, qui strenue se gesserunt in bello, visum est ciuitati publice sepelire.*] Cum loci procœmiorum demonstratiuorum ex doctrina Aristotelis lib. 3. cap. 14. sint quinque, a laude, a vituperatione, a suasione, a dissuasione, ab iis, quæ referuntur ad auditorem; hoc sumptum est a laude eorum, qui pro patriæ defensione occumbere non dubitarunt; quos ait orator non satis posse laudari; sed omnem laudis excellentiam superare: laudandos tamen esse pro viribus. Et a laude Atheniensium, qui magnam solicitudinem adhibuerunt, vt, qui virtuti, & laudibus in vita studuerunt, mortui laudarentur.

X.

IN PROPOSITIONEM.

Εἰ μὲν οὖν τὴν ἀνδρείαν μόνον αὐτοῖς τῆς εἰς ἀρετὴν ἀνηκόντων ὑπάρχουσαν ἑώρων; *Ac si fortitudinem quidem solum in ipsis ad virtutem progredientibus conspicerem*] Proponit se non solum de fortitudine, sed etiam de genere, & educatione illorum, qui pro patria occubuerunt, esse dicturum, & primum de genere.

XI.

IN FIDEM.

Ἡ γὰρ εὐγένεια τῶνδε τῶν ἀνδρῶν; *Nobilitas enim horum virorum*] Cum tria sint instrumenta oratoria, enthymema, exemplum, amplificatio, tradit Arist. lib. 1. cap. 9. amplificationem esse propriam generis demonstratiui, exemplum deliberatiui, enthymema iudicialis. In hac igitur fide, seu confirmatione demonstratiua attendenda est potissimum amplificatio. Cum autem multa sint genera amplificationum, illa in primis commendatur, quæ fit per cõparationem, seu collationem. Scribit enim Arist. ibidem, δεῖ δὲ πρὸς ἐνδόξους συγκρίνειν: αὐξητικὸν γὰρ, καὶ καλὸν, εἰ σπουδαίων βελτίων: πίπτει δ' εὐλόγως ἡ αὔξησις εἰς τοὺς ἐπαίνους: ἐν ὑπεροχῇ γὰρ ἐστιν: ἡ δ' ὑπεροχὴ τῶν καλῶν. διὸ, κἂν μὴ πρὸς τοὺς ἐνδόξους: ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἄλλους δεῖ παραβάλλειν: ἐπείπερ ἡ ὑπεροχὴ, δοκεῖ μηνύειν ἀρετήν. Oportet vero cum illustribus conferre: amplificandi enim ia vim habet, & honestum est, si bonis melior sit. Ac cadit iure in laudes amplificatio: in excellentia enim consistit, & excellentia est honestorum. Quamobrem si non cum illustribus, at cum aliis oportet comparare: siquidem excellentia videtur indicare virtutem. Comparat igitur orator Athenienses cum aliis populis, & illos præfert cæteris omnibus, quod sint αὐτόχθονες, & indigenæ, & soli mortalium omnium eam terram, in qua nati sunt, coluerunt, posterisque tradiderunt; vt, qui in colonias peregre aduenerunt, earumque ciues nominantur, iure cum adoptiuis filiis comparentur: hi vero genuino patriæ partu ciues sint habendi: & quod sint omniũ antiquissimi; id quod probatur hoc signo, quod fruges apud eos primos extiterunt. ergo ij primi fuerunt, cum fruges natura oriantur ad victum, & alimoniam eorum, quæ genita sunt. Itaque attingit orator duas ex quatuor proprietatibus publicæ nobilitatis, quas enumerat Aristoteles lib. 1. Rhet. cap. 5. quarum prima est, τὸ αὐτόχθονας εἶναι, si sint indigenæ, quales fuisse non solos Athenienses, vt hic dicitur, sed simul Arcadas Demosthenes testatur in oratione contra Æschinem ad hunc modum, μόνοι γὰρ ἁπάντων ὑμεῖς αὐτόχθονές ἐστε, κἀκεῖνοι; Soli enim omnium vos indigenæ estis, & illi: secunda est, τὸ ἀρχαίους εἶναι, si sint antiqui,

qui, quod probatur de Atheniensibus argumento ducto a frugibus primum apud eos natis: tertia est, ἡγεμόνας τοὺς προγόνους ἐπιφανεῖς εἶναι, si auctores generis sint illustres, vt Cæcrops, vir illustris, fuit auctor generis Atheniensis, & Rex primus Atheniensium: quarta est, πολλοὺς ἐπιφανεῖς γεγενῆσθαι ἐξ αὐτῶν ἐπὶ τοῖς ζηλουμένοις, si multi illustres nati sint ex ipsis in iis, quæ cadunt sub æmulationem. præterea præfert Athenienses cæteris populis in laude iustitiæ, & fortitudinis, quod ὑπῆρχεν αὐτοῖς πρὸς ἅπασι τοῖς ἄλλοις καλοῖς, κἀγαθοῖς, καὶ δικαιοτάτοις εἶναι, insitum est ipsis, vt præter omnes alios sint honesti, & boni, & iustissimi, cum nemini vnquam vel Barbaro, vel Græco iniuriam fecerint: ἀμυνόμενοι δὲ, πολλὰ, καὶ λαμπρὰ διεπράξαντο, propulsanda autem vi, multa, & præclara facinora ediderunt.

1. Καὶ γὰρ τὸν ἀμαζόνων στρατὸν ἐλθόντα ἐκράτησαν; *Etenim Amazonum exercitum huc progressum vicerunt*] Thescus Athenarum Rex decimus bellum cum Amazonibus ad Athenas gessit, earumq; vnam Hippolytam sibi despondit.

2. Καὶ τὸν εὔμολπον, καὶ τῶν ἄλλων πολλῶν στόλον οὐ μόνον ἐκ τῆς οἰκείας, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἑλλήνων χώρας ἐξήλασαν; *Et Eumolpi, multorumq; aliorum exercitum non modo ex sua, sed & aliorum Græcorum regione profligarunt*] Hoc fuit bellum Eleusinium gestum ab Erectheo sexto Rege Athenarum cum Eleusiniis, quos Eumolpus Thrax iuuit, is, qui sacra Eleusiniæ Cereris, Mysteria dicta, Eleusiniis tradidit, vnde postea Eumolpidæ sunt appellati. In eo bello Erectheus filiam pro salute ciuitatis deuenit. reliquæ sibi mortem consciuerunt. Post idem bellum idem Erectheus maiora Mysteria Cereris Eleusiniæ Athenas induxit. Vtitur orator amplificatione, cum ait eos exercitus ab Atheniensibus esse profligatos, quos qui supra ipsos ad occidentem habitarent, omnes nec sustinere, nec prohibere potuissent.

3. Καὶ μὴν καὶ τῶν ἡρακλέους παίδων, οἳ τοὺς ἄλλους ἔσωζον, σωτῆρες ὠνομάσθησαν, ἡνίκα ἦλθον εἰς τήνδε τὴν γῆν ἱκέται, φεύγοντες εὐρυσθέα; *Quin & liberorum Herculis, eius, qui alios seruabat, seruatores nominati sunt, cum venissent in hanc terram supplices, fugientes Eurystheū*] Theseus Heraclides ab Eurystheo Mycenarum Rege post Herculis patris obitum Peloponneso eiectos Athenas excepit, eosq; contra Eury-

ſtheum bello in terra Attica geſto defendit. Et hoc eſt vnū de inſitis, quæ tenenda eſſe de laudibus Athenienſium monet Ariſt. lib. 2. cap. 22. τὰ ὑπὲρ ἡρακλειδῶν πραχθέντα, quæ pro Heraclidis geſta ſunt.

4. *Τὰ τῶν κατοιχομένων νόμιμα οὐ περιεῖδον ὑβριζόμενα, ὅτε τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ θήβας θάπτειν ἐκώλυε κρέων; Defunctorum iura violari non ſiuerūt, cum ſeptem illos, qui in expeditione Thebana ceciderant ſepelire prohibebat Creon.*]

5. *Ἐκεῖνοι τὸν ἐξ ἁπάσης τῆς ἀσίας στόλον ἐλθόντα μόνοι δὶς ἠμύναντο; Illi ex vniuerſa Aſia exercitum venientem ſoli bis profligarunt*] Primum in bello Perſico Darij Perſarum Regis, qui anno tertio Olympiadis ſeptuageſimæ ſecundæ ab Hippia antea tyranno, tunc exule, & iam ſene concitatus, duce exercitus Dati, in Atticam magno conatu ſe intulit: cui cum Athenienſes cunctantibus Lacedæmoniis occurriſſent, prœlio ad Marathonem Miltiade Cimonis filio duce commiſſo, proſpere pugnarunt, regisq; copias profligarunt; quo in bello etiam Ariſtides cognomento iuſtus egregiam operam nauauit. Deinde in bello Perſico Xerxis, qui anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ quintæ cladem ſuperiore bello acceptam vlturus, Helleſponto ponte iuncto, Athoq; monte per foſſo cum maximo exercitu, & ingenti claſſe traiecit in Græciam. Cui cum obuiam Athenienſes, Lacedæmoniiq; conſociatis armis veniſſent, Lacedæmonij terra, duce Leonida Rege ad Thermopylas, ad vnum cæſi ſunt, Athenienſes autem ad Artemiſium, & Salaminem, ducibus Themiſtocle Athenienſi, & Euribiade Lacedæmonio mari bene pugnarunt.

Τοσοῦτον γὰρ ἀμείνους τῶν ἐπὶ τροίαν στρατευσαμένων νομίζοιντ᾽ ἂν εἰκότως; Tanto enim iis, qui ad Troiam belligerati ſunt præſtare exiſtimandi ſunt merito] Amplificatio per comparationem eorum, qui contra Xerxem & eorum qui contra Troiam pugnarunt, vbi oppugnatoribus Troiæ oppugnatores Xerxis præferuntur, quod illi ex vniuerſa Græcia delecti optimates decenniū vnam Aſiæ vrbem obſeſſam vix ceperunt: hi ex vniuerſo Perſarum Regis imperio huc profectum exercitum, qui cetera omnia proſtrauerat, ſoli non modo repulerunt, ſed iniuriarum ceteris factarum pœnas ab eo exegerūt. Additur laus iuſtitiæ, quod graſſationibus Græco-

Græcorum inter se mutuis obsistentes, omnia, quæ incidere pericula, subierunt, a qua parte ius, & æquum staret, cum illa se coniungentes.

Μηδεὶς δὲ ἡγείσθω με ἀπορῶντα, ὅτι χρὴ περὶ τούτων εἰπεῖν ἑκάστου, ταῦτα τὰ πραχθέντα ἀπηριθμηκέναι; *Nemo autem putet, me, quod non haberem, quæ de singulis his dici possent, has res gestas enumerasse*] Se excusat, quod de maioribus prolixius disseruerit: amplificat cæsorum virtutem, quod etiam infantes reddere eloquentes queat: *nouo exordio vtitur ducto a laudibus illorum.* Duo enim sunt genera exordiorum; vnum, quod adhibetur in principio orationis: alterum, quod etiam in media oratione in principio alicuius capitis pertractandi. Differunt autem, inquit Vlpianus in primam Olynthiacam, exordia capitum, ab ipsarum orationum principiis, quod hæc toti orationi viam muniunt, & vim eorum, quæ dicenda sunt, sparsim continent: illa vero his solis medentur, quæ ipsum caput lædunt. Hæc ille. Amplificat vero orator materiam exornandi, ostendens sibi necessariam esse beneuolentiam auditorum, & conferens munus laudandi cum munere ornandæ sepulturæ magnificentia sumptuum, vel aliquo spectaculo equestrium, gymnicorumve certaminum: quod & diuitiæ, & velocitas, & vires, & eius generis alia, quæ in illis certaminibus adhibentur, vberes suis possessoribus fructus suppeditant, nec alienis adminiculis egent, atque per se ipsa excellunt in iis, in quibus adsunt, tametsi alius nemo velit: at lepos orationis audientium etiam studia requirit. Denique dubitat, quid primum dicat: sed se daturum operam pollicetur, vt ordinem vitæ illorum seruet.

Οἵδε γὰρ ἐξ ἀρχῆς ἐν πᾶσι τοῖς παιδεύμασιν ἦσαν ἐπιφανεῖς, τὰ πρέποντα καθ' ἡλικίαν ἀσκοῦντες ἑκάστην, καὶ πᾶσιν ἀρέσκοντες, οἷς χρὴ, γονεῦσι, φίλοις, οἰκείοις; *Hi enim a principio in omnibus erudimentis fuerunt illustres exercentes quæ quamque ætatē decerent, ita vt placerent omnibus, quibus opus est, parentibus, propinquis, amicis*] Laudat illorum educationem honestam, & liberalem, ab ineunte vsque ætate.

Ἐπειδὴ δὲ εἰς ἄνδρας ἀφίκοντο; *Postquam vero ad virilem ætatem peruenerunt*] Laudat virilem ætatem, quod non solum apud ciues, verum etiam apud homines vniuersos

ingenij sui præstantiam illustrarunt. Et allata sententia, quod est vniuersæ virtutis vt sapientia principium, sic fortitudo perfectio, & vt illa, quæ agenda sint, decernit, ita hæc ea tuetur: tales virtutes in illis celebrat, quod & pericula prouiderunt, & illa promptissime subiuerunt.

Οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι δ' εἰπεῖν, ὅτι μοι δοκοῦσιν οἱ τελευτῶντες ἑκατέρων ἐν τάξει, τῆς μὲν ἥττης οὐ μετέχειν, νικᾶν δὲ ὁμοίως ἀμφότεροι; Dicere autem non dubitem, videri mihi eos, qui vtrinque in acie accubuerint, tum cladis acceptæ experies, tum pariter vtrosque victores esse] Amplificat quod cæsi in prœliis inter victores sint numerandi: & quod defunctis Atticæ incolumitas accepta sit referenda, atque hoc probat ex pacis conditionibus, & ex hostium ipsorum confessione.

Περὶ ὧν δ' ὁ τῶν ἐναντίων ἡγεμὼν ὑπερῆρε τοὺς ἐπὶ τούτῳ ταχθέντας, οὐχὶ τοὺς πολλοὺς οὔτ' ἐκείνων, οὔθ' ἡμῶν αἰτιάσαιτ' ἄν τις εἰκότως. Quod autem aduersariorum imperator eos, qui contra ipsam in acie steterunt, superauit, neque hostium, neque nostra multitudini est tribuendũ] Quod ciues sint cæsi, transfert culpam in Thebanos, qui nacti copias animis præditas inuictis, & ad nutum paratas, gloriæque cupiditate flagrantes, harum commoditatum nulla recte vsi sunt.

Καὶ τὰ μὲν ἄλλ' ἐστι τούτων ὡς ἕκαστος ἔχει γνώμης, οὕτως ὑπολαμβάνειν; Ac de ceteris pro animi sui sententia, vt statuat quisque licet] Amplificat, quod ἡ πάσης τῆς ἑλλάδος ἀρχ' ἐλευθερία ἐν ταῖς τῶνδε τῶν ἀνδρῶν ψυχαῖς διεσώσετο, totius Græciæ libertas in horum virorum animis sita fuit: quod ἡ τῶνδε τῶν ἀνδρῶν ἀρετὴ τῆς ἑλλάδος ἦν ψυχὴ, horũ virorum virtus Græciæ fuit anima: quod eorum mors tenebras induxit Græciæ, perinde ac εἰ τις ἐκ τοῦ καθεστηκότος κόσμου τὸ φῶς ἐξέλοιτο, si quis ex hoc mundo, in quo degimus, lumen tollat.

Διὰ πολλὰ δ' εἰκότως ὄντες τοιοῦτοι, διὰ τὴν πολιτείαν οὐχ ἥκιστα ἦσαν σπουδαῖοι; Cum autē hi multis de causis non immerito essent tales, propter Reip. formam potissimum viri virtute præstantes extiterunt] Causam virtutis in iis, qui pro patria occubuerunt adscribit Atheniensi Reip. conferens Democratiam cum Oligarchia, & illam huic præferens, quod in hac facilius pauci corrumpantur, quam in illa multi, vbi libertas in loquendo veritate nixa cohiberi ratione nulla potest, quo minus vera crimina obiectet. Apud Herodotum

tum lib. 3. Darius præfert Monarchiam ceteris Reipublicæ formis: Otanes Democratiam: Megabyzus Aristocratiam. argumenta inde petenda sunt.

Ἃ μὲν οὖν κοινῇ πᾶσιν ὑπῆρχε τοῖσδε τοῖς ἀνδράσιν εἰς τὸ καλῶς ἐθέλειν ἀποθνήσκειν, εἴρηται, γένος, παιδεία, χρηστῶν ἐπιτηδευμάτων συνήθεια, τῆς ὅλης πολιτείας ὑπόθεσις; Ac, quæ quidem caussæ hos viros communiter impulerint, vt præclare vellent occumbere, dictum est, genus, educatio, bonorum studiorum consuetudo, totius Reip. constitutio] Repetitio eorum, quæ superius sunt pertractata.

Ἃ δὲ κατὰ φυλὰς παρεκάλεσεν ἑκάστους εἶναι, ταῦτ' ἤδη λέξω; Quæ vero tributim ad fortitudinem singulos hortata sunt, ea iam dicam] Propositio eorum, quæ dicenda sunt.

Ἤδεσαν ἅπαντες Ἐρεχθεῖδαι; Norant omnes Erechthidæ] Ponuntur exempla, quibus permoti sint ad fortiter pro patria occumbendum: & simul decem Tribus Athenarum commemorantur. Ac populum quidem in partes quatuor primus diuisit vrbis conditor Cecrops, Cecropiam, Anthocthonem, Actæam, Paraliam. Cum autem Erectheus sextus Rex Atheniensium Tribus quatuor nominasset, Agricolas, Armatos, Caprarios, Opifices; Solo in constituendo populo, vt numerum earum, sic nomina etiam ab Erectheo Rege imposita conseruauit. Clisthenes vero, qui pulsis Pisistratidis popularem Remp. excitauit, veterum Tribuum numerum, & nomina, vt scribit Herodotus, immutauit. nam ex quatuor decem fecit, & eas a decem Heroibus nominauit, qui postea Eponymi sunt appellati, quod ab iis vniuersus esset populus Atticæ nominatus. Fuerunt autem Reges quatuor, Cecrops, Erectheus, Pandion, Ægeus: & duo Regum filij, Oeneus Pandionis, & Acamas Thesei: & ciuis Atheniensis Leo, qui filias pro salute publica quondã deuouerat! reliqui Diis, Heroibusq; prognati, Hippothoon, Neptuno, & Antiochus Hercule satus: decimum autem peregrinum, hospitem quondam, atque amicũ ciuitatis Aiacem Telamonis Salaminium adsciuit. Vnde Tribus appellatæ; Cecropis: Erectheis: Pandionis: Ægeis: Oeneis: Acamantis: Leonis: Hippothoontis: Antiochis: & Aiacis; quemadmodum scriptum in veteribus Pausaniæ, & Pollucis commentariis reperitur. Quod

idem sensisse videtur etiam Demosthenes, cum in hac funebri Atheniensium laudatione de his ita disseruit, vt priscam earum originem cum laude ciuium, qui in ea erant descripti, coniunxerit. Hæc ex Sigonio lib. 2. de Rep. Atheniensium.

Τὸν ἐπώνυμον αὐτῶν ἐρεχθέα ἕνεκα τῦ σῶσαι τὴν χώραν τὰς αὐτῦ παῖδας, ἃς ὑακινθίδας καλοῦσιν, εἰς πρόδηλον θάνατον δόντα ἀναλῶσαι; *Eum, a quo cognominantur, Erectheum pro patrij regni incolumitate suas filias, quas Hyacinthidas vocant, manifesto exitio perituras obtulisse*] Legitur Erectheum filiam in bello Eleusinio pro salute ciuitatis deuouisse: reliquas sibi mortem conciuisse.

Οὐκ ἠγνόουν αἰγεῖδαι θησέα τὸν αἰγέως πρῶτον ἰσηγορίαν καταστησάμενον τῇ πόλει; *Non ignorabant Ægidæ Theseum, Ægei filium, par, æquumq; ius in ciuitate instituisse*] Ægeus fuit nonus Athenarum Rex, sub quo bellum Creticum gestum est, cum Androgeo Minois Cretæ Regis filio Athenis, dum Panathenæa celebrarentur, per insidias interempto, Athenienses a Minoe bello petiti sunt; in quo Hyacinthi filiæ placandi numinis caussa mactatæ. Auctor vero huius orationis videtur putare Hyacinthidas esse easdem, ac Erecthei filias, & confundere bellum Creticum cum bello Eleusinio. Quod attinet ad Theseum, populus in Eupatridas, Agricolas, & Opifices fuit ab eo diuisus: & popularis Reip. status demonstratus.

Παρειλήφεισαν πανδιονίδαι; *Acceperunt Pandionidæ*] Dicti a Pandione Rege quinto Athenarum, qui bellum cum Labdaco Thebanorum Rege de agri finibus, accito e Thracia Tereo Martis filio gessit, & re bene gesta Tereo Procnen filiam collocauit; quo tempore Ceres, & Dionysius in Atticam venerunt: ac Ceres quidem filiam Proserpinam quærens ad Celeum Eleusine regnantem diuertit, frumentiq; serendi rationem Triptolemum Celei filium docuit: Dionysius vero Icario hospiti suo vitis sationem tradidit: atq; vtriq; honores, & sacra sunt instituta.

Ἠκηκόεσαν λεοντίδαι; *Audierant Leontidæ*] Sic appellati a Leone ciue Atheniensi, qui filias pro salute publica quondam decreuerat.

Ἐμέμνηντο

Ἐμέμνηντο ἀκαμαντίδαι; *Meminerant Acamantidæ*] Ab Acamante Thesei filio.

Οὐκ ἐλάνθανεν οἰνεΐδας; *Non latebat Oenidas*] Ab Oeneo Pandionis filio.

Ἤδεσαν κεκροπίδαι; *Sciebant Cecropidæ*] A Cecrope primo Rege Athenarum, quem hic auctor dicit partim draconem, partim hominem fuisse appellatum, non aliam ob caussam, nisi quod prudentia homini, robore draconi conferretur.

Ἐμέμνηντο ἱπποθωοντίδαι; *Meminerant Hippothoontidæ*] Ab Hippothoonte heroe, quem Neptuno satum superius notauimus.

Οὐκ ἐλάνθανεν αἰαντίδας; *Non latebat Aiatidas*] Ab Aiace Telamonis Salaminio, hospite quondam, atq; amico ciuitatis.

Οὐκ ἠμνημόνει ἀντιοχίδαι; *Non exciderat Antiochidis*] Ab Antiocho, qui fuit Hercule satus, vt supra quoque notatum est.

XII.
IN PERORATIONEM.

Οἱ μὲν οὖν ζῶντες; *Ac superstites quidem*] Ponitur loco perorationis consolatio eorum, qui ob defunctos lugent, quod horum quidem domestici superstites talibus orbati viris sint miserabiles: & patriæ conditio sit lachrymarum, & luctus plena: sed ipsi iure in beatis haberi debeant; primum propter eorum gloriam: deinde quia iis malis vacant, quibus in hac vita homines opprimuntur: postremo quia post mortem beatitudine fruuntur sempiterna. Consolatio tamen capienda est; primum quia moderatio doloris sit laudabilis: deinde quia dolori viuorum gloria mortuorum opponi possit: postremo quia talis tristitiæ deus sit caussa, ᾧ φύντας ἀνθρώπους εἴκειν ἀνάγκη, cui natos homines cedere necesse est; at honoris, & decoris eorum, qui honeste oppetere voluerunt, caussa sit electio, & institutum publicum, quo gaudendum est. Illud vero hac oratione conficitur, cogitasse oratorem, non quam multa, sed quam vera diceret, & nihil reliqui esse, nisi, vt finito luctu, vt fas, iusq; erat, abeatur.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DECIMVSQVINTVS

IN ORATIONEM CICERONIS PRO M. MARCELLO.

I.
RES, QVA DE AGITVR.



M. Marcellus in consulatu, quem gessit cum Ser. Sulpitio, an ab V. C. 702. Cæsari se inimicissimum ostenderat, cum ad senatum retulisset, vt ei prouinciam Galliam administranti ante tempus succederetur; vt is exercitum dimitteret; vt eius absentis in petitione consulatus ratio non haberetur; vt colonis, quos is rogatione Vatinia Nouocomum deduxisset, ciuitas adimeretur: ac partes Pompeianas secutus fuerat; nec ei victori supplex ire voluerat, vt iuerat Cicero, & alij post pugnam Pharsalicam. Quamobrem Mitylenis exulabat an. 707. Quo tempore Cæsar, ad cuius pedes C. Marcellus M. frater se abiecerat, & ad quem cunctus senatus supplex accesserat, commemoratis primum offensionibus suis in senatu dixit, se M. Marcello redeundi potestatem facere; & Cicero Cæsari hac oratione gratias egit, cum silere in perpetuum statuisset. quod scriptum est ad Sulpitium epist. 4. lib. 4. Familiarium. Hoc autem Cæsaris beneficio M. Marcellus frui nequaquam potuit. Nam an. 708. cum rediturus esset, & Italiã versus nauigaturus, antequam conscenderet, a P. Chilone est interfectus. qua de re extat epistola Ser. Sulpitij, quæ duodecima est lib. 4. Famil.

II.
GENVS CAVSÆ.

HÆc oratio est in genere demonstratiuo: gratias enim agere est quodammodo laudare, quod pertinet ad demon-

demonstratiuum. nam quæ oratio indicat magnitudinem virtutis, vel operis ex virtute, laus est, vel encomium, vt docet Arist. lib. 1. cap. 9. At gratiarum actio est oratio, quæ indicat magnitudinem virtutis, vel operis, vt beneficentiæ, & beneficiorum. Ergo est laus, vel encomium. Et, vt gratias agere per se non sit laudare: potest tamen referri ad genus demonstratiuum, propterea quod eius præceptis tractetur. nam vt in ceteris artibus cum tradita sunt cuiusque rei difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sint, tradi non est necesse: sic in ratione, & exercitatione dicendi qui cognouerit præcipua genera, cetera quoque cognoscet, vt affirmat Cicero sub persona Antonij lib. 2. de orat. Itaque gratiarum actio refertur ad genus demonstratiuum, cum gratias agat nemo, quin simul acceptum beneficium laudet. Cum vero demonstratiuum sit præcipuum huius orationis genus, assumitur quoque iudiciale ad defendendos illos, de quibus Cæsar nonnullas habebat suspiciones, & minuendas tales suspiciones: ac deliberatiuum ad eum cohortandum, vt saluti consulat suæ propter communem salutem: ad vnum enim genus assumi alia, notius est, quam vt nostra egeat explicatione.

III.
STATVS CAVSÆ.

Qvidam putant in genere demonstratiuo nullum esse statum, duobus adducti argumentis; primum, quia vbi aduersarius non est, ibi status esse non potest: At in genere demonstratiuo aduersarius non est: Ergo ne status quidem. deinde quia, vbi est res certa, ibi non est status: At in hoc genere est res certa: Ergo non est status. Nos tamen Ciceronis, & Aristotelis sequimur auctoritatem; quorum quidem alter sub persona Antonij statum ponit in hoc genere, cum ex persona causa constat, vt laudis, ita vt quæratur, quid factum sit, aut fiat, futurumve sit, aut quale sit, aut quid vocetur; & in Top. scribit; In laudationibus aut negari posse id factum esse, quod laudetur; aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit; aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit; & his omnibus generibus vsum esse nimis impudenter Cæsarem contra Catonem. Alter vero statum in hoc genere

videtur agnoscere, dum scribens de narratione demonstratiua ait, non solum eam constare ex iis, quæ arte carent, quod qui dicit, actionum auctor non sit, sed etiam ex iis, quæ artem habent; hoc autem esse, vt res aut esse demonstretur, si fide careat, aut qualis sit, aut quanta, aut etiam omnia. Argumenta vero contraria ita diluimus, vt dicamus, auscultatores esse aduersarios, si non manifestos, vt in causis iudicialibus, & sæpe etiam in deliberatiuis, at saltem occultos, cum oratores arbitrentur, eos, qui audiunt, aliter sentire, si non de re, at certe de qualitate, & quantitate rei. Et non semper hic rem certam esse; cumque certa est, posse tamen de nomine, de qualitate, de quantitate rei statum existere. Ac status quidem præcipuus huius orationis est quantitatis, cum quæritur, quantum sit hoc beneficium Cæsaris collatum in Marcellum. Assumitur vero etiam status coniecturalis in parte iudiciali; An aliqui cogitent de insidiis contra Cæsarem: & status negotialis in parte deliberatiua; An oporteat Cæsarem conseruare salutem suam, contra quam ipse dicebat, cum illud in ore haberet, se satis diu vixisse.

IIII.

ARGVMENTA.

SVpra notauimus, cum tria sint instrumenta oratoria, enthymema, exemplum, amplificatio, generi demonstratiuo esse maxime accommodatam amplificationem, quæ quidem definitur vehemens quædam argumentatio de rei quantitate. Omnis autem argumentatio ducitur partim a propriis, partim ab assumptis, partim a communibus, partim a communissimis, & Topicis. vt supra quoque notatum est. Ac propriæ quidem propositiones generis demonstratiui sunt ab honesto, quæ adhibeatur ad laudandam clementiam Cæsaris. Assumptæ propositiones sunt a finibus aliorum generum, vt a iusto, vel iniusto, qui est finis generis iudicialis; quæ propositiones seruiunt in parte iudiciali, vt probetur, nullos esse tam iniustos, qui velint Cæsari insidiari: & ab vtili, vel inutili, qui est finis generis delibetatiui; cuiusmodi propositiones vsurpantur in parte deliberatiua, ad probandum vtile esse, vt Cæsar suam conseruet salutem, inutile, vt negligat. Inter propositio-

positiones communes illæ, quæ probant magnum, vel paruum, huic generi maxime congruunt; idcirco in primis adhibentur ad laudes Cæsaris amplificandas. Nec loci Topici relinquuntur, vt in artificio confirmationis declarabitur.

V.

M O R E S.

EXprimit beneuolentiam erga Cæsarem, dum eum miris laudibus effert. Exprimit probitatem, dum ostendit se officio, non scelere adductum partes Pompeianas secutum esse. Exprimit prudentiam, dum ita excusat eos, qui Cæsari aduersati sunt, vt eum non offendat. Cum autem mores auditorum spectentur quadrupliciter, aut ex affectibus, aut ex habitibus, aut ex ætatibus, aut ex prospera, aduersave fortuna; mire se accommodat ad affectum, vt ad metum Cæsaris ibi; Nunc venio ad grauissimam querelam, & atrocissimam suspicionem tuam, quæ non tibi ipsi magis, quam cum omnibus ciuibus, tum maxime nobis, qui a te conseruati sumus, prouidenda est; quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo: tua enim cautio nostra est; vt si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parũ prudens. & paullo post; Sed tamen cum in animis hominum tantæ latebræ sint, tanti recessus, augeamus sane suspicionem tuam: simul enim augebimus diligentiam. Se quoq; accommodat ad habitum, vt ad clementiam: fuit enim Cæsar omnium clementissimus. Et ad ætatem, vt ad senectutem: sunt enim senes suspiciosi, & studiosi vitæ; & idcirco laudat suspicionem Cæsaris, & suadet rem gratam seni, vt diu viuat. postremo ad prosperam fortunam, vt ad nobilitatem, & ad potentiam. sunt enim nobiles cupidiores honoris, & potentes similiter studiosiores honoris; & ideo ipsum celebrat tamquam laudibus, & honoribus dignum diuinis atque immortalibus.

VI.

A F F E C T V S.

MOuet gratiam celebrando beneficia Cæsaris: & mouet delectationem laudum excellentia.

VII.
ELOCVTIO.

SVpra notauimus in genere demonstratiuo accuratissimam elocutionem inesse oportere; idque constare ex eo, quod scribit Aristoteles lib. 3. cap. 12. elocutionem scriptionis requiri exactissimam: demonstratiuum vero esse scriptioni accommodatissimum. Itaq; Cicero in hac oratione demonstratiua vtitur omnino exacto, atque accurato dicendi genere, & mira adhibet tum verborum, tum sententiarum ornamenta. Conuenit autē exornationibus mediocre elocutionis genus. Quamobrem cum ipse Cicero in orat. ad Brutum testetur, vt supra quoque notatum est, se in ornando Pompeio pro lege Manilia temperata oratione ornandi copiam persecutum esse; etiam in hac oratione mediocre, ac temperatum genus dicendi sequitur.

VIII.
DISPOSITIO.

HVius orationis partes præcipuæ sunt tres, procœmium, propositio, fides. Nulla narratio est: quia, cum duobus modis fiat; aut continenter, vt in genere iudiciali, vbi continuatur ipsa narratio, & eius partes non permiscentur cum partibus fidei: aut in partibus, cum tota narratio vno in loco non ponitur, sed singulæ eius partes cum demonstrationibus, & amplificationibus ita coniunguntur, vt distingui narratio a fide vix possit; primo modo nunquam conuenit demonstratiuo generi, quod significauit Aristoteles, cum scripsit lib. 3. cap. 13. Demonstratiuæ autem, & deliberatiuæ quomodo contingit narrationem esse, qualem dicunt? Secundo autem modo conuenit tunc, cum res gestæ eius, qui laudatur, obscuriores existunt, vt Critiæ: sed non conuenit, cum clariores, vt Achillis, quod docuit idem Arist. eiusdem libri cap. 16. in hunc modum; Et notos in memoriam reuocare oportet. Quamobrem multi non indigent narratione, quemadmodum si velis Achillem laudare: omnes enim sciunt eius actiones: sed vti ipsis oportet. Si vero Critiam, narrare oportet: non enim multi sciunt. Iam vero hic agitur res notissima: idcirco nulla opus est narratione. Fides autem, seu confirmati-

tio habet quatuor partes; quarum prima continet ſtatum quantitatis de laude clementiæ Cæſaris, quam præfert ceteris omnibus laudibus. Cumque in hoc genere quinque ſint ordines collocandi ex doctrina Ciceronis in Partitionibus, (nam aut temporum ſeruantur gradus: aut generum diſtributiones: aut a minoribus ad maiora aſcendimus: aut a maioribus ad minora dilabimur: aut hæc inæquabili varietate diſtinguimus) hæc pars fidei tertium ordinem ſeruat, dum probat Cæſarem magnitudini laudis ſuperaſſe imperatores Romanos, exteras gentes, potentiſſimos populos, clariſſimos Reges; & hoc facto clementiæ ſuperaſſe ceteras ſuas res geſtas; & non ſolum viciſſe ceteros omnes victores bellorum ciuilium æquitate, & miſericordia, verum etiam ſe ipſum, & victoriam ipſam. Secunda pars eſt coniecturalis de ſuſpicionibns Cæſaris. Tertia negotialis de conſeruanda ſalute eiuſdē Cæſaris. Quarta item coniecturalis de voluntate ciuium erga ipſum Cæſarem, & de iis, qui agunt gratias Cæſari. Nulla adeſt peroratio, qualem dicunt; quam Ariſt. lib.3. cap.13. negat orationibus demonſtratiuis conuenire, his verbis; Quomodo contingit, quæ ſunt contra aduerſarium, aut perorationem demonſtratiuarum eſſe orationum? Cuius rei rationem ſuperius attulimus.

IX.

IN PROOEMIVM.

Docuimus ex doctrina Ariſt. lib.3. cap.14. in genere demonſtratiuo tale eſſe procœmium, quale in auleſi proaulium, vt, quemadmodum tibicines, antequam cantum incipiant, qualibet vtuntur proluſione, ſic oratores in demonſtratiuis orationibus pro arbitrio poſſint, vnde voluerint, procœmium ducere. Itaque admitti procœmium ſeparatum; vt, quæ a Cicerone de eo vitio ſcripta ſunt, de cauſis deliberatiuis, & iudicialibus, non de demonſtratiuis intelligenda eſſe videantur. Præterea obſeruauimus, duci procœmia demonſtratiua a quinque locis, vel a laude, vel a vituperatione, vel a ſuaſione, vel a diſſuaſione, vel ab iis, quæ referuntur ad auditorem. Iam procœmium huius orationis non eſt ſeparatum, ſed ductum a re, id eſt, a reſtitutione Marcelli: ac ſumptum eſt a laude Cæſaris. Cumque

Hermogenes ſcribat ſic, *Σύγκειται πᾶν προοίμιον ἐκ προτάσεως: ἐκ κατασκευῆς: ἐξ ἀποδόσεως: ἐκ βάσεως*; Conſtat omne procœmium ex propoſitione: ex ratione propoſitionis: ex redditione: ex comprobatione redditionis; in hoc procœmio propoſitio eſt triplex; quod finem imponat diuturni ſilentij: quod tali ſilentio vſus ſit dolore: quod etiam verecundia. Quare etiam ſequuntur tres rationes.

Tantam enim manſuetudinem] Prima ratio de fine ſilentij eſt, quod tantas virtutes Cæſaris tacere non poteſt.

Dolebam enim] Altera ratio de dolore eſt, quod Marcellus non eſſet in eadem fortuna, in qua ipſe Cicero.

Nec mihi perſuadere poteram] Tertia ratio de verecundia eſt, quod non ducebat eſſe fas, verſari in veteri curriculo, abſente Marcello.

Ergo & mihi] Redditio.

Intellectum eſt enim] Comprobatio cum amplificatione beneficij collati in Marcellum. nam beneficium datum eſt laudabile, primum quia acceptum eſt glorioſum: deinde quia omnibus lætitiam attulit: poſtremo quia in perſonam dignam eſt collatum.

Cum igitur hoc procœmium ductum ſit a laude Cæſaris; ſi quis eum voluiſſet vituperare, potuiſſet a vituperatione ſic exordiri; Tacebam antea P. C. de C. Cæſare, quod tantum eſſe in homine ſceleris, audaciæ, crudelitatis non putabam. Nunc vero, cum eius iniquitatem penitus nouerim, facere non poſſum; quin exclamem, eum multo iniuſtiorem eſſe, quam extitiſſe quondam Sylla commemoratur. Id quod breuiter, ſi attente audiueritis, demonſtraturus ſum.

Ciceronis vero procœmium reduci ad ſuaſionem poteſt per aliquod verbum, quod conſilium indicet, vt oportet, conuenit, decet, & ſimilia, in hunc modum; Conuenit P. C. ſummis extollere laudibus maximam C. Cæſaris manſuetudinem, inuſitatam, inauditamq; clementiã, maximum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, incredibilem ſapientiam, ac pene diuinam. Idcirco eum breuiter laudandum ſuſcepi.

Alterum procœmij exemplũ reducitur ad diſſuaſionem ſic; Non oportet, P. C. illi honorem habere, qui non ſolum ſingu-

ſingulorum ciuium bona publicauit, ſed vniuerſas quoq; prouincias, regionesq; vno calamitatis iure comprehendit. Id quod feciſſe Cæſarem luce clarius oſtendam.

Præterea ab iis, quæ referuntur ad auditorem, ita duci procœmium potuiſſet; Etſi vereor, P.C. ne id, quod dicturus ſum, vrbis incredibile videatur: peto tamen a vobis, vt me benigno, & attento animo audiatis. Quod ſi feceritis, facile vobis ſum probaturus, Cæſarem non modo alios, ſed etiam ſe ipſum, immo vero etiam victoriam ipſam viciſſe.

X.

IN PROPOSITIONEM PRIMÆ PARTIS FIDEI.

N*Vllius tantum eſt flumen ingenij*] Proponit oſtendendum, clementiæ laudem ceteris omnibus clementiæ laudibus antecellere.

XI.

IN PRIMAM PARTEM FIDEI.

S*Oleo ſæpe ante oculos ponere*] Cum propriæ propoſitiones generis demonſtratiui ſint ab honeſto, tres præcipuæ enumerantur ab Ariſt. lib. 1. cap. 9. vt honeſta ſint efficientia virtutum, virtutes, effecta a virtutibus. In hac autem oratione laudatur virtus, & effectum a virtute, nempe beneficentia Cæſaris, & beneficium collatum in Marcellum. Præterea ſi laudentur virtutes, illa proprie dicitur laus: ſi opera virtutum, encomium: ſi ea, quæ circum ſunt, communiter fides demonſtratiua. Quæ vero circum ſunt, vt nobilitas, & educatio, prætermitti ſolent, tanquã communia: quærenda enim eſſe magis propria, Ariſt. lib. 2. cap. 22. monet. Quare talia etiam omittuntur a Cicerone; & celebratur potiſſimum clementia, & opus clementiæ. Itaque laus eſt, & encomium. In ſtatu autem quantitatis, qui eſt proprius huius generis, dum quæritur, quantum ſit hoc factum Cæſaris, id eſt, an ſit tantum, vt ceteris eius rebus geſtis debeat anteponi; pulcherrimæ ducuntur amplificationes, ſignificata etiam in fine procœmij tertia propoſitione honeſti, quod omne opus virtutis eſt honeſtum, & laudabile. At hoc beneficium Cæſaris eſt opus virtutis, nimirum beneficentiæ, & clementiæ. Ergo honeſtum, & laudabile. Et illa, quæ ad tertiam refertur, quod quæcunque

bonæ actiones sunt erga alios, & non erga se, honestæ sunt, & laudabiles. Et illa, quod beneficia honesta sunt, & laude digna, quia non sunt erga se. Quoniam vero fundamentum clementiæ, beneficentiæ, & liberalitatis est, vt seruetur dignitas personarum, quod tradidit Arist. lib. 4. Ethic. cap. 1. & Cic. lib. 1. Officiorum: idcirco, vt hæc virtus Cæsaris haberetur vera, & non adumbrata, in eodem fine proœmij, & in ipso prope vestibulo laudationis posita est dignitas Marcelli, in quem opus ipsius virtutis contulit Cæsar; & argumentum etiam ductum est a minori; quod si in accepto beneficio tanta est gloria, multo maior laus in dato esse debet. Cum enim liberalitas posita sit non solum in datione, sed etiam in acceptione, vt eodem cap. scriptum reliquit Arist. magis tamen consistit in dando, quam in accipiendo illis de caussis, quas ibidem affert Philosophus, & in primis, quia magis proprium virtutis est beneficio afficere, quam affici, & honesta agere, quam non agere turpia. Quod si is, qui accipit, laude dignus videtur, quanto is, qui dat, est dignior existimandus? Inter illa vero, quæ habent vim amplificandi, laudatur in primis ab Aristotele, comparatio, & collatio, vt quæ honestis honestiora sunt, laudabiliora sint. Quamobrem etiam facta propositione per collationem laudis ex facto clementiæ cum laudibus ex ceteris rebus gestis Cæsaris; conferuntur etiam hoc in loco eius res gestæ cum aliorum rebus gestis; &, cum is ceteris præferatur: eius tamen laudibus bellicis anteponitur laus clementiæ, ex illa propositione, quod quæ propria singulorum sunt, honesta sunt: Sic quæ magis propria sunt, honestiora sunt. At laus clementiæ est magis propria Cæsaris, quam laudes bellicæ. Ergo honestior, & maior.

Domuisti gentes] Confertur victoria sui ipsius, cum victoria aliarum rerum; & ostenditur vincere se ipsum rem quandam excellentem esse. Quæ vero excellunt, honesta, & laudabilia sunt, vt dicitur in propositionibus honesti.

Itaq; C. Cæsar] Concluduntur superiores argumentationes, & amplificationes, cum concessione de laudibus bellicis, & cum prælatione factorum moderatorum, præterea cum Prosopopœia quod etiam parietes gratias agere gestiant, & cum commiseratione erga C. Marcellum M. fratrem,

fratrem. Vbi autem legitur, omnium Marcellorum meum pectus memoria effudit: legendum est, effodit.

Qua quidem tanta est] Hoc pertinet ad illam propositionem, Quæ memorabilia sunt, honesta sunt. Et quæ valent magis ad memoriam, laudabiliora sunt.

Vt trophæis, & monumentis suis nonnulla vnquam allatura sit finem ætas] Alias, vt ei, sicut trophæis, & monumentis tuis, nulla vnquam allatura sit finem ætas.

Et ceteros quidem omnes victores bellorum ciuilium] Inter propositiones honesti est, quod victoria, & honor ex rebus honestis sunt.

Atq; hoc C. Cæsaris iudicium] Amplificatur Cæsaris iudicium de Pompeianis, & ostenditur magnum esse, ac latè patere, tribus argumentis; quia ipse a scelere liberauerit inimicos suos: quia declarauerit voluntatem suam de bello: quia ostenderit se moderatiorem esse, quam fuissent Pompeiani.

Quare gaude tuo isto tam excellenti bono] Amplificatur laus clementiæ, & ostenditur esse magna; quod sit excellens bonum: quod a natura, & moribus optimis proficiscatur: quod a virtute donata videatur.

IN SECVNDAM PARTEM FIDEI.

N*Vnc venio ad atrocissimam querelam*] Hæc pars est potius iudicialis, quam demonstratiua, defenditq; illos, de quibus Cæsar suspicionem habebat, ac continet statum coniecturalem; An aliqui cogitarent de insidiis contra Cæsarem, & vellent iniuriam facere ipsi Cæsari. Cum autem in genere iudiciali, quod habet finem iustum, & iniustum, tria assumenda esse præcipiat Arist. Quas ob caussas, Qui, & Quibus faciant iniuriam; hoc in loco præcipue argumentum ducitur ab iis, quibus faciunt iniuriam. Nam vt legitur apud Arist. lib. 1. cap. 12. inter ceteros faciunt iniuriam illis, qui malefecerunt, vel malefacere voluerunt. At Cæsar non malefecit nec amicis suis, qui eo duce summa omnia sunt adepti: nec inimicis, quibus ipse salutem insperantibus reddidit, quiq; eius misericordia vitam retinuerunt. Ergo Cæsari non erant facturi iniuriam nec amici, nec qui fuerant inimici. Argumentum quoq; est ab vno

de locis Topicis, id est a partium enumeratione, quibus sublatis illud conficitur, neminem esse, qui id sceleris cogitet. Nam aut amici, aut inimici eam cogitationem habent, vt de medio tollant Cæsarem. At de amicis id non est credibile. Inimici vero nulli sunt, cum aut perierint in bello, aut amicissimi facti sint. Ergo nulli tantum cogitant scelus.

IN TERTIAM PARTEM FIDEI.

SEd *tamen cum in animis hominum tantæ latebræ sint*] Hæc pars deliberatiua est de vita Cæsaris conseruanda. Cumq; finis generis deliberatiui sit vtile, & inutile; & vtile definiatur lib.1. cap.8. quod ciuitatem conseruat, ostenditur ad patriæ conseruationem pertinere, vt Cæsar se ipsum conseruet. Deliberationum autem proprius status est negotialis; An oporteat aliquid facere, vel non facere, dare, vel non dare; vt Hermogenes tradidit. Quæritur ergo in hac parte; An oporteat Cæsarem conseruare salutem suam. Ac dicebat quidem Cæsar, non oportere, quia satis diu vixerat. Responsio vero Ciceronis est, oportere, quia ille quidem satis diu vixit naturæ, vel gloriæ: sed non patriæ: immo ne gloriæ quidem satis: immo ne diu quidem.

Omnia sunt excitanda tibi] Probatur Cæsarem non satis diu vixisse patriæ, argumento ducto ab eo, quod fieri non potest; cuius propositiones tametsi communes sunt omnibus caussarum generibus: deliberatiuo tamen maxime congruunt. Belli vulneribus mederi nemo potest præter Cæsarem. Ergo Cæsar est conseruandus, vt illis medeatur, & is non satis diu vixit patriæ. Erat tunc Cæsar annorum quinquaginta quinque, auctor Suetonius.

Quid, si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est?] Probatur Cæsarem non satis diu vixisse gloriæ, argumento ducto a definitione ipsius gloriæ, vt perfecta gloria non sit, nisi perficiantur merita.

Quid est enim omnino hoc ipsum diu? Probatur Cæsarem non vixisse diu a definitione ipsius diu, quod proprie dici non potest, vbi est aliquid extremum, vt in hac vita nostra. Et a caussa ad effectum, quia Cæsar semper immortalitatis amo-

tis amore flagrauit. Ergo debet posteritati seruire, & se ostentare.

IN QVARTAM PARTEM FIDEI.

D*Iuersa voluntates ciuium fuerunt*] Redit Cicero ad statum coniecturalem, & argumentatur a præcedentibus, & adiunctis de voluntate ciuiũ erga Cæsarem. Nam perfuncta est Resp. misere, fatalique bello. Vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret. Armorum periculo omnes liberati sunt. Omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris. Nisi Cæsare saluo, & in benigna sententia manente ciues salui esse non possunt. Ergo adiungitur, vt omnes vnum velint de salute Cæsaris. Hanc partem quidam faciunt perorationem. Tamen, quæ pars valet ad probandam causam, peroratio non est.

Sed, vt vnde est orsa, in eodem terminetur oratio mea] Probat omnes agere gratias Cæsari a signis, id est, precibus, & lachrymis.

Sed, quia non est astantibus omnibus necesse dicere, a me certę dici volunt] Probat se necesse habere Cæsari gratias agere, ab adiunctis, quod adstantes ita velint: quod sentiat omnium lætitiam non vt de vnius solum, sed vt de communi omnium salute: quod si præstitit summam beneuolentiam in dubitatione salutis, debet etiam præstare in conseruatione.


XII. DE PERORATIONE.

SVpra notauimus ex doctrina Aristotelis perorationem generi demonstratiuo minime conuenire; illam scilicet, quæ præstat quatuor munera superius commemorata. Explicatores tamen vltimam partem, qua gratiæ aguntur Cæsari, quæque continet præcipuum negotium huius orationis, appellant perorationem. Quam recte, aliorum sit iudicium.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DECIMVS SEXTVS EXPLICANS RATIONEM QVÆSTIONVM IVDICIALIVM.

I.

TENENDA RES, QVA DE AGITVR.



VICVNQVE iudicialem caussam acturus est, debet primũ eam diligẽter, penitusq; cognoscere, eaque omnia tenere, quæ in eiusmodi causa insunt, atq; eius sunt propria. Id aperte docuit Cicero sub persona M. Antonij lib. 2. de orat. & docuit Arist. lib. 2. Rhet. cap. 22. vbi cum præcepisset, tenenda esse τὰ ὑπάρχοντα, id est, ea, quæ insunt tum in genere deliberatiuo, tum in demonstratiuo, addidit; Eodem modo & accusantes, & defendentes, dum ex insitis considerationem habent, accusant, & defendunt. Rationem vero eorum inuestigandorum, quæ insita, & selecta, opportunissimaque sunt, in causis iudicialibus, idem tradidit Cicero. Nam apud eum M Antonius, dum oratorem deducit ad causas; & eas quidem, in quibus plusculum est negotij, iudiciorũ, atque litium, eiusmodi rationem aperit; atque ipsius contemptionem oratorum tribuit tum negligentiæ, tum perfidiæ, tum turpitudini; simulque consuetudinem suam in causis pernoscendis narrat. Cuius verba quoniam ad id, quo de agimus, maxime pertinent, hic adscribentur. Sic
" enim legitur de cognitione causarum; Hoc in ludo non
" præcipitur: faciles enim causæ ad pueros deferuntur. Lex
" peregrinum vetat in murum ascendere; ascendit: hostes
" repulit: accusatur. nihil est negotij huiusmodi causam co-
" gnoscere. recte igitur de causa discenda præcipiunt. hæc
" est enim in ludo causarum fere formula. at vero in foro tabulæ,

bulæ, testimonia, pacta, conuenta, stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in causa versantur, cognoscenda est. Et de contemptione earum rerum, quæ cognoscendæ sunt; Quarum rerum negligentia plerasq; causas, & maxime priuatas (sunt enim multo sæpe obscuriores) videmus amitti. ita nonnulli, dum operam suam multi æstimari volunt, vt toto foro volitare, & a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. in quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiæ susceptis rebus, vel perfidiæ receptis: sed etiam illa maior opinione, quod nemo potest de ea re, quam non nouit, non turpissime dicere. ita, dum inertiæ vituperationem, quæ maior est, contemnunt, assequuntur etiã illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis. Et de consuetudine M. Antonij; Equidem soleo dare operam, vt de sua quisq; re me ipse doceat; & vt ne quis alius adsit, quo liberius loquatur; & agere aduersarij causam, vt ille agat suam, &, quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque, cum ille discessit, tres personas vnus sustineo, summa animi æquitate, meam, aduersarij, iudicis. qui locus est talis, vt plus habeat adiumenti, quam incommodi, hunc iudico esse dicendum. vbi plus mali, quam boni reperio, id totum abiudico, atque reiicior. ita assequor, vt alio tempore cogitem, quid dicam, & alio dicam: quæ duo plerique ingenio freti simul faciunt: sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum, putarent. Hæc ille.

II.
TENENDÆ PROPRIETATES GENERIS.

CVm res cognita est, debet statim animo occurrere, quæ sit natura eius generis, in quo futura oratio est. Quæ quidem natura ex quatuor proprietatibus cognosci potest. Quamobrem in hoc etiam genere debemus inspicere proprium finem, scilicet iustum, & iniustum. De aliis enim, inquit Arist. lib. 1. cap. 3. interdum non controuersabuntur, vt litigans se non fecisse, aut non nocuisse: at se iniuste fecisse, nunquam confitebitur. nihil enim esset, cur iudicium haberetur. Debemus cogitare agendum esse de

rebus præteritis, id est, de iis, quarum demonstratio est magis necessaria: habet enim, vt idem ait lib. 3. cap. 17. quod factum est, necessitatem. Debemus considerare, quam partem susceperimus, vel accusationem, vel defensionem, vel petitionem, vel recusationem, ne, quod proprium est eius partis, quæ a nobis suscepta fuerit, omittatur; neve ea potius dicantur, quæ pro aduersario, quam quæ pro nobis faciant. in quod vitium sæpenumero incurrunt imperiti oratores, vt non magis suam, quam aduersariorum agere causam videantur. Debemus rationem habere eorum, apud quos dicendum est, qui cum sint iudices rerum alienarum, vt attentius audiant, maiori artificio indigent oratoris; quod docuit Aristot. lib. 1. in proœmio, vbi cum de genere deliberatiuo sic scripsisset; Nihil aliud opus est, nisi demonstrare rem ita se habere, vt is, qui consulit, ait; addidit in hunc modum; In iudicialibus vero id non est satis: sed operæ pretium est, auditorem arripere: de alienis enim iudicium est. Quemadmodum autem ratione rerum, quæ tractantur, ceteris causarum generibus Arist. prætulit deliberatiuum: ratione vero accuratissimæ elocutionis demonstratiuum: Sic ratione gloriæ oratoris Cicero anteposuit iudiciale his verbis; Sed, cum sint plurima causarum » genera, quæ eloquentiam desiderant; multique in nostra » Rep. adolescentes & apud iudices, & apud senatum dicendo » laudem assecuti sint: maxima admiratio est in iudiciis.

III.

TENENDA CONTROVERSIA SEV STATVS CAVSAE.

CVm res ipsa, & genus causæ patet, cognoscendum est, quæ sit causa ambigui, id est, quæ constitutio, vel status, vel, vt vocatur ab Aristotele, ἡ ἀμφισβήτησις, & controuersia. Nihil enim est, vt apud Ciceronem lib. 2. de orat. ait M. Antonius, quod inter homines ambigatur; siue ex crimine causa constet, vt facinoris: siue ex controuersia, vt hæreditatis: siue ex deliberatione, vt belli: siue ex persona, vt laudis: siue ex disputatione, vt de ratione viuendi: in quo non aut quid factum sit, aut fiat, futurumve sit, quæratur: aut quale sit: aut quid vocetur. Aristoteles vero commemorat quatuor controuersias; Non fecisse: Non nocuisse:

nocuisse: Non tantopere: Non iniuste. Ac Hermogenis quidem doctrina de statibus est peregregia, & præclara; & pertinet in primis ad tractationem generis iudicialis; idcircoque operæ pretium nos facturos duximus, si hoc in loco eam quambreuissime, & quam planissime in studiosorum aspectum produceremus, vt fecimus in hunc, qui sequitur, modum.

DE STATIBVS EX HERMOGENE.

Controuersiæ sunt vel { de personis. / de rebus.

Τὰ πρόσωπα σύστατα.

Personæ, quæ statum faciunt, sunt septem generum.

1. Finitæ, & propriæ, quæ magnam vim habent ad statum faciendum, vt: Pericles: Demosthenes: Clodius: Verres.
2. Quæ sunt ad aliquid, pater, filius: dominus, seruus.
3. Quæ infames; prodigi, adulteri, assentatores.
4. Quæ morales, agricolæ, gulosi.
5. Quæ per complexionem duorum appellatiuorum, vt: iuuenis diues: mulier fucata: mercator auarus.
6. Quæ per complexionem personæ, & rei.

Adolescentulus fucatus accusatur prostitutæ pudicitiæ.

7. Quæ per simplex appellatiuum, Imperator; Orator.

Hæc attributa personis veniunt in quæstionem, aut secundum vnum, id est, singula: aut secundum plura.

Τὰ πρόσωπα ἀσύστατα.

Personæ, quæ statum non faciunt, sunt duorum generum.

1. Infinitæ, vt: quidam, aliquis.
2. Quæ ab omni parte se æquant, vt: duo iuuenes

diuites, si mutuo se in aliqua re accusauerint: duo auari senes de fœnore.

Nam quod alter in alterum dicet, itidem & alter dicere poterit.

Quæ habent potentissimam quæstionem, enumerantur tria.

1 In quibus aliquis accusatur, vt qui ipse fecerit.

Sepeliens corpus nuper interfectum in deserto deprehensus est, & cædis accusatur.

2. In quibus cum alius egerit, in ipsum refertur quæstio.

Fortissimi viri statuam in publico posuerunt hostes: ille proditionis accusatur.

3 Quæ inter talia sunt, vt:

Scripsit in rationibus pericles se consumpsisse quinquaginta talenta: Archidamus a Lacedæmoniis largitionis accusatur.

Prodigus in patrem ignobilem natum cædis accusatur.

Τὰ πράγματα ἀσύστατα.

Res, quæ non faciunt statum, octo generum sunt.

1. Æquatum ex vna parte tantum.

Vel ex rebus tantum, vt: duo iuuenes, alter pauper, alter diues, vterque pulchram vxorem habẽs, inuicem se deprehenderunt, alter ex alterius domo, prodeuntes, & accusant se inuicem adulterij.

Vel ex personis tantum, vt: Leno decem iuuenes petulantes domi suæ ὀρυγματικὴν fossionem faciens cum suscepisset, interfecit, & cædis accusatur.

2. Æquatum ab omni parte.

Duo iuuenes diuites habentes pulchras vxores inuicem se deprehenderunt, alter ex alterius domo, exeuntes, & accusant se inuicẽ adulterij.

3. Secundum æquiualens.

Quærit quis debitum, & fœnus. Qui depositum fatetur, dicit se fœnus non debere. populus debitorum decisiones sanxit. ille depositum

quæ-

quærit. ille respondet, se vt debitum non debere.

4. Secundum dubium, cuius non est solutionem habere, nec terminum Alexander somnians vidit, somniis non esse credendum.

5. Secundum id, quod persuaderi non potest.

Si Socratem quis fingeret lenocinium exercentem: & Arestidem iniuriam facientem.

6. Secundum id, quod fieri non potest.

Si Siphnios, vel Maronitas diceret quis de imperio Græcorum decernere, ac Pythium mentiri.

7. Secundum admirabile, & turpe, & infame.

Quidam, qui locauit vxorem suam, non accipiens mercedem locationis, vocat in iudicium conductorem.

8. Secundum id, quod sine statu est.

Exheredat quis filium sine vlla caussa.

Ἐγγὺς ἀσυστάτων.

Adducuntur quædam vicina illis, quæ statum non recipiunt.

1. In alteram partem vergens.

Confugiente Critia ad Harmodij, & Aristogitonis statuas, decernunt Athenienses, an oporteat euellere.

2. Male fictum.

Post Niciæ epistolam scribit aliquis Cleonem fugisse. Vel rursus proponitur Mardonio redeunti post conflictum defensio apud Regem: At mortui sunt, Cleon pro Siculis, Mardonius, priusquam redirent fugantes Persas.

3. Quod iudicio præripitur.

Cum nemo posset scire aditum ad tyrannum, ostendit vxor quædã marito suo. Hic verò aggressus interfecit illum, & adulterij illam accusauit.

In genere deliberatiuo ex doctrina Hermogenis omnium statuum descriptionem fecimus, & singulorum exempla adscripsimus.

Hic eorum tractationem obseruare debemus.

DE STATV CONIECTVRALI.

TRactatio ſtatus coniecturalis conſtàt partibus decem.

1. Παραγραφικῷ, exceptione, quæ ſolet eſſe ante litis conteſtationem.
2. Ἐλέγχων ἀπαιτήσει, probationum refutatione, & confirmatione.
3. Βουλήσει, voluntate.
4. Δυνάμει, poteſtate.
5. Τοῖς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, iis, quæ ſunt a principio, vſq; ad finem.
6. Ἀντιλήψει contraſumptione.
7. Μεταλήψει, tranſumptione.
8. Μεταθέσει αἰτίας, tranſlatione criminis.
9. Πιθανῇ ἀπολογίᾳ, probabili defenſione, & excuſatione.
10. Ποιότητι κοινῇ, qualitate communi.

PRIMA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

ΠΑραγραφικὸν, & exceptio cadit in cauſſas coniecturales ante litis conteſtationem quatuor modis.

1. Ἀπὸ τοῦ λείποντος, ab eo, quod deeſt.
2. Ἀπὸ τοῦ ὑπερβάλλοντος, ab eo, quod exuperat.
3. Ἀφ' ὧν ἕτεροι ἐποίησαν, ab iis, quæ alij fecerunt.
4. Κατὰ χρόνον, ſecundum tempus.

Exempla.

1. Prodigi pater non viſitur: filius cædis accuſatur: petit oſtendi, an mortuus ſit.

2. Decem iuuenes coniurarunt de vxore non ducenda: malæ vitæ accuſantur: quilibet ipſorum ſeparatim quęri poſtulat.

3. Vir quidam fortiſſimus, cui ſtatuam hoſtes in publico collocarunt, accuſatur proditionis.

4. Quidam accuſatus cædis impune abiit: poſt petenti oraculum deus reſpondit; Homicidis oraculum non do: rurſus accuſatur: ſed lex vetat eundem bis eodem crimine accuſari.

Noſtra tamen ætate licet bis accuſari: nam dimittuntur in-

tur interdum rei, vt vulgo aiunt, PRO NVNC. Veteres in talibus vtebantur his literis, N. L. id eſt, Non Liquet.

SECVNDA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Ἐλέγχων ἀπαίτησις, & probationum refutatio, vel confirmatio locum habet ſtatim poſt conteſtationem litis. Nam producuntur vulgo dicta capitula, quæ probantur teſtibus, & monumentis tabularum.

Teſtes
- Vel ſunt
  - Liberi, vt: pro Flacco, pro Fonteio.
  - Serui, vt: pro Deiotero, pro Milone.
- Vel non ſunt.

Teſtes refelluntur
- Alios opponendo, vt: pro Fonteio apud Ciceronem. & contra Cononem apud Demoſthenem.
- Accuſando, quod falſum dixerint.

πρὸς χάριν, ad gratiã.	δι' ἔχθραν, ob inimicitiam.	διά τινα οἰκειότητα, ob aliquam cõſanguinitatem.	διὰ κέρδος, ob lucrum.	δι' ἡλικίαν, ob ætatẽ.

Cum adſunt teſtes, reus ſe tuetur alios opponendo, alios criminando. Hæc vulgo in proceſſu forenſi appellantur OPPOSITIONES TESTIVM. Itidem reus ſe tuetur his;

1.	Τίς	Quis	Perſona.
2.	Τί	Quid	Re.
3.	Πȣ̃	Vbi	Loco.
4.	Πῶς	Quomodo	Modo.
5.	Πότε	Quando	Tempore.
6.	Διάτι	Cur	Cauſſa.

Hæc vulgo INTERLOCVTORIA dicuntur.

TERTIA, ET QVARTA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Ἡ βȣ́λησις, voluntas, ἢ δύναμις, & potentia, ſunt ex iis, quæ accidunt perſonæ, & dicuntur encomiaſtica.

Perſona eſt duplex
- Definita, vt: Cicero, Antonius:
- Indefinita, vt: iuuenis, diues, claudus, ſenex, pauper.

Encomiastica sunt:
1. Γένος, genus:
2. Ἀγωγή, educatio:
3. Παίδευσις, institutio:
4. Ἡλικία, ætas:
5. Φύσις ψυχῆς, καὶ σώματος; natura animi, & corporis:
6. Ἐπιτηδεύματα, studia:
7. Πράξεις, actiones:
8. Τύχη, fortuna.

QVINTA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους. Quæ sunt a principio vsq; ad finem, enumerantur hæc:

1.	Τίς	Quis.
2.	Τί	Quid.
3.	Ποῦ	Vbi.
4.	Πότε	Quando.
5.	Πῶς	Quomodo.
6.	Διατί	Cur.

Hæc sunt communia accusatoris, & rei.

Si accusator his omnibus vtitur, factum constat: Si non vtitur, sed prætermittit aliquid horum, factum non constat, sed vacillat.

Si vacillat, reus vtitur illis ad refellendum accusatorem.

Si sunt omnia, & constat factum, reus se tuetur Metalepsi, seu transumptione.

SEXTA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Ἀντίληψις, & contrasumptio cadit in statum coniecturalem, cum conuincitur reus aliqua coniectura, quod sit proditor, & conspirauerit in Remp. Domi enim habet multos enses, thoraces, clypeos, hastas. Respondet: At non est vetitum lege: Licet: & similia.

SEPTIMA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Μετάληψις, & transumptio opponitur antilepsi sic; Licet quidem: Sed non tam multa: & hoc inusitatum est.

Fit au-

Fit autem:
- Κατὰ τὴν ἔνστασιν, ſecundum inſtantiam, & intentionem, vt licet multos ſeruos alere domi.
- Καὶ ἀντιπαράστασιν, & obſiſtentiam, ac depulſionem, vt licet, ſed non tales.

OCTAVA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Μετάθεσις τῆς αἰτίας, tranſlatio criminis cadit ſuper aliquam coniecturam, quam reus inficiari non poteſt;

Et eſt trium generum:
1. Ἐν λόγοις, in dictis:
2. Ἐν ἔργοις, in factis:
3. Ἐν πάθεσι, in perturbationibus.

Et ſpectatur:
- Vel in iis, quæ alij fecerunt.
- Vel in iis, quæ ipſe fecit.

1. In dictis: Iuuenis diues noctu perſonatus, & ebrius prætereiens carcerem clamat; Eſtote bono animo: propediem e vinculis eximemini: fatetur ſe dixiſſe: ſed non eo animo, quo criminantur aduerſarij.

2. In factis: Quidam cadauer inuentum in ſuo agro ſepelit: ait ſe feciſſe pietatis ergo.

3. In perturbationibus: Iuuenis diues arcem intuens flet: accuſatur proditionis: diluit ipſe, ſe non fleuiſſe ob id, quod tyrannum odiſſet.

Quæ alij fecerunt; Vt de ſtatua poſita huic ab hoſtibus.

Quæ ipſe fecit: Pluribus de cauſſis, vt qui noctu vagatur, furti arguitur: multis enim de cauſſis poteſt aliquis noctu vagari.

NONA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Πιθανὴ ἀπολογία, & probabilis defenſio continet omnia ſignorum, & probabilium refutationẽ, quæ quidem multa eſſe ſolent in cauſſis coniecturalibus. Debent igitur, ſi in proceſſu forenſi ſint, in vnum omnia colligi, & refelli, vel confirmari. Nam hæc eſt communis vtriuſq; partis.

DECIMA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Κοινὴ ποιότης, & communis qualitas conuenit epilogo.

bonæ actiones sunt erga alios,& non erga se,honestæ sunt, & laudabiles.Et illa, quod beneficia honesta sunt, & laude digna, quia non sunt erga se. Quoniam vero fundamentum clementiæ, beneficentiæ, & liberalitatis est, vt seruetur dignitas personarum, quod tradidit Arist. lib.4. Ethic. cap.1. & Cic. lib.1. Officiorum: idcirco,vt hæc virtus Cæsaris haberetur vera, & non adumbrata, in eodem fine proœmij, & in ipso prope vestibulo laudationis posita est dignitas Marcelli, in quem opus ipsius virtutis contulit Cæsar; & argumentum etiam ductum est a minori; quod si in accepto beneficio tanta est gloria, multo maior laus in dato esse debet. Cum enim liberalitas posita sit non solum in datione, sed etiam in acceptione, vt eodem cap. scriptum reliquit Arist. magis tamen consistit in dando, quam in accipiendo illis de caussis, quas ibidem affert Philosophus,& in primis, quia magis proprium virtutis est beneficio afficere,quam affici,& honesta agere,quam non agere turpia. Quod si is,qui accipit,laude dignus videtur,quanto is, qui dat, est dignior existimandus? Inter illa vero, quæ habent vim amplificandi, laudatur in primis ab Aristotele, comparatio, & collatio, vt quæ honestis honestiora sunt, laudabiliora sint. Quamobrem etiam facta propositione per collationem laudis ex facto clementiæ cum laudibus ex ceteris rebus gestis Cæsaris; conferuntur etiam hoc in loco eius res gestæ cum aliorum rebus gestis; &, cum is ceteris præferatur: eius tamen laudibus bellicis anteponitur laus clementiæ, ex illa propositione, quod quæ propria singulorum sunt,honesta sunt: Sic quæ magis propria sunt, honestiora sunt. At laus clementiæ est magis propria Cæsaris, quam laudes bellicæ. Ergo honestior,& maior.

Domuisti gentes] Confertur victoria sui ipsius, cum victoria aliarum rerum; & ostenditur vincere se ipsum rem quandam excellentem esse. Quæ vero excellunt, honesta, & laudabilia sunt,vt dicitur in propositionibus honesti.

Itaq; C. Cæsar] Concluduntur superiores argumentationes, & amplificationes, cum concessione de laudibus bellicis, & cum prælatione factorum moderatorum, præterea cum Prosopopœia quod etiam parietes gratias agere gestiant,& cum commiseratione erga C.Marcellum M. fratrem,

frattem. Vbi autem legitur, omnium Marcellorum meum pectus memoria effudit: legendum est, effodit.

Qua quidem tanta est] Hoc pertinet ad illam propositionem, Quæ memorabilia sunt, honesta sunt. Et quæ valent magis ad memoriam, laudabiliora sunt.

Vt trophæis, & monumentis suis nonnulla vnquam allatura sit finem ætas] Alias, vt ei, sicut trophæis, & monumentis tuis, nulla vnquam allatura sit finem ætas.

Et ceteros quidem omnes victores bellorum ciuilium] Inter propositiones honesti est, quod victoria, & honor ex rebus honestis sunt.

Atq; hoc C. Cæsaris iudicium] Amplificatur Cæsaris iudicium de Pompeianis, & ostenditur magnum esse, ac late patere, tribus argumentis; quia ipse a scelere liberauerit inimicos suos: quia declarauerit voluntatem suam de bello: quia ostenderit se moderatiorem esse, quam fuissent Pompeiani.

Quare gaude tuo isto tam excellenti bono] Amplificatur laus clementiæ, & ostenditur esse magna; quod sit excellens bonum: quod a natura, & moribus optimis proficiscatur: quod a virtute donata videatur.

IN SECVNDAM PARTEM FIDEI.

NVnc *venio ad atrocissimam querelam*] Hæc pars est potius iudicialis, quam demonstratiua, defenditq; illos, de quibus Cæsar suspicionem habebat, ac continet statum coniecturalem; An aliqui cogitarent de insidiis contra Cæsarem, & vellent iniuriam facere ipsi Cæsari. Cum autem in genere iudiciali, quod habet finem iustum, & iniustum, tria assumenda esse præcipiat Arist. Quas ob caussas, Qui, & Quibus faciant iniuriam; hoc in loco præcipue argumentum ducitur ab iis, quibus faciunt iniuriam. Nam vt legitur apud Arist. lib. I. cap. 12. inter ceteros faciunt iniuriam illis, qui malefecerunt, vel malefacere voluerunt. At Cæsar non malefecit nec amicis suis, qui eo duce summa omnia sunt adepti: nec inimicis, quibus ipse salutem insperantibus reddidit, quiq; eius misericordia vitam retinuerunt. Ergo Cæsari non erant facturi iniuriam nec amici, nec qui fuerant inimici. Argumentum quoq; est ab vno

de locis Topicis, id est a partium enumeratione, quibus sublatis illud conficitur, neminem esse, qui id sceleris cogitet. Nam aut amici, aut inimici eam cogitationem habent, vt de medio tollant Cæsarem. At de amicis id non est credibile. Inimici vero nulli sunt, cum aut perierint in bello, aut amicissimi facti sint. Ergo nulli tantum cogitant scelus.

IN TERTIAM PARTEM FIDEI.

Sed tamen cum in animis hominum tantæ latebræ sint] Hæc pars deliberatiua est de vita Cæsaris conseruanda. Cumq; finis generis deliberatiui sit vtile, & inutile; & vtile definiatur lib.1. cap.8. quod ciuitatem conseruat, ostenditur ad patriæ conseruationem pertinere, vt Cæsar se ipsum conseruet. Deliberationum autem proprius status est negotialis; An oporteat aliquid facere, vel non facere, dare, vel non dare, vt Hermogenes tradidit. Quæritur ergo in hac parte; An oporteat Cæsarem conseruare salutem suam. Ac dicebat quidem Cæsar, non oportere, quia satis diu vixerat. Responsio vero Ciceronis est, oportere, quia ille quidem satis diu vixit naturæ, vel gloriæ: sed non patriæ: immo ne gloriæ quidem satis: immo ne diu quidem.

Omnia sunt excitanda tibi] Probatur Cæsarem non satis diu vixisse patriæ, argumento ducto ab eo, quod fieri non potest; cuius propositiones tametsi communes sunt omnibus caussarum generibus: deliberatiuo tamen maxime congruunt. Belli vulneribus mederi nemo potest præter Cæsarem. Ergo Cæsar est conseruandus, vt illis medeatur, & is non satis diu vixit patriæ. Erat tunc Cæsar annorum quinquaginta quinque, auctor Suetonius.

Quid, si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est?] Probatur Cæsarem non satis diu vixisse gloriæ, argumento ducto a definitione ipsius gloriæ, vt perfecta gloria non sit, nisi perficiantur merita.

Quid est enim omnino hoc ipsum diu? Probatur Cæsarem non vixisse diu a definitione ipsius diu, quod proprie dici non potest, vbi est aliquid extremum, vt in hac vita nostra. Et a caussa ad effectum, quia Cæsar semper immortalitatis amo-

tis amore flagrauit. Ergo debet posteritati seruire, & se ostentare.

IN QVARTAM PARTEM FIDEI.

DIuersæ voluntates ciuium fuerunt] Redit Cicero ad statum coniecturalem, & argumentatur a præcedentibus, & adiunctis de voluntate ciuiũ erga Cæsarem. Nam perfuncta est Resp. misere, fatalique bello. Vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret. Armorum periculo omnes liberati sunt. Omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris. Nisi Cæsare saluo, & in benigna sententia manente ciues salui esse non possunt. Ergo adiungitur, vt omnes vnum velint de salute Cæsaris. Hanc partem quidam faciunt perorationem. Tamen, quæ pars valet ad probandam causam, peroratio non est.

Sed, vt vnde est orsa, in eodem terminetur oratio mea] Probat omnes agere gratias Cæsari a signis, id est, precibus, & lachrymis.

Sed, quia non est astantibus omnibus necesse dicere, a me certe dici volunt] Probat se necesse habere Cæsari gratias agere, ab adiunctis, quod adstantes ita velint: quod sentiat omnium lætitiam non vt de vnius solum, sed vt de communi omnium salute: quod si præstitit summam beneuolentiam in dubitatione salutis, debet etiam præstare in conseruatione.


XII. DE PERORATIONE.

SVpra notauimus ex doctrina Aristotelis perorationem generi demonstratiuo minime conuenire; illam scilicet, quæ præstat quatuor munera superius commemorata. Explicatores tamen vltimam partem, qua gratiæ aguntur Cæsari, quæque continet præcipuum negotium huius orationis, appellant perorationem. Quam recte, aliorum sit iudicium.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIUS DECIMUSSEXTUS EXPLICANS RATIONEM QUÆSTIONUM IUDICIALIUM.

I.

TENENDA RES, QUA DE AGITUR.



VICUNQUE iudicialem caussam acturus est, debet primũ eam diligẽter, penitusq; cognoscere, eaque omnia tenere, quæ in eiusmodi causa insunt, atq; eius sunt propria. Id aperte docuit Cicero sub persona M. Antonij lib. 2. de orat. & docuit Arist. lib. 2. Rhet. cap. 22. vbi cum præcepisset, tenenda esse τὰ ὑπάρχοντα, id est, ea, quæ insunt tum in genere deliberatiuo, tum in demonstratiuo, addidit; Eodem modo & accusantes, & defendentes, dum ex insitis considerationem habent, accusant, & defendunt. Rationem vero eorum inuestigandorum, quæ insita, & selecta, opportunissimaque sunt, in causis iudicialibus, idem tradidit Cicero. Nam apud eum M Antonius, dum oratorem deducit ad causas, & eas quidem, in quibus plusculum est negotij, iudiciorũ, atque litium, eiusmodi rationem aperit; atque ipsius contemptionem oratorum tribuit tum negligentiæ, tum perfidiæ, tum turpitudini; simulque consuetudinem suam in causis pernoscendis narrat. Cuius verba quoniam ad id, quo de agimus, maxime pertinent, hic adscribentur. Sic
„ enim legitur de cognitione causarum; Hoc in ludo non
„ præcipitur: faciles enim causæ ad pueros deferuntur. Lex
„ peregrinum vetat in murum ascendere; ascendit: hostes
„ repulit: accusatur. nihil est negotij huiusmodi causam co-
„ gnoscere. recte igitur de causa discenda præcipiunt. hæc
„ est enim in ludo causarum fere formula. at vero in foro tabulæ,

bulæ, testimonia, pacta, conuenta, stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in causa versantur, cognoscenda est. Et de contemptione earum rerum, quæ cognoscendæ sunt; Quarum rerum negligentia plerasq; causas, & maxime priuatas (sunt enim multo sæpe obscuriores) videmus amitti. ita nõnulli, dum operam suam multi æstimari volunt, vt toto foro volitare, & a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. in quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiæ susceptis rebus, vel perfidiæ receptis: sed etiam illa maior opinione, quod nemo potest de ea re, quam non nouit, non turpissime dicere. ita, dum inertiæ vituperationem, quæ maior est, contemnunt, assequuntur etiã illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis. Et de consuetudine M. Antonij; Equidem soleo dare operam, vt de sua quisq; re me ipse doceat; & vt ne quis alius adsit, quo liberius loquatur; & agere aduersarij causam, vt ille agat suam, &, quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque, cum ille discessit, tres personas vnus sustineo, summa animi æquitate, meam, aduersarij, iudicis. qui locus est talis, vt plus habeat adiumenti, quam incommodi, hunc iudico esse dicendum. vbi plus mali, quam boni reperio, id totum abiudico, atque reiicior. ita assequor, vt alio tempore cogitem, quid dicam, & alio dicam: quæ duo plerique ingenio freti simul faciunt: sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum, putarent. Hæc ille.

II.
TENENDÆ PROPRIETATES GENERIS.

CVm res cognita est, debet statim animo occurrere, quæ sit natura eius generis, in quo futura oratio est. Quæ quidem natura ex quatuor proprietatibus cognosci potest. Quamobrem in hoc etiam genere debemus inspicere proprium finem, scilicet iustum, & iniustum. De aliis enim, inquit Arist. lib. 1. cap. 3. interdum non controuersabuntur, vt litigans se non fecisse, aut non nocuisse: at se iniuste fecisse, nunquam confitebitur. nihil enim esset, cur iudicium haberetur. Debemus cogitare agendum esse de

rebus præteritis, id est, de iis, quarum demonstratio est magis necessaria: habet enim, vt idem ait lib.3.cap.17. quod factum est, necessitatem. Debemus considerare, quam partem suscepérimus, vel accusationem, vel defensionem, vel petitionem, vel recusationem, ne, quod proprium est eius partis, quæ a nobis suscepta fuerit, omittatur, neve ea potius dicantur, quæ pro aduersario, quam quæ pro nobis faciant. in quod vitium sæpenumero incurrunt imperiti oratores, vt non magis suam, quam aduersariorum agere causam videantur. Debemus rationem habere eorum, apud quos dicendum est, qui cum sint iudices rerum alienarum, vt attentius audiant, maiori artificio indigent oratoris; quod docuit Aristot. lib.1. in proœmio, vbi cum de genere deliberatiuo sic scripsisset; Nihil aliud opus est, nisi demonstrare rem ita se habere, vt is, qui consulit, ait; addidit in hunc modum; In iudicialibus vero id non est satis: sed operæ pretium est, auditorem arripere: de alienis enim iudicium est. Quemadmodum autem ratione rerum, quæ tractantur, ceteris causarum generibus Arist. prætulit deliberatiuum: ratione vero accuratissimæ elocutionis demonstratiuum: Sic ratione gloriæ oratoris Cicero anteposuit iudiciale his verbis; Sed, cum sint plurima causarum genera, quæ eloquentiam desiderant; multique in nostra Rep. adolescentes & apud iudices, & apud senatum dicendo laudem assecuti sint: maxima admiratio est in iudiciis.

III.

TENENDA CONTROVERSIA SEV STATVS CAVSAE.

CVm res ipsa, & genus causæ patet, cognoscendum est, quæ sit causa ambigui, id est, quæ constitutio, vel status, vel, vt vocatur ab Aristotele, ἡ ἀμφισβήτησις, & controuersia. Nihil enim est, vt apud Ciceronem lib.2. de orat. ait M. Antonius, quod inter homines ambigatur; siue ex crimine causa constet, vt facinoris: siue ex controuersia, vt hæreditatis: siue ex deliberatione, vt belli: siue ex persona, vt laudis: siue ex disputatione, vt de ratione viuendi: in quo non aut quid factum sit, aut fiat, futurumve sit, quæratur: aut quale sit: aut quid vocetur. Aristoteles vero commemorat quatuor controuersias; Non fecisse: Non nocuisse:

nocuisse: Non tantopere: Non iniuste. Ac Hermogenis quidem doctrina de statibus est peregregia, & præclara; & pertinet in primis ad tractationem generis iudicialis; idcircoque operæ pretium nos facturos duximus, si hoc in loco eam quambreuissime, & quam planissime in studiosorum aspectum produceremus, vt fecimus in hunc, qui sequitur, modum.

DE STATIBVS EX HERMOGENE.

Controuersiæ sunt vel { de personis. / de rebus. }

Τὰ πρόσωπα σύστατα.

Personæ, quæ statum faciunt, sunt septem generum.

1. Finitæ, & propriæ, quæ magnam vim habent ad statum faciendum, vt: Pericles: Demosthenes: Clodius: Verres.
2. Quæ sunt ad aliquid, pater, filius: dominus, seruus.
3. Quæ infames; prodigi, adulteri, assentatores.
4. Quæ morales, agricolæ, gulosi.
5. Quæ per complexionem duorum appellatiuorum, vt: iuuenis diues: mulier fucata: mercator auarus.
6. Quæ per complexionem personæ, & rei.

Adolescentulus fucatus accusatur prostitutæ pudicitiæ.

7. Quæ per simplex appellatiuum, Imperator; Orator.

Hæc attributa personis veniunt in quæstionem, aut secundum vnum, id est, singula: aut secundum plura.

Τὰ πρόσωπα ἀσύστατα.

Personæ, quæ statum non faciunt, sunt duorum generum.

1. Infinitæ, vt: quidam, aliquis.
2. Quæ ab omni parte se æquant, vt: duo iuuenes

diuites, si mutuo se in aliqua re accusauerint: duo auari senes de fœnore.

Nam quod alter in alterum dicet, itidem & alter dicere poterit.

Quæ habent potentissimam quæstionem, enumerantur tria.

1 In quibus aliquis accusatur, vt qui ipse fecerit.

Sepeliens corpus nuper interfectum in deserto deprehensus est, & cædis accusatur.

2. In quibus cum alius egerit, in ipsum refertur quæstio.

Fortissimi viri statuam in publico posuerunt hostes: ille proditionis accusatur.

3 Quæ inter talia sunt, vt:

Scripsit in rationibus pericles se consumpsisse quinquaginta talenta: Archidamus a Lacedæmoniis largitionis accusatur.

Prodigus in patrem ignobilem natum cædis accusatur.

Τὰ πράγματα ἀσύστατα.

Res, quæ non faciunt statum, octo generum sunt.

1. Æquatum ex vna parte tantum.

Vel ex rebus tantum, vt: duo iuuenes, alter pauper, alter diues, vterque pulchram vxorem habēs, inuicem se deprehenderunt, alter ex alterius domo, prodeuntes, & accusant se inuicem adulterij.

Vel ex personis tantum, vt: Leno decem iuuenes petulantes domi suæ ὀρυγματοποιήσας fossionem faciens cum suscepisset, interfecit, & cædis accusatur.

2. Æquatum ab omni parte.

Duo iuuenes diuites habentes pulchras vxores inuicem se deprehenderunt, alter ex alterius domo, exeuntes, & accusant se inuicē adulterij.

3. Secundum æquiualens.

Quærit quis debitum, & fœnus. Qui depositum fatetur, dicit se fœnus non debere. populus debitorum decisiones sanxit. ille depositum

quæ-

quærit. ille respondet, se vt debitum non debere.

4. Secundum dubium, cuius non est solutionem habere, nec terminum Alexander somnians vidit, somniis non esse credendum.

5. Secundum id, quod persuaderi non potest.

Si Socratem quis fingeret lenocinium exercentem: & Arestidem iniuriam facientem.

6. Secundum id, quod fieri non potest.

Si Siphnios, vel Maronitas diceret quis de imperio Græcorum decernere, ac Pythium mentiri.

7. Secundum admirabile, & turpe, & infame.

Quidam, qui locauit vxorem suam, non accipiens mercedem locationis, vocat in iudicium conductorem.

8. Secundum id, quod sine statu est.

Exheredat quis filium sine vlla caussa.

Ἐγγὺς ἀσυστάτων.

Adduntur quædam vicina illis, quæ statum non recipiunt.

1. In alteram partem vergens.

Confugiente Critia ad Harmodij, & Aristogitonis statuas, decernunt Athenienses, an oporteat euellere.

2. Male fictum.

Post Niciæ epistolam scribit aliquis Cleonem fugisse. Vel rursus proponitur Mardonio redeunti post conflictum defensio apud Regem: At mortui sunt, Cleon pro Siculis, Mardonius, priusquam redirent fugantes Persas.

3. Quod iudicio præripitur.

Cum nemo posset scire aditum ad tyrannum, ostendit vxor quædã marito suo. Hic vero aggressus interfecit illum, & adulterij illam accusauit.

In genere deliberatiuo ex doctrina Hermogenis omnium statuum descriptionem fecimus, & singulorum exempla adscripsimus.

Hic eorum tractationem obseruare debemus.

DE STATV CONIECTVRALI.

TRactatio ſtatus coniecturalis conſtàt partibus decem.

1. Παραγραφικῷ, exceptione, quæ ſolet eſſe ante litis conteſtationem.
2. Ε'λέγχων ἀπαιτήσει, probationum refutatione, & confirmatione.
3. Βουλήσει, voluntate.
4. Δυνάμει, poteſtate.
5. Τοῖς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, iis, quæ ſunt a principio, vſq; ad finem.
6. Α'ντιλήψει contraſumptione.
7. Μεταλήψει, tranſumptione.
8. Μεταθέσει αἰτίας, tranſlatione criminis.
9. Πιθανῇ ἀπολογίᾳ, probabili defenſione, & excuſatione.
10. Ποιότητι κοινῇ, qualitate communi.

PRIMA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

ΠΑραγραφικὸν, & exceptio cadit in cauſſas coniecturales ante litis conteſtationem quatuor modis.

1. Α'πὸ τοῦ λείποντος, ab eo, quod deeſt.
2. Α'πὸ τοῦ ὑπερβάλλοντος, ab eo, quod exuperat.
3. Α'φ' ὧν ἕτεροι ἐποίησαν, ab iis, quæ alij fecerunt.
4. Κατὰ χρόνον, ſecundum tempus.

Exempla.

1. Prodigi pater non viſitur: filius cædis accuſatur: petit oſtendi, an mortuus ſit.

2. Decem iuuenes coniurarunt de vxore non ducenda: malæ vitæ accuſantur: quilibet ipſorum ſeparatim quæri poſtulat.

3. Vir quidam fortiſſimus, cui ſtatuam hoſtes in publico collocarunt, accuſatur proditionis.

4. Quidam accuſatus cædis impune abiit: poſt petenti oraculum deus reſpondit; Homicidis oraculum non do: rurſus accuſatur: ſed lex vetat eundem bis eodem crimine accuſari.

Noſtra tamen ætate licet bis accuſari: nam dimittuntur in-

tur interdum rei, vt vulgo aiunt, PRO NVNC. Veteres in talibus vtebantur his literis, N.L. id est, Non Liquet.

SECVNDA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Ἔλεγχων ἀπαίτησις, & probationum refutatio, vel confirmatio locum habet statim post contestationem litis. Nam producuntur vulgo dicta capitula, quæ probantur testibus, & monumentis tabularum.

Testes { Vel sunt { Liberi, vt: pro Flacco, pro Fonteio. / Serui, vt: pro Deiotero, pro Milone. } / Vel non sunt. }

Testes refelluntur { Alios opponendo, vt: pro Fonteio apud Ciceronem. & contra Cononem apud Demosthenem. / Accusando, quod falsum dixerint. }

πρὸς χάριν, ad gratiã. } δι' ἔχθραν, ob inimiciam. } διά τινα οἰκειότητα, ob aliquam cõsanguinitatem. } διὰ κέρδος, ob lucrum. } δι' ἡλικίαν, ob ætatẽ.

Cum adsunt testes, reus se tuetur alios opponendo, alios criminando. Hæc vulgo in processu forensi appellantur OPPOSITIONES TESTIVM. Itidem reus se tuetur his;

1.	Τίς	Quis	Persona.
2.	Τί	Quid	Re.
3.	Πȣ̃	Vbi	Loco.
4.	Πῶς	Quomodo	Modo.
5.	Πότε	Quando	Tempore.
6.	Διότι	Cur	Caussa.

Hæc vulgo INTERLOCVTORIA dicuntur.

TERTIA, ET QVARTA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Ἡ βούλησις, voluntas, ἡ δύναμις, & potentia, sunt ex iis, quæ accidunt personæ, & dicuntur encomiastica.

Persona est duplex { Definita, vt: Cicero, Antonius: / Indefinita, vt: iuuenis, diues, claudus, senex, pauper. }

Encomiastica sunt:
1. Γένος, genus:
2. Ἀγωγή, educatio:
3. Παίδευσις, institutio:
4. Ἡλικία, ætas:
5. Φύσις ψυχῆς, & σώματος; natura animi, & corporis:
6. Ἐπιτηδεύματα, studia:
7. Πράξεις, actiones:
8. Τύχη, fortuna.

QVINTA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, Quæ sunt a principio vsq; ad finem, enumerantur hæc:

1.	Τίς	Quis.
2.	Τί	Quid.
3.	Πῶ	Vbi.
4.	Πότε	Quando.
5.	Πῶς	Quomodo.
6.	Διατί	Cur.

Hæc sunt communia accusatoris, & rei.

Si accusator his omnibus vtitur, factum constat: Si non vtitur, sed prætermittit aliquid horum, factum non constat, sed vacillat.

Si vacillat, reus vtitur illis ad refellendum accusatorem.

Si sunt omnia, & constat factum, reus se tuetur Metalepsi, seu transumptione.

SEXTA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Ἀντίληψις, & contrasumptio cadit in statum coniecturalem, cum conuincitur reus aliqua coniectura, quod sit proditor, & conspirauerit in Remp. Domi enim habet multos enses, thoraces, clypeos, hastas. Respondet: At non est vetitum lege: Licet: & similia.

SEPTIMA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Μετάληψις, & transumptio opponitur antilepsi sic; Licet quidem: Sed non tam multa: & hoc inusitatum est.

Fit au-

Fit autem { Κατὰ τὴν ἔνστασιν, secundum instantiam, & intentionem, vt licet multos seruos alere domi.
Καὶ ἀντιπαράστασιν, & obsistentiam, ac depulsionem, vt licet, sed non tales.

OCTAVA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Μετάθεσις τῆς αἰτίας, translatio criminis cadit super aliquam coniecturam, quam reus inficiari non potest;

Et est trium generum { 1 Ἐν λόγοις, in dictis:
2. Ἐν ἔργοις, in factis:
3. Ἐν πάθεσι, in perturbationibus.

Et spectatur { Vel in iis, quæ alij fecerunt.
Vel in iis, quæ ipse fecit.

1. In dictis: Iuuenis diues noctu personatus, & ebrius præteriens carcerem clamat; Estote bono animo: propediem e vinculis eximemini: fatetur se dixisse: sed non eo animo, quo criminantur aduersarij.

2. In factis: Quidam cadauer inuentum in suo agro sepelit: ait se fecisse pietatis ergo.

3. In perturbationibus: Iuuenis diues arcem intuens flet: accusatur proditionis: diluit ipse, se non fleuisse ob id, quod tyrannum odisset.

Quæ alij fecerunt: Vt de statua posita huic ab hostibus.

Quæ ipse fecit: Pluribus de caussis, vt qui noctu vagatur, furti arguitur: multis enim de caussis potest aliquis noctu vagari.

NONA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Πιθανὴ ἀπολογία, & probabilis defensio continet omnium signorum, & probabilium refutationem, quæ quidem multa esse solent in caussis coniecturalibus. Debent igitur, si in processu forensi sint, in vnum omnia colligi, & refelli, vel confirmari. Nam hæc est communis vtriusq; partis.

DECIMA PARS STATVS CONIECTVRALIS.

Κοινὴ ποιότης, & communis qualitas conuenit epilogo.

Et est vtriusq; partis { Commiserationem excludere. / Commiserationem ciere.

Et ducitur { Ἐκ νομίμου, ex legitimo. / Ἐκ δικαίου, ex iusto. / Ἐκ συμφέροντος, ex vtili. / Ἐκ δυνατοῦ, ex eo, quod fieri potest. / Ἐκ ἐνδόξου, ex laudabili.

DE GENERIBVS STATVS CONIECTVRALIS.

Status coniecturalis aut est finitus ex duabus personis, & rebus, vt: pro Milone, & de falsa legatione inter Æschinem, & Demosthenem.

Aut est infinitus simplex ex solis rebus, vt: aliquis in sepeliendo cadauere in deserto deprehensus capitis accersitur. ex solis autem personis fieri statum infinitum simplicem negat Hermogenes. Ac finitus quidem est, vt de Milone, de Clodio. Infinitus vero de aliquo, vel de aliquibus.

Aut est infinitus duplus ex solis rebus, vt: duo Rhetores ad tyrannum legati mox reuersi mutua criminatione sese legationis accusant; cum alter humi aurum infodere, alter de mala legatione defensionem scribere inuetus esset. Hic æquatæ personæ quæstionem non admittunt: diuersa autem negotia in quæstionem veniunt.

Aut est infinitus duplus ex solis personis, cum de solis personis fit quæstio, vt: Primarius in ciuitate signis veneni defunctus est, cui nouerca erat, & captiua pellex. Hæ mutua criminatione sese accusant. Hic sola voluntas, & potentia quæritur, quæ ipsa natura personæ propria sunt: cetera vero omnia sese æquiparant.

Præterea status coniecturalis duplus habet tres alias species.

Nam est aut ἐμπίπτων incidens, cum in transpositione causæ integra quædam quæstio incidit, & eam perfecte exequi necesse est; vt oportebat pro proditione captum apud præfectum exercitus coerceri, donec proditionis conscios diceret. Corpus pro proditione quidam præfectus apud collegam coercetur. Hic eum interfecit, perinde ac si in v-

xoris

xoris concubitu deprehendisset: & accusatur, quod fuerit conscius proditionis.

Aut προκατασκευαζόμενος, præparatus, cum ante quæstionem aliquam aliam necesse sit rem cöiecturaliter præparari, an sit, necne, vt diues præfectus exercitus pauperis inimici tres filios tamquam proditores cepit; duos, qui nihil confitebantur, inter maximos interfecit cruciatus: tertium ante cruciatus, dum proditionem confitetur, vna mori coegit: & patrem non prodeuntem accusat, quod fuerit conscius proditionis.

Aut συγκατασκευαζόμενος simul paratus, cum signa negotij inuicem parantur, vt oportebat captiuos in Thesmophoriis solui, quæ erant sacra Cereris, quorum die captiui soluebantur vinculis. Quidam cum suspicatus esset adulterium, seruũ vxoris in vincula coniecit. is vinctus in Thesmophoriis soluitur. eo ab vxore profecto, vir mortuus inuentus est. Vxor accusatur, quod conscia fuerit cædis. Hinc a seruo propter adulterium eum interfectum esse probabitur. Illinc adulterium negabitur, cuius causa a seruo necatus dicatur. Diuiditur a præparato; quoniam illic diuiduntur inuicem quæstiones: hic parantur inuicem omnia.

Est etiam coniectura τῆς γνώμης, id est, animi, vt vocat Quinctilianus. Atq; hic est status, qui continet eas controuersias, quæ vulgo dicuntur, CASVS COGITATI.

DE STATV DEFINITIVO.

Definitiuus status habet capita hæc;

1. Προβολὴν, intentionem:
2. Ὅρον, definitionem:
3. Ἀνθορισμὸν, contrariam definitionem:
4. Συλλογισμὸν, ratiocinationem:
5. Γνώμην νομοθέτου, sententiam legislatoris:
6. Πηλικότητα, quantitatem:
7. Πρός τι, ad aliquid:
8. Ποιότητα, qualitatem:
9. Γνώμην, animum.

Exemplum.

Philosophus persuasit Tyranno, vt Tyrannide se abdicaret: petit præmium, tamquam Tyrannicida.

1. Προβολὴ, intentio est; Ademi Tyrannidem: oportet me præmio ornari.

Continet τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, quæ sunt a principio vsque ad finem.

Τίς	Quis.	Quæ valent ad rem exaggerandam.
Τί	Quid.	
Πῦ	Vbi.	
Πῶς	Quomodo.	
Ποτε	Quando.	
Διάτι	Cur.	

2. Ὅρος χωρίζει τὸ πρᾶγμα, definitio separat rem, & ostendit aliter se habere, quod hoc non sit interficere Tyrannum.

3. Ἀνθορισμὸς, contraria definitio; Immo est hoc, παῦσαι τυραννίδα, efficere, vt cesset Tyrannis.

4 Συλλογισμὸς συνάγει ἄμφω, ratiocinatio colligit in vnum vtrumque. Nihil enim inter se differre hæc, contendit, qui præmium petit, ita vt syllogismus cum definitione certet.

5. Γνώμη νομοθέτου, sententia legislatoris exquiritur ab vtroque, & trahitur ad id, quod vtriq; conducit.

6. Πηλικότης, ὅτι μέγα τὸ γεγονὸς, Quantitas, quod id, quod factum est, magnum est.

7 Πρός τι, ad aliquid. Quid maius est, quã pellere Tyrannum sine tumultu?

8. Ποιότης, qualitas sumitur ab attributis personæ, quæ ἐγκωμιαστικὰ, id est, laudatiua dicuntur, de quibus dictum est ante in tractatione status coniecturalis.

Persona est { vel finita. / vel infinita.

Si finita persona sit, qualitas sumetur ab omnibus laudatiuis: si infinita, a quibus poterit.

9. Γνώμη, animus pariter in vtroque exquiretur; Quo animo quid factum sit.

DE GENERIBVS STATVS DEFINITIVI.

Status definitiuus aut simplex est, vt qui modo notatus est: aut duplex, quinq; modis.

1. Ἀντονομάζων, ex contrariis nominibus, cum reus nomen nomini opponit, non furti, sed sacrilegij, non sacrilegij, sed furti.

2. Κατὰ σύλληψιν, secundum comprehensionem, quo complectimur vtrumque, vt Demosthenes in Midiam simul complectitur ὕβριν, καὶ δημόσιον ἀδίκημα, iniuriarum actionem, & maiestatis.

3. Κατὰ πρόσωπα, secundum personas in hunc modum; Lex est, vt sacerdotis filius succedat patri, & potiatur sacerdotio.

Caius sacerdotium possidet, & filium habet.

Lucius ἀριστεύων, id est, de Rep. optime meritus virtutis præmium petit illius sacerdotium: lex enim est, vt ἀριστεύων petat, quod ipsi libuerit. Datur Lucio, qui & filium habet.

Filij vtriusque sacerdotium petunt.

Definit ille succedo patri, qui fuit sacerdos ante.
Definit hic succedo patri, qui mortuus est in sacerdotio.

4. Ἐμπίπτων, incidens sic; Non initiatus in somnis vidit mysteria. interrogauit sacerdotem, an illa essent mysteria. Is affirmauit. Accusatur, quod mysteria detexerit non initiato.

Definitio { Quis detegat.
Quis sit ἀμύητος.

5. Δύο ὅροι, duæ definitiones, cum quæstio est circa vnũ hominem duarum appellationum.

Lex est, vt καθαρὸς ἐκ καθαροῦ, purus ex puro, initietur sacris.

Patrem adulterum filius cum sua vxore deprehensum perimit. Arcetur a sacris.

Definitio { An sit purus:
An sit ortus ex puro.

Pro Cæcina definitio { An, qui metu aufugerit, dicatur deiectus.
An, qui non tetigerit, dicatur deiecisse.

DE STATV GENERALI IN RATIONE IVRIDICIALI. NAM NEGOTIALIS IN GENERE DELIBERATIUO EXPLICATUS EST.

Status iuridicialis duplex eſt.

1. Ἀντίληψις, ſtatus abſolutus, vt iniuſte feciſti, iuſte feci.
2. Ἀντίθεσις, ſtatus aſſumptiuus, qui foris aſſumit defenſionem.

DE STATV IVRIDICIALI ABSOLVTO.

Ἀντίληψις, ſtatus abſolutus conſtat his partibus;

1. Προβολῇ, intentione, Vt: pictor quidam naufragium pinxit, ante portum repoſuit, & nemine applicante, publicarum iniuriarum accuſatur. quæ ſit intentio, patet.
2. Μορίοις δικαίου, particulis iuſti, qualis illa; Non oportet earum rerum accuſari, quas nulla lex prohibuit.
3. Προσώπῳ, perſona, vt: Non oportet accuſari priuatos, ſed oratores, legatos, præfectos.
4. Ὅρῳ, definitione, quod in aliis ſunt publicarum iniuriarum accuſationes, vt: naues, mœnia, ſocios, ſimilia prodere.
5. Συλλογισμῷ, ratiocinatione, vt: quod hæc, & illa publica iniuria ſit, & nihil differat.
6. Γνώμῃ νομοθέτου, ſententia legiſlatoris; quæ ſi incidat, vtrique eſt vſurpanda.
7. Πηλικότητι, quantitate, quæ magnum eſſe oſtendit, quod factum eſt.
8. Πρός τι, ad aliquid, vt: Nemine mercatorum applicante, in ſumma rerum omnium egeſtate, quæ victui neceſſariæ ſunt, ciuitatem conſtituere, maius eſt facinus, quã naues, & mœnia prodere.
9. Αὐτῇ τῇ ἀντιλήψει, ipſa contraſumptione, vt: Licet, & nulla lex prohibet.
10. Μεταλήψει, tranſumptione { per inſtantiã; Nõ licet: / per obſiſtẽtiam; Etſi licet, tamen non in his. }
11. Ἀντιθέσει, oppoſitione, hoc modo. Feci, vt nauigantes ſcirent, quibus malis poſſent periclitari.

12. Ἑτέρα

12. Ἑτέρᾳ μεταλήψει, altera transumptione, quod aliter oportebat consulere.

13. Θέσει, positione, vt: Quenque pro viribus adiumento esse oportet ciuitati.

14. Ποιότητι, qualitate, quæ exquiritur ex attributis personæ, de quibus supra.

15. Γνώμῃ, animo, vt: Quo animo factum sit.

DE GENERIBVS STATVS IVRIDICIALIS ABSOLVTI.

Status absolutus { aut simplex est. / aut duplex.

Simplex aut ab ipso facto accusationem habet, vt: Alcibiades post illa, quæ ad Cyzicum profectus perpetrauit, cũ in poculis haberet illa, quæ circa Siciliam comparauerat, publicarum iniuriarum accusatur.

Aut ab ipso facto, & ab aliquo alio superueniente, vt: de pictore, qui naufragia pinxit, & postquam nemo applicuit, accusatus est.

Duplex est aut κατὰ συμπλοκὴν, secundum coniunctionem, cum duabus existentibus accusationibus altera separatim esse non potest, vt: omnium sententiis quis contradicens ipse nihil dicit, & publicarum iniuriarum accersitur. Defensoris est diuidere, & separatim de vtroq; verba facere. Accusatoris est vtrumque complecti, & commiscere.

Aut κατὰ διαίρεσιν, secundum diuisionem, cum duo crimina separatim, alternatimque accusationem possunt recipere, vt: Multas quis vxores permutauit, multosq; filios edidit: malæ vitæ accusatur. Accusatoris est vtrumq; coniungere. Defensoris est diuidere.

DE STATV IVRIDICIALI ASSVMPTIVO.

Ἀντίθεσις, oppositio, & status iuridicialis assumptiuus, est quadruplex.

1. Ἀντίστασις, &, vt a Cicerone appellatur, comparatio, cum reus fatetur factum, ὡς ἀδίκημα, & opponit aliud κατόρθωμα, vt: Horatius, qui sororem interemit.

2. Ἀντέγκλημα, & relatio criminis, cum reus fatetur se peccasse, sed refert crimen in aduersarium, qui passus est.

3. Μετάστασις, & remotio criminis, cum reus transfert crimen in alium, vt ad præscriptum diem iussus redire, cum pecunia; transfert crimen in quæstorem, qui pecuniam non numerauit.

4. Συγγνώμη, & concessio, cum reus postulat sibi ignosci.

Hęc apud Ciceronem habet duas partes, purgationem; & deprecationem.

Purgatio est, cum quis se excusat, quod egerit casu, imprudentia, necessitate.

Deprecatio est, cum excusatio nulla adhibetur, & nihilominus petitur, vt ignoscatur.

Iustæ excusationes temperant leges, vt docent iurisconsulti in delictis, in contractibus, in testamentis.

Ac casus quidem excusat, quemadmodum, cum quis, volens interficere auem, interfecit hominem.

Imprudentia etiam excusat, & idcirco lege Cornelia iniuriarum non tenebitur, qui matronam, ex habitu suspicatus meretricem, scortum appellauerit. Non appellabitur receptator, qui ignorauerit cædem ab eo patratam. Non erit reus incesti, qui ignorabat se cum ea iunctum affinitate. Tyroni ob ignorātiam rei militaris facilius ignoscitur. Qui exulem occiderit nesciens restitutum esse, venia dignus est. Sic ignorans esse exulem, si perimat, præmium non adipiscitur. Regula est; Ignorantia facti probabilis efficit, vt pœnæ non sit locus.

Necessitas quoq; interdum excusat. Si quis fame adigente furtum fecerit. Si quis metu belli turrim sacram munierit. Si monachi in templa receperint hospites. Notati infamia ob necessitatem interdum admittuntur ad magistratus maxime militares. Res prohibita alienari aliquando ob necessitatem alienatur. Milites interclusi sine iussu ducis pugnant necessitate coacti. Miles interclusus torrente ad diem præscriptum non rediit. Quid? si miles deprehendatur, qui militat sine stipendio, furandi impunitate sibi concessa, an puniendus est? vtiq; nulla enim necessitas eum compulit, vt talem militiam sequeretur.

Deprecatio in legitimis iudiciis defensionem nō habet: in libe-

in liberis disceptationibus habere potest, vt apud Regem, apud Imperatorem.

TRACTATIO CONCESSIONIS PER PVRGATIONEM.

EVndem fere ordinem habent omnes status iuridiciales assumptiui. Concessio autem sic tractatur.

Thesis est; Centurio ad diem præstitutam non affuit amne interclusus: accusatur. Lex est; Qui non adest, fuste cædatur, & missione non honesta mittatur.

1. Προβολή, intentio accusatoris; Non affuisti ad diem præstitutam.

2. Ὅρος, definitio vtriusq;; Qui dicatur non adesse ad diem præstitutam.

Hic collocanda τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, quæ sunt a principio vsq; ad finem.

Defensor aduersus hæc vtetur διάνοια, id est, sententia, quod non solum res consideranda est, sed etiam, quo animo sic;

Non ob timiditatem:
Non ob proditionem:
Non propter odium:
Sed necessitate.

3. Ἀντίθεσις, oppositio accusatoris; Talibus delictis non est ignoscendum, cum de salute Reip. agatur.

Defensoris; Inimo ignoscendum ob necessitatem: nec enim delicta sunt.

4. Ἑτέρα διάνοια, altera sententia accusatoris; Non propter hoc, sed propter aliud non rediisti.

Defensoris; Non propter aliud, sed propter hoc.

Testes adsunt in hunc locum;

Amnem non potuisse eo die traiici:
Illum ad ripam præsto fuisse, vt transiret:
Nautam compellasse:
Nautam noluisse committere se fluuio:
Tranari non potuisse.

5. Μετάληψις, transumptio accusatoris, quod ante traiiciendum erat, quam imbribus augeretur amnis.

6. Τὰ πρός τι, quæ sunt ad aliquid, accusatoris, vt quod hoc maius est, quam deserere aciem.

7. Βίαιος ὅρος, violenta definitio accuſatoris, quod hoc eſt perdere Remp. Defenſoris, quod qui omnia effecit, vt rediret, videtur rediiſſe.

8. Θέσις, poſitio accuſatoris; Oportere centurionem vigilantem eſſe, & in tempore adeſſe, vt Remp. iuuet. Defenſoris, Neceſſitatis magnam eſſe vim.

9. Ἑτέρα μετάληψις, altera tranſumptio accuſatoris; Oportebat hoc ſignificari Imperatori.

10. Ἀντίληψις, contraſumptio defenſoris; Non potuit ſignificari. Nam ſi potuiſſet tranare alius, & ipſe tranauiſſet.

11. Ποιότης, qualitas ab attributis perſonæ.

12. Ποία γνώμη, qualis animus.

Accuſator coniecturas multas inueniet, quibus probet ipſum potuiſſe ante diſcedere, moram traxiſſe, non fuiſſe expectandum illud temporis punctum.

Defenſor diluet coniecturas omnes, & redibit ad ποιότητα, qualitatem.

TRACTATIO CONCESSIONIS PER DEPRECATIONEM.

THeſis eſt; Hippocrates, inſignis Medicus, hominem perimit: accuſatur: damnatur a iudicibus: ad preces populi confugit: & veniam petit a Rege.

1. Προβολή, intentio accuſatoris; peremit hominem crudeliter. Denfenſoris; peremit: ſed dignus venia eſt ob excellentiam.

2. Ὅρος, definitio vtriuſque; Qui dignus ſit venia:
Qui neceſſario inuitus peccat:
Qui cum ſit excellenti virtute, ſemel peccat.

3. Ἀντίθεσις, oppoſitio accuſatoris; Immo talibus minus ignoſcendum. Defenſoris; Immo his ignoſcendum, ne pereat cum his ſcientia, & ars.

4. Διάνοια, ſententia accuſatoris; At non eſt in eo excellens, & rara virtus. Defenſoris; Eſt in eo excellens, & rara virtus.

TESTES.

5. Μετάληψις, transumptio accusatoris; At non ideo licet ipsi ciuem perimere. Vel, At peremit virum eximium.

6. Τὰ πρός τι, quæ sunt ad aliquid, accusatoris, quod minus ignoscendum doctis. Vel, quod maius est malefactum, quam benefactum.

Defensoris, quod habenda ratio virtutis: quod plura benefacta compensari debent malefacto vno.

7. Βίαιος ὅρος, violenta definitio accusatoris, quod virtus in homicida esse non potest.

8. Θέσις, positio accusatoris; Oportere viros in aliqua arte, & scientia excellentes etiam præter ceteros esse temperatos. Et scientiam sine virtute non laudari, nec prodesse, immo nocere.

Defensoris, scientiæ magnam esse vtilitatem: Petito homine nihil esse pretiosius. Difficile esse peritos in aliqua arte inuenire. Ob inopiam talium Remp. sæpe periclitari. Adiumento talium Remp. sæpe seruari. Scientias esse adiumenta vitæ. Sine scientiis, & artibus vitam esse miseram.

9. Ἑτέρα μετάληψις, altera transumptio accusatoris; At perniciosum exemplum inuehetur in ciuitatem.

10. Ἀντίληψις, contrasumptio defensoris; Immo incitabuntur homines ad scientias, & artes perdiscendas. Vel exemplum hoc non late patere: nam rara auis est talis vir.

11. Ποιότης, qualitas ab attributis personæ.

12. Ποία γνώμη, qualis animus.

Accusator dicet, quod sciret se impunitatem adepturũ, ideo adductum ad scelus patrandum.

Defensor, Non eo animo, sed iracundia impulsum.

DE STATV GENERALI LEGITIMO CVM DE SCRIPTO EST CONTROVERSIA.

STatus generalis legitimus apud Hermogenem est quadruplex, ῥητὸν, καὶ διάνοια: ἀντινομία: συλλογισμὸς: ἀμφιβολία. Scriptum, & sententia: contrariæ leges: ratiocinatiuum: ambiguum.

TRACTATIO STATVS LEGITIMI EX SCRIPTO, ET SENTENTIA.

Thesis est; Hospes si muros ascenderit, capite plectatur. Dum in agro hostes essent, quidam muros conscendit, & scalis ascendentes deiecit, vrbemque seruauit accusator.

1. Προβολὴ, intentio accusatoris, Ascendisti muros.

2. Διάνοια, sententia duplici modo exquiritur.

Legislatoris quos intelligat ascēdere, in quibus, cur.
Rei sic non, an ascenderim, solū est inspiciendum, sed etiam quo animo.

3. Τὸ μὴ προσωρίσθαι, quod non est expressum, accusatoris. Nihil tale addidit legislator: sed summatim dixit; Ne quis hospes conscendito muros.

4. Ἑτέρα διάνοια, altera sententia vtriusque; Defensoris, quod non erat opus rem apertam pluribus explicare: Accusatoris, quod prorsus noluit vllum externum conscendere.

5. Συλλογισμὸς, ratiocinatio, quod verba id significant, nec est vlla exceptio.

6. Ὅρος, definitio defensoris, quod valde differt, & prorsus aliud est, muros conscendere, cum hostes non adsunt, & cum adsunt.

7. Ἀντίθεσις, oppositio defensoris; At ipsam vrbem seruauit.

8. Μετάληψις, transumptio vtriusq;; Accusatoris, quod licebat aliter pugnare contra hostes, & legem non violare: Defensoris, quod non licebat.

9. Πρός τι, ad aliquid, vtriusq;; Accusatoris, Vtrum maius beneficium, an delictum; quod delictum maius, patefacta via aliis ad violendas leges: Defensoris, quod beneficium maius.

10. Ὅρος βίαιος, definitio violenta vtriusque; Accusatoris, quod hoc est violare legem: Defensoris, quod hoc est bene mereri de Rep.

11. Θέσις, positio vtriusque; Accusatoris, quod periculosum est recedere a verbis legis: Defensoris, quod licet vnicuique bene mereri de Rep. quouis modo, & tempore.

12. Ἑτέρα μετάληψις, altera transumptio, vtriusque; Accusato-

cusatoris, At licebat hoc petere, a magistratu: Defensoris, At angustia temporis non patiebatur.

13. Ποιότης, qualitas ab attributis personæ, vt cum dicit accusator, At hic improbus: & defensor, At hic probus.

14. Γνώμη, animus, ab vtroque exquiritur ex attributis personæ.

TRACTATIO STATVS LEGITIMI EX CONTRARIIS LEGIBVS.

Ἀντινομία, & constitutio ex contrariis legibus est veluti διπλοῦν ῥητὸν, καὶ διάνοια, duplex scriptum, & sententia. Lex est, Exheredatus patrimonij expers esto.

Item lex est, Qui in naufraga naui remanserit, ea potiri prohibetur.

1. Προβολὴ, intentio ex verbis legis; Tibi exheredato non licet possidere aliquid ex paternis bonis.

2. Διάνοια, sententia, Vt hæredi, non licet: sed vt ἀλλοτρίῳ, & alieno, licet.

3. Ἑτέρα προβολὴ, altera intentio defensoris, Lex iubet, qui in naui permanserit, eius esse nauim.

4. Ἑτέρα διάνοια, altera sententia accusatoris, sed tunc lex concedit nauim, cum ipsa nō est patris, verum alterius; & quando non fuerit aliquis exheredatus.

5. Ὅρος, καὶ συλλογισμὸς, definitio, & ratiocinatio accusatoris, Cur Legislator repellat exheredatum a bonis patris: quod indignum est patri infestum eorum, quæ sunt patris, esse participem.

6. Defensoris, Cur legislator ea, quæ in naui sunt, eius esse statuat, qui permanserit: vt laboret quisq; in naui seruanda; & hoc etiam alij exemplo incitentur.

7. Ἀντίθεσις, oppositio accusatoris, At tu es exheredatus.

8. Defensoris, At permansi in naui.

9. Θέσις, positio, & locus communis defensoris ex descriptione periculi, & tempestatis.

10. Accusatoris, ex deploratione inopiæ patris, & fratrum.

11. Μετάληψις, transumptio defensoris, At nunc tempus non est obiiciendi exheredationem.

12. Accusatoris, At in aliis rebus præmium petere debes, & ab aliis, non a patre.

13. Πρός τι, ad aliquid; Vtra lex ſit ſeruanda.

Vtriuſq;	illa antiqua	hæc noua.
	illa a Solone	hæc ab hoc.
	illa communis	hæc priuata.
	illa in maximis	hæc in paruis.

Vtra ſeruata, alia etiam ſeruabitur.

Vtra non ſeruata, alia etiam corruet.

14. Βίαιος ὅρος, violenta definitio defenſoris; Fuiſſet nauis tempeſtatis, & nullius, ſi ego non ſeruaſſem.

15. Accuſatoris, At ſæpe poſt procellam nauis ſeruatur.

16. Θέσις, poſitio, & cetera capita, ſi incidant, exquirentur ex ſtatibus aſſumptiuis.

TRACTATIO STATVS LEGITIMI RATIOCINATIVI.

Συλλογισμός, & ratiocinatio in hunc modum tractatur; Theſis; Aperte, nominatimq; quempiam carpere in comœdia lex prohibet. Eorum, qui carpuntur, perſonā ſi quis introduxerit, legi ſuccumbat, perinde ac ſi aperte nominaret.

1. Προβολή, intentio; Præter legem carpis ciues.

2. Ῥητόν, ſcriptum; Neminem nominaui: id enim prohibitum eſt lege.

3. Συλλογισμός, ratiocinatio; Nihil differt hoc ab illo.

4. Ὅρος, definitio; Multum differt.

5. Γνώμη νομοθέτου, ſententia legiſlatoris; Aliquid ſibi volens hoc ſcriptor prohibuit.

6. Πηλικότης, quantitas; Magnum eſt hoc.

7. Βίαιος ὅρος, violenta definitio; An hoc ſit aperte nominare.

8. Τὸ πρός τι, & τὰ ἑξῆς πάντα, καθάπερ ἐν τῷ ὅρῳ, quod eſt ad aliquid, & omnia, quæ ſequuntur, quemadmodum in definitione. Plures autem ſunt ratiocinationum ſpecies.

1. Ἀπὸ τοῦ ἴσου, ab æquali, vt quæ modo expoſita eſt.

2. Ἀπὸ τοῦ μείζονος, a maiori, vt: Redeuntes exules interficere licebat. cum redeuntem exulem quidam pulſaſſet, quod præter legem egiſſet, accuſatus eſt.

3. Ἀπὸ τοῦ ἐναντίου, a contrario, vt: ſtrenuo, & optime rem gerenti præmium eſt. Imperator quendam, qui aciem reliquerat, interfecit, capitis accerſitur.

4. Ἀπὸ

4. Ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος, a minori. Mœchos verberare licet: verberans quis interfecit: capitis accersitur.

TRACTATIO STATVS LEGITIMI EX AMBIGVO.

Thesis, Meretrix, si aurum, & monilia gestauerit, δημοσία ἔστω, id est, publica esto. Vel δημόσια ἔστω, id est, ipsum aurum, & ipsa monilia publica sunto. Ambiguum oritur ex accentu.

1. Προβολή, intentio accusatoris, lex iubet te esse δημοσίαν, id est, publicam.

2. Defensoris, Non me, sed aurum.

3. Διάνοια νομοθέτου, sententia legislatoris exquiritur ab vtroq;. Ab accusatore, quod magna pœna hoc facinus esse dignum putauit. A defensore, quod modica pœna, quemadmodum etiam in aliis maleficiis pœnas ordinauit.

4. Περιέχον, & περιεχόμενον, continens, & contentum, quod si meretrix publicata fuerit, etiam ornamenta publica erunt: sed non e conuerso: verum publicatis ornamentis mulier dimittetur.

5. Ἀντίθεσις, oppositio accusatoris; Non debet meretrix eo vti ornatu, quo probæ mulieres.

6. Ποιότης, qualitas, vt quale sit scelus.

7. Γνώμη, animus, vt quo consilio id fecerit meretrix, an sciens, an insciens.

8. Μετάληψις, transumptio defensoris; Non debet vti eo ornatu: quod si vtitur, ornatū amittit, satisq; magnum damnum habet.

9. Locus communis accusatoris, quod non oportet corrumpi mores.

10. Defensoris, quod vbiq; lege permittitur, vt meretrices corpore quæstum faciant.

DE STATV TRANSLATIVO.

Μετάληψις, & status translatiuus duplex est.

Ἔγγραφος, in scripto.

Ἄγραφος, sine scripto.

Status translatiuus ex scripto est, cum in ipsum incidit aliquis status legitimus cum exceptione non euidente. Ex-

ceptio enim aut est euidens, quæ impedit contestationem litis, ita vt lis statim recidatur per ipsam exceptionem. Aut non euidens, quæ non impedit contestationem litis, sed reiicitur in finem.

In non euidentibus solet fieri sponsio, vt pro Cecinna.

Intentio	Non competit interdictū, VNDE VI.
Depulsio	Competit.
Iudicatio	An competat.

Et quoniam affirmat actor competere, reus ait non competere; fit sponsio per depositam pecuniam, quam amittit is, qui causa cadit. Tractatio igitur causæ primariæ ex statu legitimo coniungitur cum statu translatiuo.

Interdum non coniungitur, vt in diuinatione in Verrem, De constituendo accusatore.

Cum autem exceptiones aut sint euidentes, aut non euidentes, primæ sunt peremptoriæ, quæ impediunt contestationem litis, vt cum constat actionem nullam competere actori, quia lex aperte id dicat: vel eius non interest; vel eius rei nulla actio est, & petitio.

Nulla autem exceptio impedit contestationem litis, nisi statim euidenter probari possit: nam si sit controuersa, reiicitur per receptum iudicium.

Ac exceptiones impedientes litis contestationem sic opponuntur a reo;

Cum se negat velle litigare;
Cum longioris temporis interuallo finita res est;
Cum iudicio terminata ante sunt omnia:
Cum transactione res est composita.

Alteræ sunt non peremptoriæ, tamquam controuersæ. Ac exceptiones sunt, quæ efficiunt, vt indicationes, & sententiæ nascantur, vulgo dictæ INTERLOCVTORIAE, antequam ad ipsam contestationem litis deueniatur.

Sunt tamen etiam nonnullæ exceptiones post litis contestationem, vt de testibus, qui reiiciuntur.

TRACTATIO STATVS TRANSLATIVI.

Aριστεὺς, optime meritus de Rep. petiit loco præmij cædem vnius ciuis sibi condonari. Nam lex est; petito, quidquid voluerit: is ante hominem peremerat aliquot annis

annis clam; nec erat patefacta cædes prius: accusatur cædis.

Constat partibus duodecim.

1. Προβολῇ, intentione accusatoris; Homicida es.

2. Παραγραφικῷ, exceptione defensoris; Nolo dicere causam de eo, quod mihi condonatum est.

3. Τῷ κατὰ τὸ ῥητὸν, eo, quod est a scripto, tum accusatoris, At præmia, quæ pollicetur legislator, non sunt huiusmodi: tum defensoris, Immo sunt & hæc præmia.

4. Μεταλήψει, transumptione accusatoris; At non erat concessum, cum peremisti: & est κατὰ χρόνον, secundũ tempus: nec concessisset tibi populus hoc.

5. Συλλογισμῷ, ratiocinatione defensoris, quod nihil differt nunc, an tunc.

6. Ὅρῳ definitione accusatoris, quod multum differt.

7. Ἀντιθέσει, oppositione defensoris; Erat dignus, qui cæderetur.

8. Ἑτέρᾳ μεταλήψει, altera transumptione accusatoris; Oportebat te dicere, & fateri factum, antequam peteres, & dicere illum fuisse dignum, qui cæderetur.

9. Ἀντιλήψει, contrasumptione defensoris, At licebat mihi petere, quodcunque liberet. Nec mihi præscribi oportet, quid petam.

10. Γνώμῃ, sententia legislatoris, qua vtitur tum accusator; At non hæc est sententia legis: tum defensor, Immo est.

11. Ποιότητι, qualitate, quæ exquiritur ἐκ τῶν παρακολουθησάντων προσώπων, ex attributis personæ: & continet amplificationem, siue etiam commiserationem.

Accusator autem damnabit ἀριστέα, optime de Repub. meritum.

Defensor laudabit.

Accusator cæsum extollet, & deplorabit cædem;

Defensor cæsum vituperabit.

12. Θέσει, positione, & loco communi, tum defensoris, Non esse denegandum aliquid huiusmodi hominibus, neque patiendum, ipsos accusari: tum accusatoris; Non impunita oportere esse peccata.

Hæc omnia ex doctrina Hermogenis.

IIII.

INVESTIGANDA ARGVMENTA.

COgnito statu, conuertenda cogitatio est ad argumenta inuestiganda, quæ ducuntur ex quatuor vberrimis quasi fontibus, vel ex propriis, vel ex assumptis, vel ex communibus, vel ex communissimis. Quamobrem primum in genere iudiciali sunt animo perlustrandæ propriæ propositiones talis generis, quæ sunt a fine eius, id est, a iusto, seu æquo, & copiosissime apud Aristotelem declarantur qui cum scriptum reliquerit lib. 1. cap. 10. assumenda esse tria, scilicet IN CONTROVERSIA CONIECTVRALI, Quibus de causis, Qui, Quos afficiant iniuria; & definiuerit iniuriā facere nihil aliud esse, nisi nocere sponte contra legem: primo loco præcepit, septem esse causas actionum humanarum; tres quidem cum homines agunt non per se, fortunam, necessitatem violentiæ, necessitatem naturæ, a quibus, quia non agitur sponte, nulla manat iniuria, quæ sponte est: quatuor vero, cum homines agunt per se, consuetudinem, rationem commodi, iram, cupiditatem, cui proposita est voluptas, de qua in capite vndecimo; a quibus quatuor causis proficiscitur iniuria. Secundo loco in cap. 12. enumerauit illos, qui faciunt iniuriam, & sponte nocent contra legem. Tertio in eodem cap. illos, quibus fit iniuria, quique ab iis, qui sponte agunt, iniusta patiuntur. Quarto in cap. 13. egit DE CONTROVERSIA QVALITATIS, ET DE CONTROVERSIA DEFINITIVA, ac distinxit iusta tum ratione legum, vt spectentur partim secundum legem propriam, eamque aut scriptam, aut non scriptam, partim secundum legem communem: tum ratione hominum, vt pertineant aut ad communitatem, aut ad vnum ex iis, qui communitatis participes sunt. Et post allata exempla controuersiæ definitiuæ, iustorum non scriptorum duas species explicauit, vt illa sint partim secundum exuperantiam virtutis, & vitij: partim supplementum propriæ legis, & scriptæ. Quinto in cap. 14. maiores, & minores iniurias docuit, quod pertinet AD CONTROVERSIAM QVANTITATIS. Postremo in cap. 15. quoniam fides non artificiosa propria est rerum iudicialium, idcirco

quinque

quinque eius ſpecies declarauit, leges, teſtes, pacta, quæſtiones, iuſiurandum, vt pro illis, & contra illa oratores ſciant argumentari. Præter hanc primam inueſtigandorum argumentorum rationem quæ eſt a proprio huius generis fine, iuſto, & iniuſto illa altera adhibenda eſt, vt aſſumantur, quæ in cap. 3. dicuntur ad hæc referri, & a finibus aliorum generum ducuntur, id eſt, ab honeſto, & turpi, ab vtili, & pernicioſo. Et tertia, vt propoſitiones communes perueſtigentur; quæ præclare ab eodem Ariſt. lib. 2. cap. 18. & 19. traditæ ſunt, eius, quod fieri, vel non fieri poteſt, facti, vel non facti, futuri, vel non futuri, magni, vel parui, ex quibus illæ, quæ probant factum, eodem cap. 18. dicuntur iudicialibus maxime conuenire: de rebus enim factis iudicium eſt. Et quarta, vt propoſitiones communiſſimæ, & loci Topici traditi ab Ariſt. lib. 2. cap. 23. & a nobis explicati in primo commentario, animo perluſtrentur ad faciendam copiam argumentorum.

Materia igitur orationem iudicialiũ eſt iniuria in quadruplici controuerſia, ſeu ſtatu cauſſæ, coniecturali definitiuo, qualitatis, & quantitatis.

EX CAP. X. LIB. I.

Tractatur talis materia in ſtatu coniecturali, aſſumptis tribus;

1. Quas ob cauſſas,
2. Qui,
3. Quibus faciant iniuriam.

Quoniam iniuria eſt cauſſa humana, diſtinguuntur actiones humanæ.

1. Ex ſeptẽ cauſſis
   - 1. Fortuna:
   - 2. Neceſſitate violentiæ:
   - 3. Neceſſitate naturæ:
     - Cum homo nõ per ſe agit; & nullam iniuriã facit, quod eſt per ſe, & ſponte agere.
   - 4. Conſuetudine:
   - 5. Ratione cõmodi, quæ dicitur etiam voluntas:
   - 6. Ira:
   - 7. Cupiditate.
     - Cum homo agit per ſe, & efficere poteſt iniuriam.

2. Ex ætatibus { Vt aliæ sint iuuenum, Aliæ virorum, Aliæ senum.

3. Ex prospera, aduersave fortuna.

Aliæ enim sunt { Nobilium, Ignobilium.

Aliæ { Diuitum, Pauperum.

Aliæ { Potentium, Impotentium.

Aliæ { Fortunatorum, Infortunatorum.

4. Ex habitibus animi, vt: aliæ sint, prudentium, imprudentium: iustorum, iniustorum: fortium, ignauorum: temperantium, intemperantium.

5. Ex habitibus corporis, vt: aliæ sint, candidorum, nigrorum, & aliorum similiter.

Ad primam distinctionem redigitur secunda, cum iuuenes agant propter cupiditatem, & alij similiter propter vnam de illis septem causis.

Et tertia, cum diuites, & pauperes agant propter cupiditatem.

Et quarta, cum iusti, & iniusti, & alij similiter agant aut propter rationem commodi, aut propter affectum, vt temperantes propter cupiditates bonas: intemperantes propter cupiditates malas.

Quinta vero nihil habet certi, & firmi, quod de vita, & moribus argumentum præstet, etiamsi quandoque argumententur oratores delectandi causa a corpore, vt Cicero pro Roscio Comœdo de Fannio, & pro P. Sextio de Gallio, & Pisone.

Standum est igitur primæ distinctioni, & intelligendũ est, a tribus prioribus causis iniuriam non proficisci: a quatuor posterioribus proficisci.

1. Quæ

1. Quæ fiunt a fortuna { non habent causam definitam, cur ita fiant: nec certum finem, quo ordinentur: nec fiũt semper, vel plerumque, vt naturalia, & artificiosa. }

2. Quæ fiunt a natura { habent causam in ipsis, vt distinguantur ab artificiosis: & causam ordinatam ad aliquem finem: & fiunt semper, aut plerunq;. }

3. Quæ fiunt vi, sunt { præter cupiditatem: præter rationem commodi. }

4. Consuetudo est: cũ idcirco faciũt, quia sæpe fecerũt.

5. Ratio commodi est: cum aliquid agitur propter vtilitatem: secus si propter voluptatem, etiamsi illud sit vtile; vt intemperantes quidem agunt vtilia quandoque propter voluptatem.

6. Ira requirit vltionem, quę differt a castigatione; quia hæc est causa patientis: illa causa efficientis.

7. Cupiditati proposita est iucunditas.

EX CAP. XI. LIB. I.

Iucunda sunt, vt etiam notatum est pluribus verbis in affectibus generis demonstratiui.

1. Conuenientia { secundum naturam: quia naturale plerumque habet vim efficiendæ propriæ voluptatis: secundum consuetudinem: quia cõsuetum, quasi natura insitum: secundum voluntatem: quia secũdum naturã ęst non violentum. }

2. Quæ hilarant sensum, & phantasiam, vt: Cuius est cupiditas: nam cupiditas est appetitio rei inuidæ.

Et cupiditatęs { aut sunt expertes rationis, vt sitis, & fames. aut cum ratione, quæ ex persuasione concipiuntur. }

Bonum præſens, præteritum, futurum, & malum etiam præteritum.

Iraſci, quod habet ſpem futuri boni.

Omnis fere cupiditas, quæ recordatur, aut ſperat bonum.

Vlciſci, cum dolorem afferat non poſſe vlciſci.

3. Gignentia phantaſiam excellentiæ, vt: Vincere. Ludi, in quibus eſt victoria. Iudicialis, & contentioſa diſputatio etiam ob victoriam. Honor, & gloria. Amicus, quia amare, & amari iucundum eſt. Suſpici propter honorem. Adulari, & adulator, qui videtur amicus.

4. Accommodata
- conſuetudini, vt: eadem agere.
- naturæ, vt: permutare.
- perfectioni humanæ, vt: diſcere, & admirari: quia naturale eſt homini diſcere: & in admiratione cupiditas eſt diſcendi.

5. Pertinentia ad beneficium, vt: Benefacere, & beneficium accipere, illud propter excellentiam: hoc propter conſecutionem eius, quod concupiſcitur. Corrigere proximos, propter beneficentiam. Inchoata perficere, etiam propter beneficentiam.

6. Admirabilia, vt: Quod imitando expreſſum eſt; quia contingit ex eo diſcere. Rerum inclinationes, vt vix ſeruari in periculis propter admirationem.

7. Amica, vt: Cognatum, & ſimile; quia ſecundum naturam: Quiſque ſibi: quia ſi quiſque amat ſimile, & cognatum, multo magis ſe. Cuique ſuum; quia quiſq; ſibi. Inchoata perficere, ſuum reddendo opus.

8. Pertinentia ad principatum, vt: Sapientem eſſe; Principem eſſe, & increpare proximos, propter honorem. Verſari in eo, in quo ipſe ſibi videtur optimus: quia exiſtimat ſe in eo principatum obtinere. Ridicula: quia pertinent ad ludum.

Ex cap. XII. lib. I.

Cognitis cauſis iniuriarum, cognoſcendi ſunt, qui faciunt iniuriam, quatuor modis.

1. Ex

1. Ex quintuplici opinione
- qui putant fieri posse iniuriam.
- & a se posse.
- & se latituros.
- & pœnas non daturos.
- vel daturos quidem, sed minores lucro.

2. Ex inspectione temporis, vt: Qui ante prospere egerunt, quod latuerint, aut nullum damnum habuerint: & ante opinione lapsi sunt: nam sunt parati fortunam rursus tentare. Qui vel prius sentiunt iucundum, & postea molestum, vt intemperantes: vel prius molestum, & postea iucundum, vt continentes, & prudentiores, seu astutiores.

3. Ex spe absolutionis, vt: Qui possunt habere excusationem, quod egerint propter fortunam, necessitatem naturæ, necessitatem violentiæ, consuetudinem, errorem. Qui possunt obtinere æquum sine summo iure.

4. Ex diuersa conditione, vt: Qui indigentes sunt; aut rerum necessariarum, vt: pauperes. aut rerum exuperantium, vt: diuites.

Qui sunt bonæ existimationis, quippe qui non existimabuntur iniuriosi: admodum malæ existimationis, quippe qui non existimabuntur esse peiores.

Præterea cognoscendi sunt: Quibus faciunt iniuriam, &: In quibus potissimum.

Nam faciunt iniuriam
- Abundantibus, ob inuidiam.
- Vicinis, ob comprehensionem velocem.
- Longinquis, ob tardam vltionem.
- Credulis, quia non cauent.
- Socordib⁹, quia ius nō persequūtur.
- Verecundis, quia de lucro non pugnent.
- Non vlciscentibus, quia ignaui.
- Incautis, quia vel nunquam iniuria affecti, vel sæpe.
- Inuisis, quia ius non persequuntur.
- Afferētibus prætextum de offensione, vnde prouerbium, prætextu tantùm eget improbitas.

Amicis, ob facilitatem.
Inimicis, ob iucunditatem.
Indigentibus amicorum, quia aut non conantur inuadere, aut recõciliantur; aut nihil proficiunt.
Quibus initia affectis amici, vel patroni lætantur.
A quibus seiuncti sunt.
Qui ab aliis læderentur, nisi a nobis læderentur, quasi non liceat amplius consultare.
Quibus iniuria affectis aliqua iusta fieri possint; ex sententia Iasonis Thessali.

Iniuriæ autem potissimum fiunt in illis.

1. In quibus omnes, vel multi solent peccare.
2. Quæ facilia sunt ad occultandum.
3. Quæ pudet dicere eos, qui passi sunt.
4. In quibus qui ius persequatur, possit videri litigiosus.

IN STATV QVALITATIS QVATVOR SVNT SPECTANDA.

1. Quæ sint iusta, vel iniusta.
2. Quid iniuriam accipere, & facere.
3. Quæ noxæ.
4. Quomodo crimina distinguantur.

EX CAP. XIII. LIB. I.

1. Iusta considerantur duobus modis, ratione { legum; hominum.

Ratione legum { prout vna est propria { vel scripta, vel non scripta. ; altera cõmunis secundum naturam.

Ratione hominum iusta referuntur, ad cõmunitatem: ad vnum ex iis, qui communitatis participes sunt.

2. Iniuriam accipere est ab iis, qui sponte agunt, iniusta pati. Iniuriam facere dictum est supra nihil aliud esse, nisi nocere sponte, contra legem.

3. Noxæ

3. Noxæ ſunt mala illata ab iis, qui ſponte agunt, & accepta ab inuitis.

4. Crimina, vel ad commune referuntur: vel ad priuatum.

Sunt de eo, quod quis commiſit, aut neſcius, & inuitus: aut ſciens, & ſponte, idq; aut ex prælectione, aut ex aliqua animi permotione, vt: ira.

AFFERVNTVR EXEMPLA STATVS DEFINITIVI.

1. Accepiſſe quidem, ſed non furatum eſſe.
2. Percuſſiſſe, ſed non intuliſſe contumeliam.
3. Concubuiſſe, ſed non commiſiſſe adulterium.
4. Furatum eſſe, ſed non commiſiſſe ſacrilegium.
5. Coluiſſe, ſed non publicum.
6. Collocutum eſſe cum hoſtibus, ſed non prodidiſſe.

Vbi definiendũ eſt:
- Quid ſit furtum.
- Quid contumelia.
- Quid adulterium.
- Quid ſacrilegium.
- Quid publicus ager.
- Quid prodere.

Additur diſtinctio iuſtorum, & iniuſtorum, quæ ſcripta non ſint, eorumq; traduntur duo eſſe genera.

1. Secundum exuperantiam virtutis, & vitij, vt gratiam habere benemerenti, adiuuare amicos, propinquos, patriam; vnde eueniunt laudes, & honores, probra, & ignominiæ.

2. Supplementum propriæ legis, & ſcriptæ, quod dicitur æquum: nam æquum eſt, quod præter legem ſcriptam iuſtum eſt: & contingit duobus modis, inuitis legumlatoribus, quoties propter ignorantiam aliquid omiſerint in lege, volentibus, quoties diſtinguere non poſſint propter infinitatem.

Iam æqua ſunt,

1. In quibus oportet veniam dare.
2. Non iudicare digna æquali pœna errata, & iniurias, neq; errata, & infortunia. Ac infortunia quidem ſunt ſine cogitatione, & ſine malitia. Errata vero non ſine co-

gitatione, ſed ſine malitia. Iniuriæ autem ſunt non ſine cogitatione, nec ſine malitia.

3. Rebus humanis ignoſcere.

4. Non ad legem, ſed ad legiſlatorem reſpicere.

5. Non ad orationem, ſed ad ſententiam legiſlatoris.

6. Non ad actionem, ſed ad prælectionem.

7. Non ad partem, ſed ad totum.

8. Non cuiuſmodi aliquis nunc, ſed cuiuſmodi ſemper, ac plerunq;.

9. Meminiſſe magis quibus bonis affectus ſis, quam quibus malis.

10. Bona magis, quæ acceperis, quam quæ feceris.

11. Eum, qui iniuriam accipiat, patientem eſſe.

12. Malle verbis iudicari, quam factis.

13. Malle ad arbitrum ire, quam ad iudicem. Nam arbiter æquum intuetur: Iudex legem. Eaq; de cauſſa arbiter eſt inuentus, vt æquum valeat.

IN STATV QVANTITATIS cognoſcendæ ſunt maiores, & minores iniuriæ.

EX CAP. XIIII. LIB. I.

Maior iniuria dicitur ſex modis.

1. Ratione animi maxime deprauati, vt: iniurioſus ſit etiam in rebus minimis, quemadmodum ſi quis ſpoliet viatorem propter vnum numum: & vt Calliſtratus accuſauit Menalopum, quod ſurripuiſſet templi constructoribus τρία ἡμιωβέλια ἱερά, tres ſemiobolos ſacros, id eſt, ſeſquiobolum. Vbi obſeruat Philoſophus non eſſe eandem rationem iuſtitiæ, & iniuſtitiæ. Nam iuſtitia eſt maxima in re maxima, minima in re minima: iniuſtitia vero non ſolum eſt maxima in re maxima, ſed etiam in re minima. Id enim ſpectatur facultate. nam qui tres ſacros ſemiobolos furatus eſt, aliam faceret quamcunq; iniuriam.

2. Ratione noxæ, in qua maior noxa, & maius detrimentum allatum ſit. Vt: qui vulnerat, vel interficit hominem, facit maiorem iniuriam, quam qui ei ſurripit pecuniam. Et cuius non eſt æqualis pœna, vt: parricidij. Et cuius non eſt medicina, vt: manus amputatæ. Et cuius non poteſt iudicium obtineri, vt: ſi quis vulneretur a filio Principis.

3. Ratio-

3. Ratione patientis, si is, qui passus est, in se ipsum grauiter animaduertit. Videbitur enim maiori pœna dignus, qui iniuriam intulerit.

4. Ratione agentis
- Si solus egit,
- Si primus,
- Si cum paucis,
- Si sæpe,
- Si dedit caussam nouæ legi, vel nouæ pœnæ.

5. Ratione adiunctorum; Si sit ferina.

Si ex prouisione, consulto, & cogitato facta.

Si continens plures iniurias, vt: Ægisthus cum Clytemnestram sibi commendatam violasset, multa iura sustulit, iusiurandum, quod dederat Agamemnoni, dexterã, quam iunxerat cum eo amicitiæ causa, fidem, quam dederat amico suo, connubium, quod laude colendum est.

Si audax, facta ibi, vbi castigantur, vt: falsi testes; quem enim locum a scelere vacuum relinquent, qui etiam in ipso iudicio scelus admittere non dubitaret?

Si afferens pudorem: maior enim iniuria est, si vxor adulterio vitiata fuerit, aut filia constuprata, quam si pecuniæ fuerint ablatæ.

Si proficiscens ab ingrato animo: plures enim iniurias facit; tum quod malefaciat; tum quod non benefaciat.

6. Ratione violati iuris.

Vt maior iniuria est violare ius non scriptum, quia sit hominis peioris, quod probatur sic; vt melior est, qui seruat ius non scriptum, quod non habet tantam necessitatem, quantam habet ius scriptum;

Sic peior est, qui violat ius non scriptum.

Vel maior iniuria est violare ius scriptum propter alteram rationem a minori sic; Qui in rebus metuendis iniuriam facit, & in iis, quæ pœnæ obnoxiæ sunt, multo magis faciet in iis, quæ non sunt obnoxiæ.

EX CAP. XV. LIB. I.

Ad materiam iudicialem pertinet quoq; fides non artificiosa, & sumitur.

1. Ex iure ciuili, vt: leges.

2. Ex aliquorum auctoritate, vt: testimonia, seu dicta testium.

3. Ex aliquorum conuentionibus, vt: pacta.

4. Ex tormentis, vt: quæstiones.

5. Ex contestatione diuina, vt: iusiurandum.

DE LEGIBVS.

Aut lex scripta facto aduersatur: aut cum facto consentit.

Si facto aduersatur reprehendenda est quatuor modis.

1. Quod iuri communi repugnet, vt: Creontis de non sepeliendo Polynice.

2. Quod sit contraria alteri legi, vt: cum vna lex iubet rata esse quæcunq; homines pepigerunt: altera lex vetat pactiones fieri contra legem.

3. Quod ambigua, vt: Meretrix coronam auream si habuerit, publica esto.

4. Quod consuetudo sit in contrarium.

Si cum facto conueniat, comprobanda est huiusmodi rationibus;

1. Quod optima mente non sit, vt iudex contra legem iudicet, sed, vt, si ignoret id, quod lex dicit, ne peieret.

2. Quod nemo eligat bonum simpliciter, quale est ius commune, sed bonum sibi, & bonum singulare, qualis est lex propria ciuitatis.

3. Quod nihil intersit inter legem non latam, & non obseruatam: nihil enim esset, cur lex ferretur, si non obseruaretur.

4. Quod non tantum noceat error medici, quantum si quis non obedire Principi assuescat, id est legi, per quam mens principis expressa est.

5. Quod studere se esse legibus sapientiorem id sit, quod in probatis legibus prohibetur.

DE TESTIBVS.

Distinguuntur testes quinque modis;

1. Partim sunt antiqui { Vel de rebus præteritis, / Vel de futuris.

Partim

Partim noui { Vel participes periculi, / Vel expertes periculi.

2. Alij sunt { De nobis, / De aduersariis.

3. Alij { De facto, / De moribus.

4. Alij { Amici, / Inimici, / Medij.

5. Alij { Probati, / Infames, / Medij.

Cum quis testes non habeat, poterit dicere;

1. Ex verisimilibus iudicandum esse, & hoc significare, optima mente esse.

2. Non licere argento verisimilia corrumpere, vt magis verisimilibus, quam testibus credendum esse videatur.

3. Nec verisimilia argui, quod falsum dicunt, vt sæpe arguuntur testes.

At cum testes habeat, aduersus eum, qui non habeat, dicet;

1. Verisimilia iudicio subiecta non esse, vt castigentur, quemadmodum sæpe castigantur testes, si verum non dicant.

2. Nihil opus fore testimoniis, si rationes satis rem probarent.

DE PACTIS.

Pacta idonea ostendũtur quatuor præcipuis rationibus.

1. Quod pactum sit lex priuata, & secundum partem, vt seruandum sit, quemadmodum lex seruatur.

2. Quod pacta legem ratam non efficiant, sed leges pacta, quæ cum lege conueniunt, vt ob id a pactis recedendum non esse videatur.

3. Quod omnino lex ipsa pactum sit quoddam, vt qui pactum tollit, legem tollere videatur.

4. Quod pleraque eorum, quæ contrahuntur, & spon-

te noſtra aguntur, ſecundum pacta ſint, vſque adeo, vt his infirmatis, hominum inter ſe ſocietas euertatur.

Non idonea oſtenduntur ſex modis.

1. Quod abſurdum ſit putare, legibus quidem parendum non eſſe, quoties nō recte latæ ſint, ſed qui tulerunt, fraudem fecerint, pactis vero neceſſario parendum eſſe.

2. Quod iuſti diſpenſator ſit iudex, vt nihil aliud ſit ei conſiderandum, niſi id, quod iuſtius eſt.

3. Quod iuſtum inuertere neque fraude, neq; neceſſitate liceat, quippe quod natura conſtitutum ſit: pacta vero & a deceptis, & a coactis hominibus fiant.

4. Quod pactum aduerſetur alicui aut legum ſcriptarum, aut communium, & iuſtis, aut honeſtis.

5. Quod aduerſetur aliis pactis, vel poſterioribus, vel prioribus. aut enim poſteriora ſunt rata, priora irrita: aut priora rata, poſteriora falſa: vtroq; enim modo erit vtile.

6. Quod aduerſetur aliqua ex parte iudicibus.

DE QVÆSTIONIBVS, SEV IIS, QVAE TORMENTIS QVAESITA SINT.

SI quæſtiones pro nobis faciant, eas amplificare licet, quod ſolæ veræ ſint ex genere teſtimoniorum.

Si nobis aduerſentur, & pro aduerſario faciant, earum veritatem poterit aliquis euertere, de vniuerſo dicens genere quæſtionum. Nihil enim minus qui coguntur, falſa, quam vera dicunt. Nam ea, quæ vera ſunt, occultant, qui dolorem tolerant, & qui facile mentiuntur, vt citius requieſcant. Oportet autem habere poteſtatem referendorum ad huiuſmodi res exemplorum, quę illis, qui iudicant, cognita ſint.

DE IVREIVRANDO.

Quidam non offert iuſiurandum tribus argumentis:

1. Quod facile peierent.

2. Quod cum quis iurauerit, pecuniam nequaquam reddat: ipſe vero arbitretur fore, vt damnationem conficiat etiam hominibus non iuratis.

3. Quod melius ſit iudicum periculum ſubire, cum his credat, illis non credat.

Non

Non accipit, tribus argumentis:

1. Quod pro pecuniis iusiurandum sit.

2. Quod si ille improbus esset, iuraret: nam melius est alicuius rei causa esse improbum, quam nullius. iuratus enim pecunias habebit: iniuratus vero nequaquam. Quare non iurare euenit propter virtutem, non propter periuriū.

3. Quod, vt Xenophanes dicebat, non sit æqualis prouocatio impio aduersus pium, sed similis, ac si robustus debilem ad verberandum, vel ad vapulandum prouocaret.

Accipit duobus argumentis.

1. Quod sibi quidem credat, illi vero nequaquam: inuertit enim illud Xenophanis, simile esse, si impius offerat, & pius iuret.

2. Quod graue sit, se nolle iurare iis de rebus, de quibus existimat dignum esse, iuratos iudices sententiam ferre.

Offert duobus argumentis.

1. Quod pium sit, velle deis rem committere: neque opus sit alios iudices rogare, cum ipsi iudicium offerat.

2. Quod absurdum sit, eum nolle iurare iis de rebus, de quibus indicat dignum esse, alios iurare.

Si ab ipso contrarium iuratum fuerit, dicendum erit, non esse periurium: Quod peierare est iniuriam facere; & iniuriam facere est sponte agere. Itaque peierare est sponte agere. Quod vero iuratum est, non sponte iuratum est. Nam quæ vi, vel fraude fiunt, non sponte fiunt. ergo non est periurium.

Si iuratum fuerit ab aduersariis, reprehendendum erit periurium dupliciter.

1. Quod qui non stat illis, quę iurauerit, omnia subuertat: nam hac etiam de causa legibus vtuntur iurati iudices.

2. Quod si dignum existimatur stare iudices iis, quæ iurati iudicant, etiam nos stare debeamus iis, quæ iurauimus.

Atque hæc omnia ex lib. 1. Rhetoricæ Aristotelis sumpta pertinent ad primam rationem parandorum argumentorum.

Altera vero ratio, quæ assumit argumenta in genere iudiciali a finibus aliorum generum, ab honesto, vel turpi, ab vtili, vel pernicioso, quæ quandoque prosunt ad cau-

ſas iudiciales pertractandas, peti poteſt ex præceptis deliberatiuis, atque demonſtratiuis.

Tertia ratio eſt a communibus, ex quibus potiſſimum conueniunt huic generi, quæ probant id; quod factum eſt, vel non factum, maxime in cauſis conie cturalibus.

Ex lib. II. cap. XIX.

Propoſitiones, quæ probant factũ, enumerantur nouẽ.

A minus poſſibili.

1. Si quod minus natura aptum eſt, vt fiat, factum eſt, etiam quod natura aptius eſt, factum erit; ſi fecit iniuriam amicis, etiam inimicis.

A poſteriori.

2. Si poſterius ſolitum fieri factum eſt, etiam prius factum eſt; vt ſi obliuionem cepit, etiam aliquando didicit.

A poteſtate, & voluntate.

3. Si potuit, & noluit, fecit: Si potuit interficere, quia erat armatus: & voluit, quia inimicus, interfecit.

A voluntate ſine impedimento.

4. Si voluit, & nihil extrinſecus impediuit; voluit fieri doctus, & nullum impedimentum habuit, quo minus fieret: ergo factus eſt.

A poteſtate, & ira.

5. Si potuit, & iratus fuit; Alexander potuit interficere Clytum; & iratus fuit Clyto; ergo interfecit.

A poteſtate, & cupiditate.

6. Si potuit, & concupiuit; Cicero potuit liberare patriam, & concupiuit, ergo liberauit.

Ab eo, quod futurum fuit.

7. Si futurum fuit, vt fieret, vel faceret; Dixit ſe facturum, ergo fecit.

Ab antecedenti.

8. Si ante facta ſunt, quæcunq; nata ſunt ante illud, aut illius cauſa; vt ſi fulſit, etiã tonuit; ſi conatus eſt, etiã fecit.

A conſequenti.

9. Si quæcunq; naturam habent, vt poſterius fiant, aut id, cuius cauſa fiunt, factũ eſt, etiam quod prius, & huius eſt cauſa; vt ſi tonuit, etiam fulſit; &, ſi fecit, etiam conatus eſt.

Quartam rationem parandorũ argumentorum ex locis Topicis in primo horũ Commentariorum explicauimus.

OBSER-

V.

OBSERVANDI AFFECTVS.

TRaditur lib. 2. Rhet. cap. 1. Hoc aut illo modo affectũ esse auditorem, vtilius esse in iudiciis. In aliis enim generibus mores sunt secunda fides, cum argumentationes sint prima fides, & affectus tertia. At in hoc genere affectus præferuntur moribus, & conficiunt secundã fidem. De propriis vero affectibus huius generis ita ibidem; Non enim eadem videntur amantibus, & odio habentibus, neque irascentibus, & leniter se habentibus, sed vel omnino diuersa, vel magnitudine diuersa. Amanti enim videtur is, de quo iudicationem habet, non iniuste agere, aut parum iniuste agere, odio autem habenti contrarium. Proprij igitur affectus huius generis sunt ira, delinitio, amor, odium: quibus alij quidam sunt cõsequentes, nimirum iræ, & odio stomachatio, & inuidia: amori, & delinitioni misericordia, & æmulatio. De quibus singulis tradit Philosophus tria esse cognoscenda, personas, quæ afficiantur; personas, in quas afficiantur; causas, ob quas afficiantur; quæ certe cognosci non possent, nisi natura vniuscuiusq; affectus esset manifesta: & idcirco sunt cognoscenda, vt inde colligatur vsus concitandorum affectuum. Quare primum est perpendendum, quid sit vnusquisq; affectus: deinde qui afficiantur: tum in quos: postremo, quomodo talis affectus excitetur.

EX LIB. II. CAP. II.

I. Ira est
1. Appetitio:
2. Cum dolore coniuncta:
3. Eius, quæ appareat, vltionis:
4. Propter eam, quæ apparet, despicientiam:
5. Vel in se, vel in suorum quempiam:
6. Non conuenienter.

II. Irascuntur
1. Qui dolent se, aut suorum quempiam despici non conuenienter:
2. Qui gaudent duabus de causis
 1. Spe vlciscendi.
 2. Cogitatione, qua in vlciscendo versantur.

In iis, qui irascuntur, spectantur in primis sex.

1. Dolor propter aliquam despicientiam:
2. Impedimentum aut directo, aut nõ directo allatum:
3. Vehemens cupiditas:
4. Despicientia præsentis status:
5. Offensio præter opinionem:
6. Circumstantiæ quædam, vt: quædã horæ, tempora, affectiones, ætates, occasiones, loca.

III. Irascuntur 1. Alicui singularium:

2. Iis, qui paruifaciunt, cum magnifacere deberent;
   1. Vt inferioribus;
   2. Vt iis, a quibus putant conuenire, vt sibi benigne fiat.

In iis, quibus irascuntur, spectantur in primis septemdecim;

1. Ludibrium, vt irrisio, subsannatio, illusio:
2. Detrimentum contumeliosum:
3. Maledicta in iis, quibus maxime student:
4. Amicitia despiciens:
5. Consuetudo honorandi omissa:
6. Ingrati animi signum:
7. In nulla existimatione esse, & despicere:
8. Officium amicitiæ omissum:
9. Gaudium in aduersis:
10. Non curantia, vt: cum mala nuntiantur:
11. Auscultatio malorum, aut inspectio:
12. Despicientia apud quinq; hominum genera;
    1. Quibuscum de honore concertant:
    2. Quos admirantur:
    3. Quibus volunt se admirationi esse:
    4. Quos reuerentur:
    5. Qui ipsos reuerentur:
13. Despicientia in rebus charis, vt: parentibus, filiis, vxoribus, subditis:
14. Nulla gratiarum actio, ita vt ne verbis quidem satisfiat

ſatisfiat amicis:

15. Diſſimulatio apud ſerio agentes:

16. Beneficentia in alios, & non in ipſos:

17. Obliuio pene etiam nominum.

IIII. Soliti ſunt iraſci 1. Propter factum deſpicientiæ:

2. Propter deliberationẽ facti, omnino propter triplicem deſpicientiam.

1. Contemptionem; quæ etiam eſt ſine impedimento:

2. Incommodationẽ, quæ eſt cum impedimento:

3. Contumeliam, quæ eſt cum dedecore.

V. Excitatur ira 1. Si auditores oſtendantur deſpecti.

2. Si aduerſarij demonſtrentur deſpicientes.

3. Si ante oculos ponatur genus deſpicientiæ.

EX LIB. II. CAP. III.

I. Delinitio eſt ſedatio, & reſtinctio iræ.

II. Lenes ſunt, qui contrario modo ſe habent, ac illi, qui iraſcuntur.

Non enim dolent ſe, aut ſuorum quempiam paruifieri minus conuenienter:

Nec gaudent ſpe vlciſcendi, vel cogitatione, qua illi, qui iraſcuntur, in vlciſcendo verſantur.

Horum ſeptem ſunt loci.

1. Qui verſantur in ludo, in riſu, in feſto, in felici die, in recta actione, in ſaturitate, omnino in indolentia, & voluptate ſine contumelia, & in ſpe æqua.

2. Qui inueteratam iram habent: iram enim mitigat tempus.

3. Qui ſumpſerunt de alio ſupplicium.

4. Qui conuicerunt.

5. Qui maius malum viderunt, quam ipſi attuliſſent.

6. Qui arbitrantur ſe iuſte pati.

7. Qui putant fore, vt non sentiant agi ab ipsis, aut pro iis, quæ passi sunt: ira enim vult sentiri.

III. Lenes sunt erga eos, qui despicere non videntur vel se, vel suorum quempiam non conuenientes.

Horum sunt duodecim loci;

1. Qui non despiciunt, vel non sponte faciunt.
2. Qui volunt contraria iis, quæ fecerunt.
3. Qui in se etiam tales sunt.
4. Qui confitentur, & quos pœnitet.
5. Qui se submittunt, nec contradicunt.
6. Qui serio agunt cum serio agentibus.
7. Qui in re maiori gratificati sunt.
8. Qui rogant, ac deprecantur.
9. Qui contraria faciunt, quam illi, qui despiciũt, cum minime sint contumeliosi, nec subsannant, nec paruifaciunt vllos, aut bonos, aut tales, quales ipsi sunt.
10. Quos timent.
11. Qui fecerunt per iram.
12. Propter quos pudore afficiuntur.

IIII. Causæ delinitionis sunt tres.

1. Quod non contemnant:
2. Quod non incommodent.
3. Quod nulla afficiant contumelia.

V. Qui vult iram sedare, & ad lenitatem traducere;

1. Debet parare illos, qui irascuntur, eiusmodi, vt nec doleant despicientia, nec gaudeant spe, vel cogitatione vltionis:
2. Debet ostẽdere illos, quibus irascuntur, aut metuendos esse, aut reuerentia dignos, aut bemeritos, aut inuitos, aut valde dolentes rebus factis.
3. Omnino debet minuere despicientiam.

EX LIB. II. CAP. IIII.

I. Amare est, 1. Velle alicui, quæ putat bona:
2. Illius causa, sed non ipsius:
3. Et pro viribus eorũ effectorem esse.

II. Amici sunt, qui amant, & redamantur.

Horum sunt tres loci.

1. Qui

1. Qui simul lætantur bonis, & simul dolent molestis.
2. Quibus iam sunt eadem bona, & eadem mala.
3. Qui sunt iisdem amici, & qui sunt iisdē inimici.

III. Amant eos, 1. Quibus volunt bona:
2. Propter illos:
3. Et pro viribus efficiunt.

Horum loci sunt decem.

1. Qui benefecerunt, aut putantur velle benefacere.
2. Qui habent res communes, vt:
    1. Qui sunt amici amicorum.
    2. Qui amant eos, quos ipsi amant.
    3. Qui amantur ab eis, qui ab ipsis amantur.
    4. Qui sunt iisdem inimici.
    5. Qui odio habent eos, quos ipsi odio habent.
    6. Qui odio habentur ab eis, qui ab ipsis odio habentur.
    7. Qui sunt benefici in pecunias, & in salutem.
3. Qui boni sunt, vel existimantur, cuiusmodi sunt.
    1. Iusti:
    2. Temperantes:
    3. Ab agendo remoti:
    4. Virtute præditi, vel tales existimati.
4. Qui non aduersantur, cuiusmodi sunt.
    1. Iucundi in communi vita, & communi consuetudine:
    2. Laudantes præsentia bona, maxime, quæ timent ipsis non adesse:
    3. Mundi in visu, in vestitu, in tota vita:
    4. Non exprobratores nec peccatorum, nec beneficiorum:
    5. Non memores malorum, nec obseruatores criminum, sed qui reconcilientur idonei:
    6. Non maledici:
    7. Non aduersantes irascentibus, aut serio agentibus.
5. Qui studiose se gerunt.
    1. Vt qui admirantur ipsos, & existimant studiosos, & gaudent ipsis.

2. Et qui affecti sunt ita maxime in iis rebus, in quibus maxime ipsi volunt aut suspici, aut videri studiosi, aut iucundi.

6. Qui eadem qualitate sunt præditi.

1. Vt similes.

2. Eadem profitentes, si non impediant, neq; ex eodem sit vita; alioquin similitudo professionis efficit odium, & inuidiam propter impedimentum vel gloriæ, vel lucri; vnde illud; Figulus figulo.

3. Appetentes eadem, quorum contingit simul ipsos participes esse; alioquin inter eos non amor, sed odium oritur.

7. Qui non afferunt, vel afferunt pudorem.

1. Vt familiares, apud quos sic se habent, vt pudore non afficiantur eorum, quæ sunt ad opinionem, cum minime contemnant: quædã enim sunt turpia ad opinionem, vt: esse sine veste, vel sine idonea veste, & similia.

2. Et reuerentia digni, apud quos pudore afficiuntur eorum, quæ sunt ad veritatem; sunt enim quædam turpia ad veritatem, vt: vitia omnia.

8. Quorum æmulationem, non inuidiam appetunt;

1. Vt quibus de honore concertant:

2. Et quibus bona procurarent, nisi ipsis maiora mala futura essent.

9. Qui sunt fideles amici;

1. Vt: qui amant similiter absentes, & præsentes, & sunt tales etiam erga mortuos.

2. Qui sunt valde studiosi amicorum, eosq; non derelinquunt.

3. Qui non fingunt, vt: qui etiam sua ipsorum vitia dicunt.

10. Qui non metuuntur, & quibus fidimus.

IIII. Cum autem species amicitiæ sint.

1. Sodalitas in rebus leuioribus, vt in conuiuiis, ludis, & iocis:

2. Familiaritas, quæ est arctior quædam amicitia ex frequenti consuetudine contracta:

3. Cogna-

3. Cognatio, quæ est eorum amicitia, qui sunt eiusdem gentis, & familiæ.
4. Et quæcunq; talia.

Conficientia amicitiæ sunt, 1. Gratia:
2. Non rogatum fecisse:
3. Cum fecerit, non indicasse.

V. Ratio mouendi amoris est, vt ostendamus homines esse tales, quales existunt amici.

I. Patet, quid sit odio habere; nimirum
1. Velle alicui, quæ putat mala:
2. Illius caussa:
3. Eorumq; pro viribus effectorem esse.

Odium autem, & ira inter se differunt.
1. Quod ira est ex iis, quæ pertinent ad se ipsum: odium etiã sine iis, quæ pertinent ad se ipsum:
2. Quod illa semper aduersus singularia, vt: Calliam, Socratem: hoc etiam aduersus genera, vt furem, & Sycophantam:
3. Quod illa est tempore sanabilis: hoc insanabile:
4. Quod illa vult molestia afficere, & sentiri: hoc vult malo afficere, etiam si non sentiatur:
5. Quod illa est cum molestia: hoc non cum molestia:
6. Quod illa si multa mala fiant, miserescit: hoc nunquam miserescit; cum illa velit hominem talionem pati: hoc non esse.

II. Patet, qui odio habeant, scilicet contrarij amicis.
III. Patet, quos odio habeant, nempe cõtrarios amicis.
IIII. Conficientia odij, & inimicitiæ sunt;
1. Ira:
2. Incommodatio:
3. Contumelia.

V. Ratio mouendi odij est, vt ostendamus homines esse tales, quales existunt inimici.

EX LIB. II. CAP. VIII.

I. Misericordia est, 1. Molestia quædam:
2. In eiusmodi malo, quod appareat

vim habere interitus, & molestiæ afferendæ.

3. Eius, qui eo sit indignus:

4. Quod etiam ipse se pati posse putet:

5. Idq; quando propinquum videatur.

II. Miserantur, qui putant se, aut aliquem suorum id malum pati posse, quod conspiciunt in altero.

Quamobrem non miserantur,

1. Omnino perditi.
2. Valde felices.

Miserantur autem;

1. Qui iam mala passi sunt, & euaserunt.
2. Senes, tum propter prudentiam, tum propter experientiam.
3. Debiles, & timidiores etiam magis.
4. Eruditi, & considerati.
5. Qui habent parentes, & liberos, aut vxores, quas putant pati posse.
6. Non irati, nec fidentes; qui duo sunt fortitudinis affectus; & de futuro non considerant.
7. Non contumeliosi, qui non considerant se aliquid pati posse:
8. Non valde metuentes, cum metu perculsi non miserentur, quippe qui in proprio affectu versentur.
9. Qui putant aliquos esse æquos: quia putans neminem esse æquum omnes esse malo dignos censebit.
10. Qui meminerunt mala accidisse sibi, aut suis, aut putant fore, vt accidant.

III. Miserantur eos, qui sunt indigni malo.

Horum loci sunt nouem.

1. Familiares non valde coniuncti necessitudine. Quod declaratur exemplo Amasis, qui in casu amici mendicantis lachrymas effudit: in casu filij, qui ad moriendum perducebatur, non effudit. illud miserabile erat: hoc atrox, habens

habens vim pellendæ misericordiæ.

2. Quibus atrocitas est propinqua.

3. Similes
   1. Ætate:
   2. Moribus.
   3. Habitibus:
   4. Dignitatibus:
   5. Generibus:

4. Quibus illa eueniunt, quæ sibi metuunt.

5. Qui repræsentantur
   1. Figuris:
   2. Vocibus:
   3. Vestitu:
   4. Simulatione.

6. Quibus mala nuper euenerũt, vel euentura sunt.

7. Quorum conspiciuntur signa, vt vestes.

8. Quorum audiuntur sermones, vt qui iam animam efflant.

9. Qui virtute præstant, cum in talibus temporibus existant.

IIII. Miserantur propter mala, quæ habent vim interitus, & molestiæ afferendæ.

Horum loci sunt duo.

1. Quæ habent vim perdendi, & interimendi, vt graues morbi, & magna pericula.

2. Magna mala, quæ existunt a fortuna, vt Priami calamitates.

V. Mouetur misericordia, si proponantur ea mala, quæ illi, qui audiunt, pati possunt vel in se, vel in suorum quopiam, quæ mala sint magna, & conspiciantur in personis, quæ illis sunt indignæ.

EX LIB. II. CAP. IX.

I. Stomachatio est molestia propter eum, qui indigne bene agere videatur.

II. Stomachantur, qui digni sunt.

Horum quatuor sunt loci.

1. Si digni sint maximis bonis, & ea possideant.

2. Si sint boni, & virtute præditi.

3. Si sint studiosi honoris, & appetentes quarundam actionũ, & maxime in iis rebus studiosi honoris, quos alij, cum indigni sint, cõsequuntur.

4. Qui existimant se dignos iis rebus, quibus alios non existimant.

III. Stomachantur indignis.

Horum tres sunt loci.

1. Qui nuper bonum possident.
2. Qui habent bona, quæ ipsis non conueniunt.
3. Inferioribus controuersantibus cũ superioribus.

IIII. Stomachantur ob eas res, quibus digni sunt boni viri, & qui a natura bona adepti sunt.

1. Non ob iustitiam, fortitudinem, virtutem, quæ reddit homines dignos.
2. Sed ob illa bona, quæ habent etiam indigni, vt nobilitatem, & pulchritudinem, & quæcunque sunt talia.

V. Mouetur stomachatio, si qui ostendantur indigni bonis illis, quibus digni sunt illi, qui audiunt.

EX LIB. II. CAP. X.

I. Inuidia est
1. Molestia quædam:
2. Propter posteritatem bonorum:
3. In similibus:
4. Idque non, vt nequid eueniat ei, qui inuidet, sed illorum ipsorum causa, quibus inuidet.

II. Inuident, qui dolent bono similium, quia illi tale bonum habeant.

Horum loci sunt septem.

1. Quibus aliqui sunt similes
   1. Genere:
   2. Cognatione:
   3. Ætate:
   4. Habitu:
   5. Existimatione:
   6. Copiis.
2. Quibus parum abest, quin omnia suppetant.
3. Quibus eximius honor habetur ob aliquã rem, & maxime ob sapientiam, aut felicitatem.
4. Qui honoris studio ducuntur.
5. Qui sapientiæ gloriam consectantur.
6. Qui gloriam aliqua in re appetunt.
7. Qui sunt pusillanimi,

Qui

Qui loci reducuntur ad tres, vt inuideant.

1. Qui maius aliquid requirant, quod conspiciant in similibus, etiam si ipsi prospera fortuna vtantur.
2. Ambitiosi.
3. Pusillanimi.

III. Inuident similibus.

Horum loci sunt sex.

1. Qui propinqui sunt
   1. Tempore:
   2. Loco:
   3. Ætate:
   4. Existimatione.
2. Quibus cum de honore contendunt, vt competitoribus, & riualibus, & iis omnino, qui eadem appetunt.
3. Qui celeriter aliquod bonum adepti sunt.
4. Quibus consecutis id, quod cupiunt, aut recte agentibus, dedecus accidit ipsis.
5. Qui habent ea, aut cõsecuti sunt, quæ ipsis conueniebant, aut consecuti fuerant olim.
6. Qui paucos sumptus fecerunt in eam rem, in quam ipsi multos.

IIII. Inuident propter bonorum prosperitatem.

Horum loci sunt quatuor.

1. In quibus amant gloriam, & de honore contendunt, operibus.
2. Quicunque bonæ fortunæ sunt euentus.
3. Quæ ipsi aut appetunt, aut putant se habere oportere.
4. In quibus ipsi paullisper superant, aut paullisper deficiunt.

V. Mouetur inuidia, si bona commemorentur in similibus, vt ipsa disturbentur.

EX LIB. II. CAP. XI.

I. Æmulatio est
1. Molestia quædam:
2. Propter præsentiam bonorum honoratorum:
3. In similibus natura:
4. Non quod ea in illis insint, sed

quod nobis quoque non insint.

II. Æmulantur, qui dolent bono similium, propterea quod ipsi non habeant illud.

Horum loci sunt quatuor.

1. Existimantes se ipsos dignos bonis, quæ non habent, vt: iuuenes, & magnanimi.
2. Quibus existunt talia bona, quæ honoratis viris digna sunt, vt: diuitiæ, multorum amicitiæ, magistratus, & quæcumque talia sunt.
3. Quos alij dignos existimant.
4. Quorum proaui, aut cognati, aut domestici, aut natio, aut ciuitas honorata est.

III. Æmulantur similibus.

Horum tres sunt loci.

1. Quibus existunt bona, vt: fortitudo, sapientia, magistratus.
2. Quibus multi similes volunt esse, aut multi familiares, aut amici multi: aut quos multi suspiciunt, aut quos ipsi suspiciunt.
3. Quorum laudes, & encomia dicuntur aut a poetis, aut a scriptoribus orationum.

IIII. Æmulantur propter prosperitatem bonorum.

Horum tres sunt loci.

1. Virtutes:
2. Quæcunque aliis vtilia sunt, & idonea ad benefaciendum:
3. Quorum bonorum fruitio proximis est, vt diuitiæ, & pulchritudo magis, quam sanitas.

V. Mouetur æmulatio, si talia bona commemorentur in similibus, vt fiat præparatio ad ea adipiscenda.

Æmulationi autem contraria est contemptio.

VI.

OBSERVANDI MORES.

Traditur lib. 2. cap. 1. Multum interesse ad fidem etiam in iudiciis, cuiusmodi videatur is, qui dicit, & quomodo eum erga se affectum esse ii, qui audiunt, arbitrentur. Spectari vero mores dupliciter, supra explicatum est.

VII.

VII.

ATTENDENDA ELOCVTIO.

TRaditur lib.3.cap.12.Iudicialem elocutionem exactiorem esse debere, quam deliberatiuam, quamuis minus exacta sit, quam demonstratiua.

VIII.

ATTENDENDA DISPOSITIO.

TRaditur lib.3. cap.13. In oratione iudiciali collocandum esse prooemium: collocandamq; propositionem, tanquam partem necessariam: & narrationem orationis iudicialis solius esse: collocandam quoq; fidem, id est, non solum confirmationem, sed etiam refutationem; nam huius orationis propria esse, quæ contra aduersarium sunt. & eiusdem lib. cap.17. Eum, qui priore loco dicit, oportere prius sua confirmare: deinde contraria refutare, soluendo, & eleuando; nisi multiplex sit aduersa causa; tunc enim prius refutandũ: qui vero posteriore loco dicit, ei prius esse refutandum, deinde confirmandum; maxime si, quæ dixerit aduersarius, probata fuerint. Additur eodem cap.13. perorationem non esse omnis orationis iudicialis, vt si parua oratio sit, aut res facile sub memoriam cadat.

IX.

FACIENDVM PROOEMIVM.

PRæcipitur lib.3.cap.14. procemia iudicialia esse, quales sunt prologi dramatum, id est, actionum Tragicarum, & Comicarum. Et qualia procemia Epicorum, in quibus est specimen futuræ orationis.

Et duplex esse munus procemij; Vnum maxime necessarium, & proprium, nempe indicare, quinam sit finis, cuius caussa oratio instituta est: Alterum positum in formis quibusdam, quæ dicuntur medicamenta, & communia, & ducuntur a quatuor locis.

1. Ab oratore, vel reo, a quo criminatio est depellenda.

2. Ab auditore, qui redditur
- Beneuolus:
- Etiratus:
- Interdum attentus:
- Interdum non attentus, cum ad risum adducitur:
- Et docilis, maxime si orator probus appareat.

3. A re.
4. Ab aduerſario, cui offertur criminatio.

X.

FACIENDA PROPOSITIO, ET NARRATIO, CVM EST OPVS.

PAtet ex lib. 3. cap. 13. propoſitionem eſſe partem neceſſariam. & cap. 16.

1. Narrationis virtutem non eſſe poſitam in breuitate, ſed vt perſpicua ſit, & probabilis.

2. Narrationi attexenda eſſe, quæcunq; ad noſtram virtutem pertinent, & ad aduerſariorum improbitatem, & auditoribus grata ſunt.

3. Minorem eſſe narrationem defenſori, quam accuſatori.

4. Narrationem oportere eſſe moratam, ad quam pertinent quinque.

1. Exprimere prælectionem:
2. Exprimere moribus conſequentia.
3. Exprimere magis prælectionẽ honeſtatis, quã rationem vtilitatis:
4. Subiungere cauſam:
5. Si non habeas cauſam, naturam adducere pro cauſa.

5. Narrationem oportere eſſe affectam, narrando & conſequentia, & quæ ſciunt, & quæ propria ſibi, aut illi adſunt, vt ea, quæ ſciunt, fiant iudicia illorum, quæ neſciunt, & ſtatim inferendo te ipſum cuiuſdammodi, vt talem intueantur, & aduerſarium, vt talem.

6. Multis in locis narrare oportere, & quandoque non in principio.

XI.

FACIENDA FIDES.

COnſtat ex lib. 3. cap. 17.

1. Enthymemata eſſe propria generis iudicial circa res exiſtentes, vel non exiſtentes, quarum demon ſtratio eſt magis neceſſaria.

2. Non eſſe continuanda, ſed cum aliis oratoriis orna mentis permiſcenda.

3. Noi

3. Non adhibenda ad omnia probanda, sed ad ea tantum, quæ indigent probatione.

4. Non afferenda, cum ad affectũ animi impelluntur.

5. Relinquenda in morata oratione.

6. Loco enthymematum in affecta, & morata oratione multum valere sententias.

Et refutationem reduci ad fidem.

1. Cum alia soluuntur obiectione, reprehendendo ea, quæ sumpsit aduersarius.

2. Alia ratiocinatione, afferendo argumenta firmiora, vel æque firma.

Cum autem enthymemata ducantur ex quatuor, nempe ex verisimili, exemplo, signo, tecmerio, vt docuit Arist. lib.2.cap. 25. declaratum est supra, quomodo illa quatuor solui possint.

Addit philosophus eiusdem lib.3.cap.17.

Quod attinet ad mores, alterum dicentem inducere oportere, ita vt non orator de se, aut de alio aliquid prædicare, sed alter videatur.

Ne de se loquendo incurrat in { inuidiam: loquacitatem: contradictionem.

Aut de alio dicendo incurrat in { conuicium: rusticitatem.

Ac quandoque enthymemata in sententias immutanda esse, quod pertinet ad moratam orationem.

Enthymematice dici sic; Si oportet, quoties commodissimæ sint, & meliorem conditionem afferant pactiones, tunc pacisci, prospera fortuna vtentes oportet pacisci.

Per sententiam sic; Oportet pactiones facere eos, qui mentem habent, cum prospera fortuna vtuntur: sic enim optima fuerint conditione.

Et cap. 18. Interrogationem opportunam esse.

1. Cum elicitur aliquid contra aduersarios:

2. Cum conclusio absurda infertur:

3. Cum potest demonstrari aduersarium dicere contraria, aut præter opinionem.

4. Cum responsio futura est sophistica.

Atq; in interrogatione duo vitanda esse.

1. Ne fiat interrogatio de rebus iam conclusis.

2. Ne conclusio interrogetur, nisi de rebus omnino apertis, & claris.

Rationem autem responsionis esse,

1. Vt ambigua distinguantur non concise.

2. Vt ad ea, quæ videntur contraria, solutio adhibeatur.

3. Vt si interrogatio faciat conclusionem, eludamus interrogationem allata causa.

Habendam quoq; esse ridiculorum rationem.

1. Quia multum valent in contentionibus.

2. Quia Gorgias dixit, seria ridiculis, & ridicula seriis esse discutienda.

Et ridiculum esse duplex:

1. Dissimulationem { Liberaliorem: / Causa proferentis.

2. Scurrilitatem { Libero homini minus congruentem: / Causa alterius.

XII.

FACIENDA PERORATIO.

LEgitur lib. 3. cap. 19. perorationem ex quatuor componi;

1. Vt erga se ipsum bene auditorem comparet, & in aduersarium male:

2. Vt amplificet, & deprimat:

3. Vt ad affectus auditorem impellat:

4. Vt memoriam renouet.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DECIMVSSEPTIMVS

IN PRIMAM DEMOSTHENIS ORATIONEM CONTRA APHOBVM.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



VEMADMODVM memoriæ proditũ eſt, Orchomenium Laomedonta ob vitandum ſplenis morbum ex conſilio Medicorum longiſſimis curſibus vti conſueuiſſe, atq; ex eo habitũ currendi nactum poſt recuperatam valetudinem certaminibus ſe dediſſe, ceterosq; velocitate curſus ſuperaſſe: ſic Plutarchus ſcripſit Demostheni euenisse, vt primum, neceſſitate patrimonij recuperandi ad dicendum venerit, deinde ex eo factus dicendi peritus in Reip. curriculis, tanquam certaminibus quibuſdam ceteros anteiuerit. Vt igitur patrimonium recuperaret, anno ætatis ſuæ decimo, octauo, qui fuit primus Olympiadis centeſimæ quartæ, diem dixit tutoribus ſuis, Aphobo, Demophonti, Therippidi. Pater enim Demoſthenis eorum tutelæ ipſum, filiamque commiſerat, mandans, vt Aphobus quidem, qui erat cognatus, acceptis minis octoginta, ſuam vxorem Cleobolam, Glyconis filiam, duceret, ædibuſque ſuis, & omni earum inſtrumento, ac ſupellectile vſque ad virilem Demoſthenis ætatem vteretur: Demophon vero, qui erat item cognatus, filiam ſuam vxorem haberet, duobus talentis dotis nomine ſumptis: & Therippides, qui fuerat ab ineunte ætate amicus, ſeptuaginta minis vteretur fruereturque tantiſper, dum Demoſthenes virilem togam ſumeret. Ac Aphobus quidem octoginta minas, & domum accepit: ſed Cleobulam vxorem non duxit. Et Demophon cepit duo talenta; ſed defuncti filiã recuſauit. Et Therippides vſura-

fructum habuit septuaginta minarum. Cumque patrimonium tractassent quatuordecim talentum; reddereq; debuissent triginta talenta pro sorte,& emolumentis; pauca admodum Demostheni iam adulto restituerunt. Quamobrem Demosthenes priorem in iudicium vocauit Aphobum, & aduersus eum tutelæ nomine actionem decem talentum instituit pro tertia parte; eumque superauit, vt postea ceteros; a quibus, inquit Plutarchus, quamquam exigere, quantum sibi surreptum fuerat,nō potuit: tamen id assecutus est,vt audaciam in dicendo,& consuetudinem nactus, degustata causarum pertractandarum dulcedine, & famæ, ac potentiæ fructu, in medium prodire statuerit, & ad Reip. certamina se conferre.

II.

GENVS CAVSÆ.

AVditores sunt iudices. Partes accusatio, & defensio: accusabat enim Demosthenes: a qua accusatione Aphobus se defendebat. Agitur de re præterita. Tractatur iustum, & iniustum, cum Demosthenes iuste repeteret patrimonium suum ab Aphobo, & aliis tutoribus occupatū. Ergo ex doctrina Aristotelis est genus iudiciale.

III.

STATVS.

COntrouersia est de facto, & coniecturalis.

IIII.

ARGVMENTA.

CVm quadruplex sit ratio argumentandi, primam rationem spectat Demosthenes a propriis, vt iusto, & ab iniusto, proprio fine generis iudicialis, quod iustum esset se recuperare patrimonium suum ab Aphobo iniuste occupatum. Cumq; assumenda sint tria maxime in causis coniecturalibus, Quibus de causis faciant iniuriam, Qui, & Quibus faciant, ex causis iniuriarum non obscure tribuit Aphobo commodi rationem, ob quam ostendit eum sibi pupillo iniuriam fecisse. Cumq; fides non artificiosa propria sit causarum iudicialium, quales sunt leges, testes, pacta, quæstiones, iusiurandum, adhibet potissimum testimonia, tum ad probandum, cum quinta pars bonorum conferretur in censum, collata esse pro bonis suis tria talenta,

lenta, & sic bona sua peruenisse ad summam quindecim talentum, tum ad confirmandum, se non relictum esse a patre pauperem.

Vtitur secunda ratione ab assumptis, vt ab honesto, & turpi, quæ assumi consueuerunt in genere iudiciali ex demonstratiuo, quod nihil sit tam ab honestate alienum, tam turpe, quam illud, quod fecerat Aphobus: & ab vtili, & inutili, quæ ex deliberatiuo, quod Aphobus ea non confiteretur, quæ sibi non erat vtile confiteri.

Adhibet tertiam rationem a communibus, & maxime iis, quæ magis propria sunt generis iudicialis, quam aliorum generum, vt quæ probant factum esse, vel nõ factum. Vt si potuit, & voluit, fecit. Potuit Aphobus fieri locuples ex patrimonio Demosthenis, quod probatur fuisse amplissimum: & voluit propter suam improbitatem: Ergo ita factum est.

Non prætermittit quartam rationẽ a communissimis, & locis Topicis, vt infra declarabitur in artificio confirmationis.

V.
AFFECTVS.

MOuet odium in Aphobum, quod cum ipso noluerit ex æquo, & bono agere: quod cauisse videatur, ne ij, quibus res Demosthenis essent perspectæ plane, & cognitæ, quicquam de ipsis deciderent: quod esset impudens, quippe qui se negaret accepisse dotem minarum octoginta, quam tamẽn acceperat: quod aliis triginta minis homo impudẽtissimus priuare Demosthenem conatus esset: quod non referret in rationes ea, quæ deberet: quod facile conuinci posset mendacij: quod aperte, & impudenter suis Demosthenem rebus priuaret: quod eo impudentiæ [...]enisset, vt diceret se mille minas in operas Demosthenis [i]mpendisse, neque tamen illos homines exhiberet: quod audita crudelitate vna cum contutoribus suis vteretur: [qu]od debuisset prohibere, & impedire omne incommo[du]m pupilli, neque tamen id fecisset: quod maxima cum [im]pudentia negaret reliquisse patrem Demosthenis, quæ [s]e reliquerat: quod eius conatus ad singularem impu[de]ntiam deuenisset: quod nihil ad eius tam insignem,

tamque perspicuam impudentiam addi posset: quod multa suffuratus esset, & dolose in suo munere versatus esset: quod eo sordium venisset, vt Demosthenis præceptores, & mercenarios fraudauerit: quod auderet falsum dicere: quod apud iudices conuictus ausus esset impudentissime mētiri: quod eum tam audacis facinoris minime puderet: quod propter eius impudentiam domus Demosthenis facta esset deterioris condirionis: quod in Demosthenem contumelia esset vsus, ac neque verecundia vlla, quoniam conscientia nulla teneretur, esset ductus.

Mouet inuidiam, quod illi, quibuscum sibi res est, viri sinr & eloquentes, & veteratores, forensiumq; captiuncularum periti.

Mouet amorem modestia sua, quod cum iis, qui secum hoc iudicio contendunt, non sit aut ingenio, aut gratia conferendus.

Mouet misericordiam, quod is, qui per ætatem vsu rerum non est attritus, cum viris & eloquentibus, & veteratoribus, forensiumq; captiuncularum peritis de fortunis omnibus in contenrionem veniat: quod indignis modis iniuriam passus sit: quod indigne rebus suis priuatus sit: quod ipse miserrimus vrgeatur, &, dum studet sua recuperare, in periculum maximum adductus sit.

VI.

MORES.

Exprimit probitatem, quod si Aphobus aut ex æquo, & bono cum ipso agere, aut ea, de quibus disceptar, familiarium arbitrio committere voluisset, sufficere sibi existimasset, in iis, quæ illi decreuissent, acquiescere, vt nulla sibi cum isto lis foret, orireturque controuersia: quod probe confiteatur se accepisse quotannis minas septem in alimentum a Therippide.

Exprimit prudentiam, quod in eo sibi elaborandum necessario putauerit, vt ab Aphobo ius suum per iudices obtineret: quod animaduerterit, quæ portio a singulis tutoribus subrepta sit, quantumque sibi quisque priuatim acceperit, tum quanta ipsum communiter omnes portione fraudauerint, vnius horulæ spatio dici non posse, & singula seorsum percurrere necesse esse; & idcirco primum institue-

instituerit actionem contra Aphobum, & postea acturus sit contra Demophontem, & Therippidem: quod ostendat rationem, qua se tuebantur tutores, esse absurdissimam, & eos nihil sani dicere, nihil rationi consentaneum, nihil probabile: quod ratiocinetur, eos tabulas testamenti eo consilio occultare, vt magnitudinem fortunarum ipsi a patre relictarum, quas ipsi subripuerunt, non patefacerent, & ne legata detinere viderentur, quæ quidem ex tabularum prolatione ipsi habere conuicerentur: quod voluntatem patris interpretetur, idcirco eum tutoribus aliquot talenta fruenda dedisse, vt aut propter illa, quæ data erant, ad tutelam sedulo, bonaque fide gerendam eo modo hortaretur, aut, si improbi essent, & talibus, ac tantis beneficiis aucti, ornatique talia committerent, a iudicibus veniam nullam impetrarent: quod de quatuor talentis humi defossis technas Aphobi declaret, & ingentem insaniam esse argumentetur, ea, quæ defossa essent, aperire, & eorum, quæ aperta essent, curatores nolle constituere.

Exprimit beneuolentiam, quod ostendat se in iudicibus omnem spem suam collocasse, tamquam iustis, & sapientibus: & petat ab ipsis, tamquam a viris benignis, & humanis, vt se dicentem bona cum venia audiant. Se accommodat ad mores iudicum ex habitibus, vel affectibus, vt benignitate, & misericordia, quod ne tum quidem, cum aliquem eorum, qui in ipsos deliquissent, condemnarent, omnes ei fortunas adimerent, sed vel vxoris, vel liberorum miserti partem etiam aliquam illis relinquerent.

VII.

ELOCVTIO.

Genus dicendi mediocre est, sublimis, & submissi medium, plenum, teres, valdeq; elaboratum, vno verbo Demosthenicum, cuius elocutio, vt etiam argumentatio, lucernam olebat.

VIII.

DISPOSITIO.

Adhibentur in hac oratione quatuor partes, procemium, propositio, fides, peroratio.

IX.

IN PROOEMIVM.

EI' μὲν ἐβούλετο ἄφοβος, ὦ ἄνδρες δικασταί, τὰ δίκαια ποιεῖν, ἢ περὶ ὧν διαφερόμεθα, τοῖς οἰκείοις ἐπιτρέπειν. *Si vellet quidem Aphobus, ô viri Iud. ex aequo agere, vel, de quibus controuersamur, ea familiarium arbitrio committere*] Cum duo sint munera proœmiorum, indicare finem, cuius gratia oratio instituta est, & parare animos auditorum a quatuor locis, ab aduersario, ab oratore, seu reo, a re ipsa, ab auditore; indicat Demosthenes finem orationis, vt ius suum ab Aphobo per iudices consequatur. Et parat animos, tum ab aduersario, quē appetentem litiū, morosum, & impium ostendit, & in odium, atq; inuidiam adducit. Tum ab oratore, & a sua persona, dum profitetur se non litigiosum, non acerbum esse, sed facilem, & lenem, vt qui rem in amicorum arbitrio ponere voluerit, & sibi beneuolentiam conciliat, ac parat attentionem. Tum a re indigna, & misera, & pergraui, ac periculosa, vt is, qui per aetatem vsu rerum non est attritus, cum viris, & eloquentibus, & veteratoribus, forensiumq; captiuncularum peritis de fortunis omnibus in contentionem veniat. Tum ab auditoribus, & iudicibus, in quibus dicit se spem omnem collocasse, vt possit per ipsos ius suum obtinere.

X.

IN PROPOSITIONEM, SEV NARRATIONEM, ET PARTITIONEM.

ΔΗμοσθένης γὰρ ὁ ἐμὸς πατὴρ, ὦ ἄνδρες δικασταί, κατέλιπεν οὐσίαν μὲν σχεδὸν τεττάρων, καὶ δέκα ταλάντων. *Demosthenes enim pater meus, ô viri Iud. reliquit patrimonium quidem ferme quatuordecim talentum*] Propositio quandoq; fit per expositionem facti, & proprie narratio nuncupatur. Cumq; narrare debeat omnia, quaecunq; oportet, ex sententia Aristotelis duas in primis virtutes postulat perspicuitatem, & probabilitatem. Itaq; perspicue narrat Demosthenes primo loco, quantum patrimonium reliquerit pater suus, & qua aetate ipsum, & sororem, & quanta cum dote matrem. Reliquit enim patrimonium ad quatuordecim fere talenta: ipsum Demosthenem septem annos natum:

sororem Demosthenis quinq; annos natam: matrem cum dote quinquaginta minarum, quas domum importarat. Secundo loco, quos tutores dederit, & patrimonij procuratores; nimirum Aphobum, Demophontem, & Therippidem. Adhibet probabilitatem, cur ita hos delegerit; nempe illos, quod essent sui propinqui, hic quidem ex fratre suo, illi vero ex sorore nati: hunc autem non generis quidem propinquitate, sed amicitia, quæ ab ineunte ætate concreuerat, sibi coniunctum. Tertio loco, quæ emolumenta ipsis assignauerit. Nam dedit Therippidæ septuaginta minas tantisper vtendas fruendas, donec Demosthenes virilem togam sumeret. Addit probabilitatem, ne ille pecuniæ cupiditate res huius negligentius tueretur. Demophonti autem sororem Demosthenis collocauit, eoq; nomine duo talenta numeranda iussit. At Aphobo matrem eiusdem Demosthenis commisit, vt eam haberet vxorem, adiectis in dotem octoginta minis, & domo, & vsu omnium supellectilium. Reddit probabilem narrationem, quod ratus esset illos non deterius rebus sibi commissis consulturos, si hac necessitudine accedente ipsos Demostheni coniunctiones efficeret. Quarto loco, quæ illi acceperint, & quomodo patrimonium administrauerint, & ad quam summam redegerint. nam pecunias, quæ sibi ex testamento debebantur, acceperunt, & reliquas facultates in vsus suos conuerterunt, &, cum decem annos tutelam administrassent, ceteris omnibus Demosthenem fraudarunt, eiq; duntaxat ædes, & mancipia quatuordecim, & argenti minas triginta, id est, in totum septuaginta minas reddiderunt. Quinto loco, quantum contulerint in censum pro bonis Demosthenis. nam contulerunt pro quinq;, & viginti minis quingentas drachmas, quantum scilicet Timotheus Cononis, &, qui maximos census possidebant, conferebant. Cum autem multa essent talentorum genera, quoties apud scriptores talenti mentio fit, si nihil aliud addatur, minus talentum Atticum intelligendum est, quod fuit minarum sexaginta. Singulæ vero minæ drachmas Atticas centum continebant: & drachma Attica valebat quadrantes Venetos quatuor, & quadrantata. Ergo talentum Atticum, scilicet minus, valebat sex

millia drachmarum, id eſt, ſcutatos, ſeptem libris æſtimatos, ſexcentos octoginta quatuor, libras quinq;. Ergo quatuordecim talenta valebant nouem millia quingentos nonaginta nouem ſcutatos, & libras tres. Et quinquaginta minæ, quas domum importauerat mater Demoſthenis, ſcutatos quingentos ſeptuaginta vnum, libras tres. Et ſeptuaginta minæ, tum quæ traditæ ſunt Therippidæ in vſumfructum vſque ad virilem Demoſthenis ætatem, tum quæ ſolæ redditæ ſunt Demoſtheni a tutoribus, ſcutatos octingentos. Et duo talenta Demophonti numerata dotis nomine ſcutatos mille trecentos ſexaginta nouem, libras tres. Et octoginta minæ datæ in dotem Aphobo, ſcutatos nongentos quatuordecim, libras duas. Iam vero, quoniam talentum ſoluitur in minas, & minæ in drachmas, & omnis fere ſumma apud Græcos drachmis Atticis expeditur, non erit fortaſſe inutile, propter ſummas, in hac oratione, & alibi commemoratas, rationem drachmarum ad noſtratis pecuniæ æſtimationem, & ad numos ſcutatos, qui libras ſeptem continent, redactarum obiter hic adſcribere.

Drachmæ 10. decem	valent	Δ 1. ſcutatum vnum,	℔ 3. libras tres.
20 Viginti		2 Duos	2 Duas
30 Triginta		3 Tres	3 Tres
40 Quadraginta		4 Quatuor	4 Quatuor
50 Quinquaginta		5 Quinque	5 Quinque
100 Centum		11 Vndecim	3 Tres
200 Ducentæ		22 Viginti duos	6 Sex
300 Trecentæ		34 Triginta quatuor	2 Duas
400 Quadringentæ		45 Quadraginta quinq;	5 Quinque

500

500 Quingentæ	57 Quinquaginta septem	1 Vnum
1000 Vna myrias	114 Centum quatuordecim	2 Duas
2000 Duæ myriades	228 Ducentos viginti octo	4 Quatuor
3000 Tres myriades	342 Trecentos quadraginta duos	6 Sex
4000 Quatuor myriades	457 Quadringētos quinquaginta septem	1 Vnum
5000 Quinq; myriades	571 Quingentos septuaginta vnum	3 Tres
10000 Decem myriades	1142 Mille centum quadraginta duos	6 Sex
20000 Viginti myriades	2285 Duo millia ducentos octoginta quinque	5 Quinque
30000 Triginta myriades	3428 Tria millia quadringentos viginti octo	4 Quatuor
40000 Quadraginta myriades	4571 Quatuor millia quingentos septuaginta vnum	3 Tres
000 nquaginta yriades	5714 Quinque millia septingentos quatuordecim	2 Duas
00000 tum myriades	11428 Vndecim millia quadringentos viginti octo	4 Quatuor

millia drachmarum, id eſt, ſcutatos, ſeptem libris æſtimatos, ſexcentos octoginta quatuor, libras quinq;. Ergo quatuordecim talenta valebant nouem millia quingentos nonaginta nouem ſcutatos, & libras tres. Et quinquaginta minæ, quas domum importauerat mater Demoſthenis, ſcutatos quingentos ſeptuaginta vnum, libras tres. Et ſeptuaginta minæ, tum quæ traditæ ſunt Therippidæ in vſumfructum vſque ad virilem Demoſthenis ætatem, tum quæ ſolæ redditæ ſunt Demoſtheni a tutoribus, ſcutatos octingentos. Et duo talenta Demophonti numerata dotis nomine ſcutatos mille trecentos ſexaginta nouem, libras tres. Et octoginta minæ datæ in dotem Aphobo, ſcutatos nongentos quatuordecim, libras duas. Iam vero, quoniam talentum ſoluitur in minas, & minæ in drachmas, & omnis fere ſumma apud Græcos drachmis Atticis expeditur, non erit fortaſſe inutile, propter ſummas, in hac oratione, & alibi commemoratas, rationem drachmarum ad noſtratis pecuniæ æſtimationem, & ad numos ſcutatos, qui libras ſeptem continent, redactarum obiter hic adſcribere.

Drachmæ	10. decem	valent Δ 1. ſcutatum vnum,	℔ 3. libras tres.
20 Viginti		2 Duos	2 Duas
30 Triginta		3 Tres	3 Tres
40 Quadraginta		4 Quatuor	4 Quatuor
50 Quinquaginta		5 Quinque	5 Quinque
100 Centum		11 Vndecim	3 Tres
200 Ducentæ		22 Viginti duos	6 Sex
300 Trecentæ		34 Triginta quatuor	2 Duas
400 Quadringentæ		45 Quadraginta quinq;	5 Quinque

500

500 Quingentæ	57 Quinquaginta feptem	1 Vnum
1000 Vna myrias	114 Centum quatuordecim	2 Duas
2000 Duæ myriades	228 Ducentos viginti octo	4 Quatuor
3000 Tres myriades	342 Trecentos quadraginta duos	6 Sex
4000 Quatuor myriades	457 Quadringẽtos quinquaginta feptem	1 Vnum
5000 Quinq; myriades	571 Quingentos feptuaginta vnum	3 Tres
10000 Decem myriades	1142 Mille centum quadraginta duos	6 Sex
20000 Viginti myriades	2285 Duo millia ducentos octoginta quinque	5 Quinque
30000 Triginta myriades	3428 Tria millia quadringentos viginti octo	4 Quatuor
40000 Quadraginta myriades	4571 Quatuor millia quingentos feptuaginta vnum	3 Tres
5000 [Qui]nquaginta [m]yriades	5714 Quinque millia feptingentos quatuordecim	2 Duas
10000 [Cen]tum myriades	11428 Vndecim millia quadringentos viginti octo	4 Quatuor

200000 Ducentæ myriades	22857 Viginti duo millia octingentos quinquaginta ſeptem	1 Vnum
300000 Trecentæ myriades	34285 Triginta quatuor millia ducẽtos octoginta quinque	5 Quinque
400000 Quadringentæ myriades	45714 Quadraginta quinq; millia ſeptingentos quatuordecim	2 Duas
500000 Quingentę myriades	57142 Quinquaginta ſeptẽ millia centũ quadraginta duos	6 Sex
1000000 Decies centenæ myriades	114285 Centum quatuordecim millia, ducentos, octoginta quinque	5 Quinque
2000000 Vicies centenæ myriades	228571 Ducenta viginti octo millia quingentos ſeptuaginta vnum	3 Tres
3000000 Tricies centenæ myriades	342857 Trecenta quadraginta duo millia octingentos quinquaginta ſeptem	1 Vnum
4000000 Quadragies centenæ myriades	457142 Quadringenta quinquaginta ſeptem millia, centum quadraginta duos	6 Sex
5000000 Quinquagies centenæ myriades	571428 Quingẽta ſeptuaginta vnum millia, quadringentos viginti octo	4 Quatuor

10000000 Centies centenæ myriades	1142857 Vnum millionẽ centũ quadraginta duo millia, octingentos quinquaginta feptẽ	1 Vnum
20000000 Ducenties centenæ myriades	2285114 Duos milliones ducẽta octoginta quinque millia, centum quatuordecim	2 Duas
30000000 Trecenties centenæ myriades	3428571 Tres milliones quadringenta viginti octo millia, quingentos feptuaginta vnũ	3 Tres
40000000 Quadringenties centenæ myriades	4571428 Quatuor milliones quingẽta feptuaginta vnum millia quadringentos viginti octo	4 Quatuor
50000000 Quingenties centenæ myriades	5714285 Quinq; milliones feptingẽta quatuor decem millia ducentos octoginta quinque	5 Quinque
100000000 Millies centenæ myriades	11428571 Vndecim milliones quadringenta viginti octo millia quingentos feptuaginta vnũ	3 Tres
200000000 Bis millies centenæ myriades	22857142 Viginti duos milliones, octingenta quinquaginta feptem millia centum quadraginta duos	6 Sex

Dd

300000000 Ter millies centenæ myriades	34285714 Triginta quatuor milliones, ducenta octoginta quinque millia, ſeptingentos quatuordecim	2 Duas
400000000 Quater millies centenæ myriades	45714285 Quadraginta quinq; milliones, ſeptingenta quatuordecim millia, ducẽtos octoginta quinque	5 Quinque
500000000 Quinquies millies centenæ myriades	57141857 Quinquaginta ſeptẽ milliones, centum quadraginta vnũ millia, octingẽtos quinquaginta ſeptem	1 Vnum
1000000000 Decies millies centenæ myriades	114285714 Centum quatuordecim milliones, ducẽta octoginta quinq; millia, ſeptingentos quatuordecim	2 Duas
2000000000 Vicies millies centenæ myriades	228571428 Ducẽtos viginti octo milliones, quingenta ſeptuaginta vnũ millia, quadringentos viginti octo	4 Quatuor
3000000000 Tricies millies centenæ myriades	342857142 Trecẽtos quadraginta duos milliones, octingenta quinquaginta ſeptem millia, centum quadraginta duos	6 Sex

Qu

4000000000	457142857	1
Quadragies millies centenæ myriades	Quadringētos quinquaginta septem milliones, centum quadraginta duo millia, octingētos quinquaginta septem	Vnum
5000000000	571428571	3
Quinquagies millies centenæ myriades	Quingentos septuaginta vnum milliones, quadringenta viginti octo millia, quingentos septuaginta vnum	Tres

Nunç ad artificium oratorium reuertamur.

Δεῖ δὲ καὶ καθ' ἕκαστον ὑμᾶς ἀκοῦσαι, τά τε ἔνεργα αὐτῶν, καὶ ὅσα ἦν ἀργὰ, καὶ ὅσου ἦν ἄξια ἕκαστα; *Oportet autem & vnumquodque vos audire, & quæ fructuosa fuerint, & quæ infructuosa, & quanti erant æstimanda*] Quandoque fit propositio per partitionem rerum confirmandarum, vt hoc in loco proponuntur duo confirmanda; primum tutores Demosthenis magnum tributum professos esse conferre pro bonis eius: Deinde patrem Demosthenis nō reliquisse eum pauperem, neque minarum septuaginta tantum patrimonium habentem, sed satis locupletem.

X I.

IN PRIMAM PARTEM FIDEI, SEV CONFIRMATIONIS.

Καί μοι ἀναγίνωσκε λαβὼν ταύτην τὴν μαρτυρίαν; *Et mihi recita accipiens hoc testimonium*] Argumentatur ab antecedenti; Si, cum quinta pars bonorum conferretur in usum, collata sunt pro bonis meis tria talenta, bona mea perueniebant ad summam quindecim talentum. At quod primum est. Quod sequitur igitur. Probat antecedens testimonio, & vtitur enthymemate, subintelligens maiorem propositionem.

IN SECVNDAM PARTEM CONFIRMATIONIS.

Ἔτι δ' ἀκριβέστερον εἴσεσθε τὴν οὐσίαν αὐτὴν ἀκούσαντες; *Praterea vero exactius scietis patrimonium ipsum cum audieritis*] Enthymemate ducto ab enumeratione partium colligit totum patrimonium sibi relictum fuisse ad quatuordecim talenta: & iniustum factum tutorum amplificat, quod quæ portio ab ipsis subrepta sit, quantumq; sibi quisque priuatim acceperit, tum quanta communiter omnes ipsum portione fraudauerint, vnius horulæ spatio sibi ad dicendum dato exprimi non possit: illudque amplificatione conficit, singula separatim esse percurrenda: & reiicit disputationem in Demophontem, & Therippidem in aliud tempus: & suscipit disputationem in Aphobum.

IN TERTIAM PARTEM CONFIRMATIONIS.

Πρῶτον μὲν ὡς ἔχει τὴν προῖκα τὰς ὀγδοήκοντα μνᾶς, τοῦθ' ὑμῖν ἐπιδείξω. μετὰ δὲ ταῦτα καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ὡς ἂν δύνωμαι, διὰ βραχυτάτων; *Primum quidem eum habere dotem octoginta minas, vobis demonstrabo: postea vero & de aliis agā quam breuissime possim*] Vtitur enthymemate ab antecedenti; Aphobus accepit dotis nomine primū quinquaginta minas, postea triginta: ergo octoginta. probat antecedens testimonio Demophontis, Therippidæ, ipsius Aphobi, Democaris. Ex fide non artificiosa, & lege auget summam dotis vsque ad tria talenta, quæ lex iubebat, vt qui dotem occuparet non ducenda vxore, eam restitueret cum magna vsura. Colligit spatio duodecim annorum, tum sortem dotis, tum vsuram redactam esse ad tria talenta. Addit alias triginta minas ex officinæ prouentu ab Aphobo fui occupatas, & primum ostendit Aphobum fuisse peiore Therippide, ducens enthymema a minori, quod, cu mancipia sibi relicta a patre afferrent prouentum quind cim minarum in singulos annos, si Therippides, [illegible] fuit, qui cum annos septem mancipiorum curam gessiss vndecim minas singulis annis in rationes retulit, quatu minas in singulos annos minus, quam cōueniebat, supp tans; multo improbior existimandus est Aphobus, qui c

os pri

os priores annos curam cum gessisset, ne tantillum quidem retulit in rationes, & hoc modo triginta minas occupauit, singulis annis quindecim. Deinde refutat illa, quæ dicebat Aphobus, interdum cessasse officinam, interdum se harum rerum curam non suscepisse, sed procuratorem libertum Milyam administrasse omnia, ab eo lucrum esse reposcendum. Nam primum probat ociosam non fuisse officinam, & enthymemate vtitur a consequentibus, quod Aphobus supputauerit sumptus operum confectorum, quod tribus Therippidæ mancipiis mercedem numerauerit pro opere facto. Deinde adhibet dilemma a contrariis, quod aut operis nihil est factum: aut opus est factum. Primo casu non debebat numerari merces mancipiis pro opere non facto, neq; debebant referri in rationes sumptus pro opificiis. Secundo modo debebat Aphobus reddere opificia. Postremo argumentatur a repugnanti, & absurdo, ac parum verisimili, vt Aphobus impensas fecerit, & Milyas, si quid lucri sit factum, id habuerit, & ab adiunctis, quod ipse Aphobus moribus sit talibus, vt adiungatur, potuisse potius contrarium euenire, vt scilicet Milyas impensas faceret, & Aphobus lucrum caperet. de cuius moribus iubet testimonia recitari. illudque argumentatione sua conficit, habere Aphobum triginta minas ex officinæ prouentu: & vsuram illarum per octo annos esse minimum alias triginta minas, easque doti additas, habita ratione tum sortis, tum vsurarum, quatuor talenta conficere, quibus ipse Demosthenes ab Aphobo proprie, & separatim ab aliis tutoribus fraudatus sit.

IN QVARTAM PARTEM CONFIRMATIONIS.

Ἃ δὲ μετὰ τῶν ἄλλων ἐπιτρόπων κοινῇ διήρπακε, καὶ ὅσα γ' ἐξ ἀρχῆς μηδὲ καταλειφθῆναι παντάπασιν ἠμφισβήτηκε, ταῦθ' ὑμῖν ἤδη ἐπιδείξω καθ' ἕκαστον; *Quæ vero cum aliis tutoribus communiter diripuit, & quorum quædam neque omnino relicta esse contendit, ea vobis iam demonstrabo singillatim*] Vult probare Aphobum surripuisse quædam cõmuniter cum aliis tutoribus; & primo loco probat, se ab illis priuatum fuisse lectorum opere; & argumentatur a repugnantibus, quod faterentur illas omni fuisse relictas, atque inde quotannis

a patre duodecim minas collectas, sed nihil a se collectum vndecim annis in rationes referrent; & Aphobus diceret mille minas fuisse impensas, nec exhiberet homines, in quos impensæ fuissent; & ad confirmandam talem argumentationem vtitur testimoniis; illudque argumentatione sua conficit, tutores ex lectorum fabris interuertisse sortem minarum quadraginta, & fœnus decennale eorum talentum, omnino tria fere talenta, de quibus vnum deberet Aphobus.

Καὶ τὰ περὶ τοῦ ἐλέφαντος, καὶ σιδήρου τοῦ καταλειφθέντος παραπλησιά πως τούτοις πεποιήκασιν; *Et quæ sunt circa ebur, & ferrum relictum, adsimilia quodammodo his fecerunt*] Secundo loco de ebore, & ferro relicto, vnde opera conficerentur, argumẽtatur a loco communi eius, quod fieri, vel non fieri potest, & a repugnantibus, quod fieri non posset, vt pater Demosthenis, qui tot lectorum, totque manubriorum artificum dominus erat, non etiam ferrum, & ebur reliquerit; & hæc inter se repugnarent, cum plusquam quinquaginta mancipia possedisse, & duabus artibus vacasse, quarum vna officina in lectos, & ebur facile duas minas singulis mensibus impenderet, altera totidem alteras in ferrum, quæ erat artificum manubriorum, & nihil ferri, atque eboris reliquisse, vt ipsi tutores aiebant. Et a loco communi magis proprio generis iudicialis, id est ab eo, quod factum est; Si posterius solitum fieri factum est, etiam prius factũ est, si obliuionem cepit, etiam aliquando deficit: Si venditio facta est eboris, & ferri, tum a patre Demosthenis, dum ipse viueret, tum a Demophonte, tum vero etiam post mortem illius ab ipso Aphobo, etiam habuerunt, quod venderent. Et a loco communi eius, quod magnum est, cum magnum illud sit, quod sufficit non solum ad res necessarias, sed etiam ad venditionem, vt fuisse videtur eboris vis, & ferri copia a patre Demosthenis relicta. Confirmat hæc etiam testimoniis.

Ἔτι τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, παρὰ τὸν λόγον, ὃν ἀποφαίνουσιν, ἐξ ὧν αὐτοὶ λαβεῖν ὁμολογοῦσιν, ἐπιδείξω ὑμῖν τρεῖς ἀφῃρημένους αὐτοὺς πλέον ἢ ὀκτὼ τάλαντα ἐκ τῶν ἐμῶν ἔχοντας: ἰδίᾳ δ' ἐκ τούτων ἀφόβον τρία τάλαντα, καὶ χιλίας εἰληφότα; *Præterea igitur, o viri iudices, præter rationem, quam afferunt, ex quibus ipsi se acepis*

cepisse confitentur, demonstrabo vobis, ipsos quidem tres existentes plusquam octo talenta ex meis possidere: priuatim vero ex his Aphobum tria talenta, & mille drachmas cepisse.] Tertio loco argumentatur a confessione, & testimonio ipsorum tutorum, quod Aphobus non negaret se cepisse, de eo, quod erat Demosthenis, minas centum, & octo: Therippides duo talenta: Demophon minas octoginta, & septem: quæ omnia summam talentorum quinque, & minarum quindecim efficiunt. Addit, quod vniuerse acceptum non est, id minas esse circiter septuaginta septem, nimirum reditum mancipiorum: quod vero isti a patris morte ceperunt, id in summam quatuor fere talentorum consurgere: atque si addatur quæstus annorum decem, fieri summam octo talentorum, & drachmarum mille vna cum sorte. Præterea detrahit, quæ sibi suppeditata essent in alimentum, & quæ collata essent loco tributorum, & ostendit detracto vno talento restare septem talenta, quę necesse erat illos habere, quandoquidem ne ipsi quidem se accepisse inficiarentur. Assumit argumentum a turpi, quod nulla esse posset insignior nota vitæ vehementer, & turpiter quæstuosæ, & nihil eo grauius, quod tam esset ab honestate alienum: & quod Aphobus se priuatim centum, & octo minas accepisse, & ad se auertisse confiteretur, easque detineret cum quæstu annorum decem, ac præterea tria large talenta supra mille drachmas. Probatque de quæstu testimonio ipsorum tutorum, quorum quisque in rationibus suis quæstum eum se accepisse confitebatur, sed omnem illum se impendisse supputabat.

Νομίζω τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασαί, περὶ τέτων ἱκανῶς μεμαθηκέναι ὑμᾶς, ὅσα κλέπθσι, καὶ πανουργοῦσιν ἕκαστος αὐτῶν; *Arbitror igitur, o viri Iudices de his satis didicisse vos, & quanta suffurentur, & quam dolose agat quisque ipsorum*] Quarto loco agit de tabulis testamenti patris sui, quas quidem fuisse relictas probat testimonio matris suæ, & testimonio ipsorum tutorum, sed argumentatur fuisse ab ipsis occultatas, & non exhibitas, quod ipsis non esset vtile cognosci ea, quæ in illis continerentur. Itaq; assumit argumentum ab vtili, & inutili. Et coniecturam facit de patris diuitiis ab effectu, quod de talentis quatuor, & ter mille drachmis

Aphobo quidem, & Demophonti tria talenta, & bis mille drachmas doti dedit: Therippidæ vero minas septuaginta fruendas concessit. Ergo non de tenui, & exigua re, sed a summa altero tanto maiore illa legata decerpsit. Et a causa, quod noluit pater relinquere filium suum inopem, & egenum, & istos iam satis diuites efficere ditiores, sed eorum causa, quæ filio plurima reliquerat, tantum dedit hoc animo, & in eum finem, vt aut propter ea, quæ data erant, ad tutelam sedulo, bonaque fide gerendam hortaretur: aut si improbi essent, & talibus, ac tantis beneficiis aucti, ornatique talia committerent, a iudicibus veniam nullam suæ improbitatis impetrarent. Et ostendit Aphobum præter dotem etiam ancillas cepisse, & domi inhabitasse; ac præceptores, & mercenarios fraudasse, tributa vero etiam nonnulla in rationes retulisse, quæ tamen ipse non soluerit; idque probat testimoniis. Et amplificat improbitatem Aphobi repetitione eorum, quæ de eo probata sunt.

Ἐτόλμα τοίνυν πρὸς τὸν διαιτητὴν λέγειν, ὡς ἀπὸ τῶν χρημάτων χρέα τε πολλὰ ἐκτέτακεν ὑπὲρ ἐμοῦ δημοφῶντι, καὶ θηριππίδῃ τοῖς συνεπιτρόποις: καὶ ὡς πολλὰ τῶν ἐμῶν λάβοιεν, οὐδέτερα ἔχων ἐπιδεῖξαι τούτων; *Audet igitur apud arbitrum dicere, quod ex pecuniis debita multa persoluit pro me Demophonti, & Therippida in tutela gerenda collegis: & quod multa ex meis interciperent, cum tamē neutrum ipsorum posSit demonstrare*] Quarto loco dictū Aphobi de multis debitis Demophonti, & Therippidæ persolutis, & de multis per eos interceptis refutat negatione eorum, quæ probata non sunt.

Πολλὰ τοίνυν ἀπορηθεὶς τῷ διαιτητῇ περὶ πάντων τούτων, καὶ καθ' ἕκαστον ἐξελεγχόμενος, ὥσπερ νῦν παρ' ὑμῖν, ἐτόλμησε ψεύσασθαι πάντων δεινότατον, ὡς τετίαρά μοι τάλαντα ὁ πατὴρ κατέλιπε κατορωρυγμένα, καὶ τούτων κυρίαν τὴν μητέρα ἐποίησε; *In multis igitur hasitās apud arbitrum de omnibus his, & singillatim conuictus, quemadmodum nunc apud vos, ausus est mentiri omnium impudentisSime, quatuor mihi talenta pa[trem] reliquisse defossa, & horum dominam effecisse matrem*] Sexto loco refutat dictum Aphobi de quatuor talentis humi defossis a patre. Et refutatio est a repugnantibus, quod si pater non satis illis fidebat, ne reliqua quidem illorum tutelæ com

læ commisisset, neque illis se hæc reliquisse pariter significasset: Si vero satis fidebat, neutiquam sane bonam pecuniæ partem ipsis demandasset, horum autem dominos nō effecisset. Neq; matri quidem hæc adseruanda dedisset, ipsam vero vni e tutoribus istis vxorē dedisset. Talia enim inter se repugnant. Addit Aphobum ipsam sibi a patre vxorem datam minime duxisse, quod simulatque iste minas octoginta pro dote habuit, quasi eam ducturus esset, Philonidis Melitensis filiam duxit; & argumentatur de illis quatuor talentis a minori sic; si Aphobus manifestas facultates turpissime diripuit, multo magis studuisset occultatas pecunias potiri, ducendo illam vxorem. Quod non fecit, quia falsum est illas pecunias fuisse domi defossas.

Πολλὰ μὲν οὖν ἔγωγ' ἔχω καὶ ἄλλα τούτου κατηγορεῖν· ἓν δὲ περὶ πάντων κεφάλαιον εἰπὼν, πάσας αὐτοῦ διαλύσω τὰς ἀπολογίας; *Ac multa quidem ego habeo etiam alia, in quibus eum accusare possum: verum vnum de omnibus si summatim dixero, omnes eius dissoluam defensiones*] Septimo loco agit de domo, vt erat, instructa; & argumentatur eam debuisse locari ex præscripto legum, quæ erant de locationibus; & vtitur simili, & exemplo, quod ex ipsarum legum præscripto Antidoro ex tribus talentis, & ter mille drachmis sex annis talenta sex, & eo amplius ex locatione domus reddita sunt, quam domum Theogenes Probalisius in foro conduxerat, & eam summam numerauerat. Ergo ex quatuordecim talentis annis vndecim habita temporis ratione, eiusque pecuniæ, quæ pro domus pensione soluenda fuit, summam triplo maiorem ad Demosthenem redire, æquum erat. Quod tamen non est factum: sed ne vniuersa quidem sors ei reddita est. Immo ex talentis quatuordecim ne septuaginta quidem minæ redditæ sunt; eumque insuper ære alieno obrutum esse, in tabulas relatum est.

XII.

IN PERORATIONEM.

Τοσαύτης τοίνυν οὐσίας μοι καταλειφθείσης, ὅσην ἐξ ἀρχῆς ἠκούσατε; *Cum igitur mihi tantum patrimonium relictum erit, quantum a principio audiuistis*] Cum quatuor sint munera perorationis, hoc in loco primum, & quartum vnus adhibetur ad male constituendos iudices in aduer-

ſarios, & ad renouandam eorum memoriam, ac repetenda præcipua capita confirmationis.

Καίτοι τί ποτ' ἂν ἔπαθον ὑπ' αὐτῶν, εἰ πλείω χρόνον ἐπετροπεύθην, οὐκ ἂν ἔχοιεν εἰπεῖν; *Atqui quidnam paſſus eſſem ab ipſis, ſi diutius ſub eorum tutela fuiſſem, non poſſent dicere*] Secundum munus perorationis ad amplificandum.

Δέομαι οὖν ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικαστὰι, καὶ ἱκετεύω, καὶ ἀντιβολῶ μνησθέντας καὶ τῶν νόμων, καὶ τῶν ὅρκων, οὓς ὀμόσαντες δικάζετε, βοηθῆσαι ἡμῖν τὰ δίκαια, καὶ μὴ περὶ πλείονος τὰς τούτου δεήσεις ἢ τὰς ἡμετέρας ποιήσασθαι; *Oro igitur vos, o viri iudices, & ſupplex rogo, & obteſtor, vt memores tum legum, tum iuriſiurandi, quo obligati iudicatis, opitulemini nobis ad ius noſtrum obtinendum, neque pluris eius preces, quam noſtras faciatis*] Tertium munus perorationis ad concitandos animos auditorum.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS DVODEVICESIMVS IN ORATIONEM CICERONIS PRO P. QVINCTIO.

I.

RES, QVA DE AGITVR.

DEFENDIT Cicero P. Quinctium aduerſus Sex. Næuium, cum quo fuerat ſocietas C. Quinctio P. Fr. in Gallia Narbonenſi; quiq; ex ea ſocietate pecuniam ſibi debitam eſſe dicebat, & ob id orta controuerſia inter ipſum, & P. Quinctium hereder C. Quinctij, & profecto illo, vt rem Gallicanam [illegible] Prætore Burrieno, vt illius bona ex edicto poſtulare liceret, petiit, quia vadimonium deſeruiſſet; eaque proſcripſit. Cumque impeditus eſſet a Sex. Alpheno, Quinctij procuratore, quominus bona venderet, contendente aduentum ipſius

ipsius Quinctij expectandum esse, & promittente eum tecturum idib. septembris, postea quam ille ad diem praestitutam reuersus est, duos annos quieuit, tandemque a Cn. Dolabella Praetore postulauit, vt sibi Quinctius iudicatum solui satisdaret, quod eius bona ex edicto Praetoris Burrieni triginta dies Romae possessa essent. Quinctium aut satisdare, aut sponsionem facere Dolabella iussit. Sponsionem facere Quinctius maluit. De ea sponsione a Praetore datus est iudex C. Aquilius, qui in consilium adhibuit iurisperitos L. Lucullum, P. Quinctilium, M. Marcellum. Quinctium defendit Cicero agens aetatis annos sex, & viginti, vt testatur Gellius lib. 15. cap. 28. hacque oratione, quam idem Gellius illustrissimam appellauit, tria probare conatus est, primum, non fuisse, cur a Praetore postularet Neuius, vt bona Quinctij possideret: deinde ex edicto possidere non potuisse: postremo non possedisse. Habuit eam an. Vr. 672.

II. GENVS CAVSAE.

EX quatuor proprietatibus generis iudicialis constat hanc orationem esse in genere iudiciali; tum ex auditore, & iudice C. Aquilio, qui iuratus hanc causam iudicauit, sedentibus cum eo, quamuis iniuratis, L. Lucullo, P. Quinctilio, M. Marcello, qui consilium communicarunt: tum ex partibus, accusatione, quam habuerunt Q. Hortensius, & L. Philippus, & defensione, quam habuit Cicero: tum ex tempore praeterito de bonis Quinctij a Neuio possessis, vel non possessis: tum ex fine, iusto, & iniusto, quod spectatur in hac causa, vt diiudicetur, a qua parte sit iustitia, Neuiine, an Quinctij.

III. STATVS CAVSAE.

COntrouersia est de facto, & coniecturalis, possessane sint a Naeuio ex Burrieni Praetoris edicto bona Quin-

IIII. ARGVMENTA.

PRimus modus argumentandi est a proprio fine eius generis, in quo oratio est, vt a fine generis iudicialis, quod

est, vt modo notauimus, iustum, & iniustum. Itaq; per totam confirmationem ostendit Cicero, iniuste agere Næuium, qui molestus est Quinctio, cum tamen ei nihil debeat Quinctius.

Secundus modus argumentandi est ab assumptis, quæ assumpta sunt a finibus aliorum generum, vt ab honesto, & turpi, qui est finis generis demonstratiui, & ab vtili, & pernicioso, qui est finis deliberatiui. Assumpsit igitur Cicero honestum, & turpe, dum ostendit, nõ conuenisse, non decuisse, non fuisse honestum, quamuis Quinctius vadimonium deseruisset, vt illico Næuius ad Prætorem iret contra eum, quo cum ipsi affinitas, societas, omnes deniq; causæ, & necessitudines veteres intercederent.

Tertius modus argumentandi est a communibus, & maxime illis, quæ sunt magis propria nostri generis, vt a facto, vel non facto, quæ magis conueniunt generi iudiciali, vt anno, & sex mensibus non petiit Næuius debitum: ergo nullum debitum fuit. &, Alia iudicia fieri maluit, & nihil petiit, quod deberetur: ergo nihil debitum fuit. &; Non est desertum vadimonium a Quinctio: ergo non debuit postulare Næuius, vt eius bona possideret. &, Bona Quinctij non venierunt: & ceteri creditores non conuenerunt: ergo ea Næuius non possedit. & Næuius edidit sibi socium Quinctium in bonis Alpheni: & coiuit societatem cum eo: & eum iudicio suo comprobauit: ergo eius bona non possedit. Inter communia etiam est id, quod fieri, vel non fieri potest. Quamobrem argumentatur Cicero ex edicto Prætoris bona Quinctij possideri nullo modo potuisse: & neminem esse, qui possit biduo, ad summum triduo septingenta millia passuum ambulare.

Quartus modus argumentandi est a communissimis, & locis Topicis, vt a causa; Non fuit causa, cur postularet Næuius, vt Quinctij bona possideret, quia nihil debebatur. Et a consequenti; si debuisset Quinctius, petiisset Næuius spatio anni, & sex mensium. At hic non petiit: ergo ille non debuit. &, si quid sibi deberetur, id petiisset Næuius, & non alia iudicia fieri maluisset. At alia iudicia fieri maluit, & nihil petiit, quod deberetur: ergo nihil debebatur. Et a maiori; Si etiam deserto vadimonio non erat postulandum,

vt bona Quinctij possiderentur, qui esset affinis, socius, omnibusq; causis, & necessitudinibus veteribus coniunctus: quanto minus erat postulandum non deserto vadimonio? Et ab antecedenti; Si defensus est absens Quinctius, ex edicto bona eius possessa non sunt, quasi vadimonium deseruisset. At quod primum est. Quod sequitur igitur. Rursus a consequenti; Si Næuius ex edicto possedit, bona Quinctij venierunt. At non venierunt: ergo non possedit. &, Si possedit, ceteri creditores conuenerunt. At non conuenerunt: ergo non est dicendum eum possedisse. &, Si bona Quinctij possessa sunt, aliquis potest biduo, aut triduo septingenta millia passuum ambulare. At hoc fieri non potest: ergo illa possessa non sunt.

V.
AFFECTVS.

IMpelluntur animi auditorũ ad amorem in Quinctium, ad odium in Næuium; ad iram in hunc, ad lenitatem in illum; ad misericordiam in vnum, ad stomachationem in alterum.

VI.
MORES.

OMnes amabiles mores exprimuntur in persona oratoris, prudentia, probitas, beneuolentia: & accommodatur oratio ad mores C. Aquilij iudicis, & ad mores eorum, quos ille sibi aduocauerat in consiliũ, dum ostendit Cicero sibi non venire in dubium illius fidem, & constantiam, & P. Quinctium spem summam habere debere in his veris electissimis ciuitatis, & prorsus magnificat illos.

VII.
ELOCVTIO.

GEnus eloquendi adhibetur ex doctrina Arist. lib. 3. cap. 12. mediocriter ornatum, atq; expolitum. Lumina enim orationis apparere magis debent in causis demonstratiuis: minus in iudicialibus: longe minus in deliberatiuis. Eo autem tempore, cum Cicero hanc habuit orationem, tametsi habebat summam gracilitatem, & infirmitatem corporis, procerum, & tenue collum, qui habitus, & quæ figura, non procul abesse putatur a vitæ periculo, si

accedat labor, & laterũ magna contentio: tamen omnia ſine remiſſione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis contentione dicebat, vt ſcriptum eſt in Bruto de claris oratoribus.

VIII.

DISPOSITIO.

Collocatæ ſunt in hac oratione partes hæ; primo loco procœmium: ſecundo narratio, propoſitio, partitio: tertio confirmatio in tres partes diſtributa: quarto peroratio.

IX.

IN PROOEMIVM.

Conſtat ex iis, quæ ſuperius ſcripta ſunt, duo eſſe munera procœmiorum, indicare finem, cuius gratia oratio inſtituta ſit, & parare animos auditorum. Et huius ſecundi muneris quatuor eſſe locos, nimirum duos, qui valent ad criminationem vel obiiciendam, vel depellendam, alterum ab aduerſario, alterum ab oratore, vel reo: & tertium ab auditore, qui ſolet reddi beneuolus, aut iratus, aut attentus, aut quandoque non attentus; & docilis: & quartum a re. Solet autem Cicero a ſecundo munere incipere. Ac primum quidem debebat videre, an vllo modo criminari poſſet aduerſarios, an aliqua ſibi obiici poſſet criminatio, quæ prius eſſet diluenda, quam ipſe ad cauſam aggrederetur. Deinde inueſtigare, tum ea, quæ ad auditorem, tum ea, quæ ad rem ipſam referuntur. Quo ſecundo munere diligenter, penituſq; perſpecto, ratio etiam primi muneris habenda erat, quomodo ſcilicet ipſe indicaret totum finem orationis ſuæ. Poterat autem aduerſarios criminari, quod ſumma gratia, ſumma eloquentia, ſummis opibus niterentur contra veritatem, & æquitatem. Poterat ipſi obiici, quod cum neque vſu ſatis, & ingenio parum valeret, cauſam ſuſcepiſſet contra patronum diſertiſſimum Q. Hortenſium, quodque cum tantopere timeret opes aduerſariorum, videretur diffidere æquitate Aquilij iudicis, & eorum, quos Aquilius ſibi aduocauerat. Poterant auditores admoneri, vt veritatem multis debilitatam incommodis, tandem æquitate ſua recrearent, & laudari commemoratione fidei, conſtantiæ, æquitatis,

quæ

quæ in hoc requirebantur iudicio, ac ſimul de magnitudine periculi, in quo verſabatur Quinctius, doceri, vt dociles, beneuoli, & attenti redderentur. Poterat rei iniquitas conſiderari, quod defenſori priori loco cauſa diceda eſſet. Ille autem finis huius orationis indicandus erat, vt multis iniuriis iactata, atque agitata P. Quinctij æquitas in hoc tandem iudicio conſiſteret, ac confirmaretur. Quæ omnia diligentiſſime Cicero effecit. Nam obiecit ſummam gratiam Sex. Næuio, & ſummam eloquentiam Q. Hortenſio, quorum alter facultatibus, & amicorum copiis, alter vſu, & ingenio magis fidebat, quam cauſæ æquitate; & quod cupiditati Sex. Næuij Q. Hortenſius, & Philippus obtemperarent, quo is facilius, quem vellet, iniquo iudicio opprimere poſſet; & quod quaſi ſua res, & honos ageretur, ita diligenter Sex. Næuij ſtudio, & cupiditati morem gererent, & in huiuſmodi rebus opes ſuas experirentur, in quibus quo plus propter virtutem, nobilitatemq; poſſent, eo minus, quantum poſſent, deberent oſtendere. Illam autem tacitam obiectionem, quod hanc cauſam parum diſertus contra patronum diſertiſſimum ſuſcepiſſet, videtur ita delere, vt ſignificet, ſe id feciſſe coactum precibus amicorum in maxima P. Quinctij neceſſitate. Nam M. Iunio, qui hanc cauſam aliquoties apud Aquilium egerat, homine & in aliis cauſis exercitato, & in hac multum, & ſæpe verſato, eo tempore noua legatione impedito, ad Ciceronem ventum eſt. Quam rem vix attigit, hoc in loco, propterea quod in confirmatione eam pluribus verbis erat expreſſurus. Videbatur vero diffidere æquitate iudicij. Quamobrem dubitanter ſic dicit; Quod ſi tu iudex nullo præſidio fuiſſe videbere contra vim, & gratiam ſolitudini, atque inopiæ; ſi apud hoc conſilium ex opibus, non ex ...itate cauſa pendetur; profecto nihil eſt iam ſanctum, ...que ſincerum in ciuitate; nihil, quod humilitatem cuiuſquam grauitas, & virtus iudicis conſoletur. certe aut apud te, & hos, qui tibi adſunt, veritas valebit: aut ex hoc ... repulſa vi, & gratia, locum, vbi conſiſtat, reperire non ...terit. Hanc de dubitatione ſua obiectionem ſic diluit; ...on eo dico, C. Aquili, quo mihi veniat in dubium tua fi...s, & conſtantia; aut quo non in iis, quos tibi aduocaſti,

viris electissimis ciuitatis spem summam habere P. Quinctius debeat. quid ergo est? primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit, quod vno iudicio de fortunis omnibus decernit: deinde habet aduersariũ P. Quinctius verbo Sex. Næuium, reuera huius ætatis homines disertissimos, fortissimos, ornatissimos nostræ ciuitatis, qui communi studio summis opibus Sex. Næuium defendunt. Dociles vero reddidit auditores, & beneuolos, & attentos expressione probitatis, laudatione eorum, amplificatione periculi. Ad docilitatem enim pertinet, vt docet Arist. lib. 3. cap. 14. si quis probus appareat. nam attendunt magis huiusmodi homines. Itaque Cicero expressit probitatem, dum professus est se tueri veritatem, & æquitatem, quæ multis incommodis debilitata tandem æquitate talium virorum erat recreanda: Laudauit auditores ab eorum æquitate, fide, constantia, amplitudine. Amplificauit magnitudinem periculi, quod P. Quinctius vno iudicio de fortunis omnibus decerneret; quodque haberet aduersarium verbo Sex. Næuium, reuera huiusce ætatis homines disertissimos, fortissimos, ornatissimos ciuitatis Q. Hortensium, & L. Philippum, qui communi studio summis opibus Sex. Næuium defenderent. Commemorauit rei iniquitatem, & indignitatem, quod ipse, qui caput alterius, famam, fortunasque defenderet, priore loco causam diceret; idque accideret Dolabellæ Prætoris iniquitate, & iniuria, qui contra omnium consuetudinem iudicium prius de probro, quam de re maluerat fieri, & ita cõstituerat id ipsum iudicium, vt reus, antequam verbum accusatoris audisset, causam dicere cogeretur; idque fecerat Hortensij, & Philippi gratia, atque potentia. Indicauit finem orationis, vt, cum tot, tantisque difficultatibus affectus, atque afflictus in C. Aquilij fidem, veritatem, misericordiam P. Quinctius confugerit; cum adhuc ei propter vim aduersariorum non ius par, non agendi potestas, eadem, non magistratus æquus reperiri potuerit cum ei summam per iniuriam omnia inimica, atq; infesta fuerint: multis iniuriis iactata, atque agitata æquitas in hoc tandem iudicio consisteret, atque confirmaretur. Itaque hoc procemium ductum est a secundo munere procemiorum.

miorum iudicialium, quod parat animos, id est, ab aduersariis, ab oratore, ab auditoribus, a re. præterea a primo munere, quod finem indicat orationis. Atque hæc fortasse notate debebat magnus ille explicator, qui, cum se vnum profiteatur tenere veram explicandarum orationum rationem, tamen artificio oratoris penitus prætermisso humiliora quædam persequitur, vt, quæ res in ciuitate duæ: non quæ duæ res in ciuitate. Eæ indicantis est. In hoc tempore; non hoc tempore. Id vero, otnandi causa. Solet interdum neganti copulæ affirmantem subiungere. Apud hoc consilium, emphasis est in hoc. Quid ergo est? modus loquendi. & alia similia puerilibus rudimentis, non virili scientiæ accommodata. *Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt*] Voluit Cicero ab heroo spondeo incipere, & eodem finire, cum posset ordiri a cretico illo, a quo exorsus est Fannius; Si, Quirites, minas illius: & illo dichoreo terminare, quem tantopere laudat, vt etiam vltimo pæani Aristoteli maxime probato anteponat. Si igitur exorsus esset sic; Quæ duæ res plurimum possunt in ciuitate; si non Pauli Manutij, at saltem meis, & illorum auribus placuisset, qui obseruarunt, non minus laudari creticum in principio, quam triplicem heroum, & pæana priorem, vt laudatur in fine pæan posterior ab Aristotele, & dichoreus a Cicerone, qui eum vel pæani posteriori præfert, & trochæus cum pæane tertio coniunctus, quæ structura Ciceroni est familiaris. *Gratia Sex. Næuij*] Non, quam Næuius præstat, sed quæ Næuio præstatur. Quandoq; contra, vt pro Milone; Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela! *Non mediocriter pertimesco*] Dichoreus maxime Ciceroni probatus. Sic infra; Noua legatione impeditus. Rem tantam, tot controuersiis implicatam. In ceteris causis esse adiumento. Nihil enim Cicero ad rem putat pertinere, extrema illa longa sit, an breuis. Subsidio mihi diligentiam comparaui. Æqui- [illegible]e talium [illegible]rorum recreetur. Sincerum in ciuitate. orna- [illegible]os nostræ ciuitatis. Cupiditati alterius obtemperare. Causam dicere cogeretur. Sic aliis in locis sæpissime. Amat enim Cicero hunc numerum, præcipue in fine. *Eloquentia Q. Hortensij*] De qua plura in Bruto. *Vt ego, qui neq; vsu*

satis, & ingenio parum possum] Erat tamen Cicero tunc ad-
modum doctus. Nam florescente Hortensio in forum ve-
nerat: oratores frequenter audiens acerrimum studiũ ad-
hibuerat: quotidieq; & scribens, & legens, & commentans,
oratoriis tamen exercitationibus contentus non fuerat.
An. vr. 664. vndeuiginti annos natus iuris ciuilis studio mul
tum operæ dederat Q. Scæuolæ. & an. 665. P. Sulpitij in
Tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi
penitus cognouerat, eodemq; tempore cum princeps Aca-
demiæ Philo cum Atheniensium optimatibus Mithrida-
tico bello domo profugisset, Romamq; venisset, totum ei
se tradiderat, admirabili quodam ad philosophiam studio
concitatus. Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romæ
dederat operam, & actori summo causarum, & magistro.
Cumq; triennium fere fuisset vrbs sine armis, eo tempore
omni noctes, & dies in omnium doctrinarum meditatio-
ne versatus erat, & cum Stoico Diodoto fuerat, a quo cum
in aliis rebus, tum studiosissime in Dialectica exercitatus
fuerat, atq; huic doctori, & eius artibus variis, atq; multis
ita fuerat deditus, vt ab exercitationibus oratoriis nullus
dies vacuus esset. Commentatus fuerat declamitans sæpe
cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quo-
tidie. idq; fecerat multum etiam Latine: sed Græce sæpius.
Cumq; interim tumultus Syllanus fuisset pro recuperan-
da Rep. tandem se causas agere cœpisse, & eodem tempo-
re Moloni operam dedisse, sic in Bruto testatus est; Tum
primum nos ad causas & priuatas, & publicas adire cœpi-
mus, non vt in foro disceremus, quod plerĩq; fecerunt, sed,
vt, quantum nos efficere potuissemus; docti in forum ve-
niremus. Eodem tempore Moloni dedimus operam. Di-
ctatore enim Sylla legatus ad senatum de Rhodiorũ præ-
miis venerat. Atq; hic fuit progressus studiorum Ciceronis
eo vsq;, cum causas agere cœpit. Nam postea cum esset b
ennium versatus in causis, quo biennio habita est orat
pro P. Quinctio, & oratio pro Sex. Roscio, A[illegible] studi
Philospohiæ sub Antiocho, & Rhetoricæ sub Dem[illegible]
Rhodi vero etiam Rhetoricæ sub Molone: f[illegible]itq; bienuiur
in Asia studiorum causa: inde Romam venit, & rursus cau
sas egit. Quæ omnia constant ex Bruto de claris oratori
bu

bus. *Quod M. Iunius*] Is, quem de iure pluribus verbis perite, & diligenter scripsisse, legitur lib. 3. de legibus apud Ciceronem. *Eo te, & hos, qui tibi in consilio adsunt*] Notat Paullus Manutius, fuisse hac in causa iudices quatuor, a Prætore datos, & recuperatores nominatos, C. Aquilium Gallum, qui primum locum obtinet: L. Lucilium: P. Quinctilium: M. Marcellum. De Aquilio verum est: de reliquis falsum. Nam solus C. Aquilius a Prætore datus est iudex: alios Aquilius sibi aduocauit, qui in consilio adessent. ille sediti iuratus: hi iniurati. ille iudicauit: hi non iudicarunt, sed consilium communicarunt, quia non a magistratu potestatem acceperant, sed priuatim ab Aquilio aduocati fuerant. Sic in causa Q. Roscij solus C. Piso a Prætore iudex datus est: Pisoni in consilio affuit M. Perpenna. Sic in aliis causis factum est, vt vnus esset iudex: alij essent illius iudicis consiliarij. *Non eo dico*] Occupatio, apud Quintilianum præsumptio. *Propterea quod omnes*] Sententia sine subiectione rationis, quæ fit manifesta, dum dicitur. *Homines disertissimos*] Non solum Q. Hortensium, excellentem ingenio, nobilitate, existimatione: sed etiam L. Philippum, eloquentia, grauitate, honore florentissimum ciuitatis, qui cum Crasso, & Antonio floruit. De quo in Bruto. *Si id est defendere*] Correctio: non enim defendebant Næuium: sed cupiditati Næuij contra Quinctium obtemperabant. *Priore loco causam dicere*] Facta enim erat iussu Prætoris Dolabellę sponsio inter Quinctium, & Næuium, qua Næuius aliquo modo se obligauerat, si probatum esset, bona Quinctij ab ipso non fuisse possessa. Itaque, vt fieret ea probatio, priore loco debuit Cicero pro Quinctio dicere. *Vt ego, qui tela depellere*] Allegoria ex pluribus translationibus cōfecta. Non enim est in vno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, vt aliud dicatur, aliud intelligendum sit. Itaque allegoria est, cum fluxerunt plures continuatæ translationes; vt hoc in loco tela depellere est contraria argumenta refutare: vulneribus mederi obiectionibus respondere; telum iacere; argumentum contrarium obiicere: tempus impugnandi, tempus contra loquendi: potestas vitandi impetus, potestas soluendi contraria argumenta: venenatum aliquod telum

iacere falsum aliquod crimen obiicere: medicinæ faciendæ locus criminationis depellendæ facultas. *Quasi venenatum aliquod telum*] Translatio mollita similitudine, apud Aristotelem imago. *Prætoris iniquitate*] Cn. Dolabellæ, de quo non mediocris dubitatio est. Nam Quinctius abiit Roma pridie Kal. Februarij an. vr. 670. Scipione, & Norbano Cos. Alphenus promisit sisti Idib. Septembris eiusdem anni 670. & venit Quinctius, ac vadimonium stetit. Postea vero Næuius annum, & sex menses nihil petiit, id est, vsque ad Martium anni 672. Tunc deniq; a Cn. Dolabella Prætore postulauit, vt sibi Quinctius iudicatum solui satisdaret ex formula, quod ab eo peteret, cuius ex edicto Prætoris R. bona dies triginta possessa essent. Eodem anno inuenio Cn. Dolabellam fuisse consulem cum M. Tullio Decula. Itaque, nisi duo Dolabellæ intelligantur, vnus Prætor, alter consul, illud absurdi eueniet, vt eodem anno Cn. Dolabellam fuisse & Prætorem, & consulem, dicendum sit. *Iudicium prius de probro*] Erat enim probrum, infamia, & ignominia, propter desertum vadimonium bona alicuius ex edicto prætoris possessa esse. *Eorum gratia*] Q. Hortensij, L. Philippi. *Cum tot, tantisque difficultatibus*] Obsecratio, misericordiam mouens.

X.

IN NARRATIONEM, PROPOSITIONEM, ET PARTITIONEM.

CVm sex præcipiat Aristoteles de narratione iudiciali, primo loco ea potissimum dicenda, quæ rem declarent, & quæ adducant ad opinandum rem ita esse, vt narratur: secundo attexenda ea, quæ pertineant ad nostram probitatem, & aduersariorum improbitatem: tertio maiorem esse narrationē accusatoris, quam defensoris: quarto narrationem oportere esse moratam ex significatio[ne] prælectionis: quinto affectam ex iis, quæ afficiendi vi[m] habent: sexto multis in locis fieri posse, & quandoq; n[on] in principio: primum præceptum, quod est de perspicui[ta]te, & probabilitate narrationis, egregie seruatur, dum r[es] quatuordecim perspicue narrātur. 1. C. Quinctium feci[t] societatem cum Sex. Næuio earum rerum, quæ in Gall[ia]

comp

comparabantur. 2. Næuiũ in ea societate mediocri quæstu contentum non fuisse. 3. C. Quinctium mortuum esse, herede relicto P. Quinctio. 4. Cum P. Quinctius in Galliam profectus esset ad Næuium, nullum verbũ a Næuio factum esse de pecunia sibi debita. 5. Deceptum esse P. Quinctium a Næuio promissione pecuniæ commodandæ, vt Scapulis dissolueret, ac destitutum esse. 6. Controuersiam inter Quinctium, & Næuium arbitris commissam decidi non potuisse. Itaq; rem cœpisse in vadimonium esse. 7. Næuium non curasse vadimonium, vt deciperet Quinctium. Itaq; ipsum Quinctium sine vadimonio in Galliam profectum esse. 8. Næuio quasi deserto a Quinctio vadimonio impetrasse a Burrieno, Prætore, vt bona Quinctij possideret. 9. Alphenum Romæ pro Quinctio egisse, quominus bona eius possiderentur. 10. Quinctium in Gallia de saltu, agroq; communi detrusum confugisse ad Flaccum Imperatorem. 11. Cum ageretur de satisdatione ab Alpheno Procuratore præstanda, Alphenum promisisse, Idibus Septembris Quinctium sisti. 12. Quinctiũ stitisse; cumq; annum, & sex menses Næuius nihil petiisset, tandem a Dolabella Prætore cum postulasse, vt sibi Quinctius iudicatum solui satisdaret ex formula, quod ab eo peteret, cuius ex edicto Prætoris R. bona dies triginta possessa essent. 13. Dolabellam iussisse, P. Quinctium aut satisdare, aut sponsionem cum Sex. Næuio facere, ni bona sua ex edicto Burrieni Prætoris dies triginta possessa non essent. 14. Quinctium sponsionem tanquam minus malum elegisse. In his autem omnibus recensendis mira adhibetur probabilitas. Dicitur enim C. Quinctius fecisse societatem cum Sex. Næuio bonis moribus minime instituto, quod esset parum consideratus. Dicitur Næuius fecisse mutationem loci, non ingenij, quod ab adolescentia quæstum sibi instituisset sine impendio. Dicitur C. Quinctius post annos complures societatis, post suspicionem habitam de Næuio, post res a Næuio libidine, non ratione gestas, mortuus esse, præsente Næuio, & mortuus esse repentino, vt probabiliter veneficium significaretur. Dicitur Næuius per annum fere in Gallia nullum verbum fecisse cum P. Quinctio de pecunia sibi debita, vt probabile fie-

ret, nihil debitum fuisse. Dicitur per C. Aquilium Quæstorem quadriennio ante, quam hæc oratio habita sit, decidisse P. Quinctius, quod liberis P. Scapulæ dissolueret, quod propter ærariam rationem non satis erat in talibus inspexisse, quantum deberetur, nisi a Quæstoribus quæsisset, quantum solueretur. Dicitur, quasi domi numos haberet, ita constituisse Scapulis se daturum, quod Næuius dixisset, sibi numorum facultatem esse, quam, si saperet, communem existimaret, pro fraterna necessitudine, & pro ipsius affinitate. Dicitur apud arbitros res nullo potuisse modo conuenire, quod Næuius mediocri præda contentus non esset. Dicitur Næuius vadimonium non curasse propter singulare genus fraudis, & nouam rationem insidiarum, vt Quinctio Roma profecto iniuriam faceret. Dicitur expectasse, dum longe abesset Quinctius, nec amplius posset ad iniuriam propulsandam redire; itaque res non tam cito in contentionem ventura fuisse, nisi ex Publicio narratum Næuio esset, Quinctium ad vada Volaterrana peruenisse. Dicitur Alphenus libellos deiecisse, & seruulum, quem Næuius prehenderat, abduxisse, quod esset procurator Quinctij. Dicitur Quinctius de saltu, agroque communi contra æquitatem detrusus fuisse, quod ea res vehementer a C. Flacco Imperatore fuerit vindicata. Dicitur Alphenus vsus esse populi fauore, quod Næuius caput Quinctij petere non desineret. Dicitur Næuius, cum esset homo acerrimus, bonorum possessor, expulsor, ereptor, tamen annum, & sex menses nihil petiisse, vt probabiliter significaretur, eum expectasse, donec Prætorem nancisceretur, a quo id, quod vellet, impetraret. Dicitur Dolabella decreuisse rem iniquam, & nouam, quod iusserit, P. Quinctium aut satisdare solum, cum etiam Næuius debuisset, satisdare, aut sponsionem cum eo facere, ni bona sua possessa essent, propter quam sponsionem reus contra ius, & consuetudinem priore loco debebat dicere, vt negationem probaret, bona possessa non esse; & recusantibus iis, qui tunc aderant Quinctio, ac clamāte ipso Quinctio, tamen iniuriam facere perseuerasse, quod homines nobiles, seu recte, seu perperam, facere cœperunt, ita in vtroque excellunt, vt nemo inferiori loco natus assequi possi

possit. Dicitur conturbatus discessisse Quinctius, quod ei optio misera, atq; iniqua daretur, sponsionem tamen elegisse, non satisdationem, quod per satisdationem ipse se capitis damnasset, per sponsionem vero, tametsi priore loco esset dicturus, tamen spem haberet, ad talem virum iudicem veniendi, vnde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiæ. Apparet igitur, quomodo tota hæc narratio sit non solum perspicua, sed etiam probabilis. Quod attinet ad secundum præceptum, attexuntur, quæ pertinent ad probitatem C. Quinctij, qui heredem testamento reliquit P. Quinctiũ, vt ad quem summus mœror morte sua veniebat, ad eundem summus honos quoque perueniret. Et ad probitatem P. Quinctij, qui, quia, quod virum bonum facere oportebat; id loquebatur Næuius, credidit eum, qui orationem bonorum imitaretur, facta quoque imitaturum, quique appellauit vltro Næuium, vt, quoniam suspicaretur aliqua de re fore controuersiam videret, vt quam primum, & quam minima cum molestia tota res transigeretur. Et ad improbitatem Næuij, qui non ita erat institutus, vt iura societatis, & officia certi patrisfamilias nosse posset; qui mediocri quæstu contentus esse non poterat, & haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad se in priuatam domum se vocabat, qua in re ita diligens erat, quasi ij, qui magna fide societatem gererent, arbitrio pro socio condemnari solerent; qui sæpe suspectus fuerat Quinctio, neque ita commode poterat rationem reddere earum rerum, quas libidine, non ratione gesserat; qui, cum Quinctium in summas angustias adductum putaret, vt cum suis conditionibus in ipso articulo temporis adstringeret, assem sese negauit daturum, nisi prius de rebus, rationibusque societatis decidisset, & scisset sibi cum Quinctio controuersiæ nihil futurum; qui mediocri præda contentus nõ erat; qui adhibuit singulare genus fraudis, & nouam rationem insidiarum; qui iussit bona proscribi eius, qui cum familiaritas fuerat, societas erat, affinitas liberis ipsius viuis diuelli non poterat; qui, cum amicum, socium, affinem, fama, fortunis spoliare conatus esset, vanum se, & perfidiosum, & impium esse fateretur, necesse erat. Et quæcunq; iucunda sunt auditoribus, vt inter

cetera illa, quæ dicuntur per ironiam in hunc modum; Cum Sex. Næuio, viro bono, verumtamen non ita instituto, vt iura societatis, & officia certi patrisfamilias nosse posset. Ibi tum vir optimus, Sex. Næuius hominem multis verbis deterret. Tum iste vir optimus (vereor, ne se derideri putet, quod iterum iam dico; optimus) Tertium præceptum est de minori narratione defensoris, quam accusatoris. Defensori enim narrationes amputandæ sunt, quæ lædunt, vel etiam relinquendæ, si totæ sunt molestæ. vt tradit quoq; Cicero in Partitionibus. Verisimile autem est, Ciceronem nonnulla prætermisisse in hac narratione, quę Hortensius accusator Quinctij narrare debuit. Quartum præceptum est de morata narratione, quæ indicat præelectionem vel bonam, vel malam, ratione finis vel boni, vel mali. Nam ex fine apparet præelectio: ex præelectione apparent mores, vt docuit Arist. lib. 1. Rhet. cap. 8. Indicauit autem Cicero præelectionem Næuij quæstuosam in hunc modum; Cum ei natura nihil melius, quam vocem dedisset, pater nihil præter libertatem reliquisset; vocem in quæstum contulit; libertate vsus est, quo impunius dicax esset. Et præelectionem hominum nobilium obstinatam sic; Dolabella (quemadmodum solent homines nobiles, seu recte, seu perperam facere cœperunt, ita in vtroque excellunt, vt nemo nostro loco natus assequi possit) iniurias facere fortissime perseuerat. Quinctum præceptum est de affecta narratione, quæ cum affectu narrat consequentia, vt destitutione illa perculsus Quinctius paucos dies aufert. Expulsus, atque eiectus e prædio Quinctius, accepta insigni iniuria, confugit ad C. Flaccum Imperatorem. Conturbatus sane discedit Quinctius: neque mirum, cui hæc optio tam misera, tam iniqua daretur. Sextum præceptum est de narratione multis in locis facienda, & quandoque non in principio, id est, non coniunctim cum procemio. Quod fieri solet ab iis, qui posterior loco dicunt, vt post procemium collocent refutationem contrariorum argumentorū, prius quam narrent, & confirment. Cum autem Cicero, quamuis reum defendens per iniquitatem, & iniuriam priore loco diceret, cum procemio coniunxit narrationem. Absoluta autem narratio

ne

ne, proponendum erat illud, quod esset confirmandum. quod quandoque fit per simplicem propositionem, vt pro Mil. Vter vtri fecerit insidias. quandoq; per partitionem, vt pro lege Man. Primum de genere belli: deinde de magnitudine: tum de Imperatore delegendo. Prius autem, quam proponatur, solent attentionis causa quædam dici, & incommoda causæ commemorari, ac modus aperiri, qui in dicendo seruandus sit. Itaque primum Cicero varia incommoda recenset, quod nō de re pecuniaria, sed de fama, fortunisque P. Quinctij agatur: quod, cum is, qui pro capite dicat, posteriore loco dicere soleat, ipse inaudita criminatione accusatorum priore loco causam dicat: quod in hac causa ij, qui defendere consueuerunt, accusent, & ea ingenia conuertantur ad perniciem, quæ antea versabantur, in salute, atque auxilio ferendo: ad quæ incommoda illud etiam aduersarij accedere voluerunt, vt ipsi Ciceroni, quamdiu diceret, tempus præstitueretur: quod tamen propter iudicis prudentiam, atque æquitatem non est impetratum. Deinde ostendit se non passurum illam manere suspicionem, nolle ipsum rem iudicari; ac breuitate sibi amicissima vsurum; & more Hortensij totam causæ suæ dictionem certas in partes diuisurum. Postremo proponit non solum simpliciter negationem suam, cum ipse neget, Næuium bona P. Quinctij possedisse ex edicto Prætoris: verum etiam tria illa capita; Non fuisse causam, cur Næuius a Prætore postularet, vt bona Quinctij possideret: Ex edicto possideri non potuisse: Possessa non esse, repetitque eadem capita, vt facilius memoria comprehendantur. *Nam neque parum facetus scurra*] Interiecti sunt inter scurras, & rusticos faceti. Scurras autem lib. 3. Rhet. cap. 18. distinguit Aristoteles a dissimulatoribus, quod scurræ aliorum causa: dissimulatores sui causa fingunt ridiculum. Itaq; dissimulatio dicitur esse scurrilitate liberalior. *Tum annos*] Hinc colligitur suspicio veneficij. *Aut societatem*] Duobus modis dicebat Næuius sibi pecuniam deberi, tum a societate, tum priuatim a Quinctio: nullum tamen de ea re verbum fecerat per annum in Gallia. *Pro fraterna illa necessitudine*] Quam Næuius habuerat cum C. Quinctio fratre P. Quinctij. *Per te, C. Aquili*] Hic dicitur

fuisse Quæstor L. Cinna IIII. Cn. Papirio Carbone II. cos. an. ab V. C. 669. *Quæ tibi cum Scapulis est*] Scribit Plinius lib. 7. cap. 53. P. Quinctium, Scapulam repentino mortuum esse, cum apud Aquilium Gallum cœnaret; vnde cognoscitur, Scapulas fuisse gentiles Quinctiorum. nam etiam Scapulæ Quinctij dicebantur. *Obsecro, C. Aquili*] Arist. lib. 3. cap. 14. præterea attentum facere omnium partium est commune, si opus sit: vbicunq; enim languescent magis, quam incipientes. Quamobrem ridiculum est in principio collocare id, cum maxime omnes attendentes audiunt. Quare, cum tempus postulabit, dicendum est; Et mihi animum adhibete: neq; enim magis meum, quam vestrũ. &, Dicam enim vobis rem, qualem nunquam alias audistis, atrocem, aut sic admirabilem. Hoc autem est, vt Prodicus dicit, quando dormitant auditores, inferre ipsis aliquid demonstrationis quinquaginta drachmarum. *Scipione, & Norbano cos.*] An. vr. 670. *Quinctius interea contra ius, & consuetudinem edicto Prætoris*] Non vero, sed simulato: antequam enim edictũ impetrasset, miserat Næuius, qui curarent, vt, quasi impetratum esset edictum, Quinctius de suo fundo vi deiiceretur. Edictũ enim, quod vere factum est, in Gallia tunc sciri non potuit, cum est detrusus Quinctius, nisi dicatur septingenta millia passuum biduo esse confecta, vt probatur in confirmatione. *Ad C. Flaccum Imperatorem, qui tum erat in prouincia*] Paullus Manutius putat, hunc C. Flaccum esse illum, qui ante annos non duodecim, vt ipse scribit, sed decem consul fuerat cum M. Herennio, an. scilicet ab V. C. 660. ita vt fuerit proconsul Transalpinæ Galliæ. Sigonius tamen in commentario fastorum, & triumphorum, vbi agit de consulibus anni 670. sic scribit; C. Flaccus his consulibus Prætor in Gallia vlteriore rem bene gessit, si quidem Imperator a Cicerone nominatur pro Quinctio. *Non recusabat*] Satisdare recusabat ex ea formula, quam attulerat Næuius, in qua erat vadimonij deserti; & bonorum possessorum ignominiosa confessio. Sed non recusabat satisdare hoc modo; Ni bona possessa essent ex edicto. quod videbatur infamiam deserti vadimonij remouere, dum negabatur, quod factũ esse dicebatur. *Iubet P. Quinctium aut satisdare*] Ex formula

mula allata a Næuio. *Aut sponsionem cum Sex. Næuio facere*] Qua obligaretur Næuius, nisi probatū esset a Quinctio, bona ex edicto possessa non esse. *Demonstrabant de re*] An Quinctius aliquid deberet, nec ne. *Vt aut vterq;*] Iusserat enim Prætor, solum Quinctium satisdare. *Non necesse esse*] Agebatur de fama Quinctij, an bona eius essent possessa ex edicto propter desertum vadimonium. *Se se idcirco*] Hoc pertinet ad primam optionem, quæ dabatur edicto. *Sponsionem porro*] Hoc ad secundam. *Priore loco causam esse dicturum*] Quod erat perquam incommodū, vt in procemio dictum est. *Vt nemo nostro loco*] Inferiori loco, qualis fuit equestris, quo loco natus est Cicero, id est, ex maioribus equitibus. *Iudicium esse, C. Aquili*] Primum incommodum. *Cum maiores*] Alterum incommodum. *Eos porro*] Tertium incommodum. *Illud etiam restiterat*] Procuratum est quartum incommodum, sed non impetratum. *Non patiar*] Pollicetur breuitatem. *Faciam, quod te*] Dicit se imitaturum esse Hortensium in causa diuidenda: solebat enim Hortensius causas diuidere, & in digitis suis singulas constituere, vt dicitur in diuinatione in Verrem. *Vt & mihi sit propositum*] Triplex commodum diuisionis; vnum eius, qui dicit: alterum eius, qui responsurus est: tertium eius, qui iudicaturus est. *Negamus*] Propositio continens simplicem negationem. *Ostendam primum*] Propositio totius causæ tripartita. *Quæso, C. Aquili*] Attentionem comparat. *Nego fuisse*] Iteratio.

XI.

IN CONFIRMATIONEM ORATIONIS PRO QVINCTIO.

SVperius ex Aristotelis doctrina notatum est, cum triplex sit instrumentum oratorium, enthymema, exemplum, amplificatio; enthymemata generi iudiciali esse accommodatiora. Quamobrem ea potissimum in hac confirmatione adhibita sunt. Quomodo autem adhibita sint, & ea argumenta, easq; rationes, quas supra collegimus, explicauerint (nihil enim aliud est enthymema, nisi argumenti per vnam propositionem, & conclusionem explicatio) nobis danda opera est, vt breuiter, & facile exponamus. Iam primum caput confirmationis est; Non fuisse causam,

cur Næuius a Prætore Burrieno poſtularet, vt bona Quinctij poſſideret. Hoc probatur tribus præcipuis enthymematibus; quorum primum eſt per ἔνστασιν ſic; Nihil debuit Quinctius Næuio. Ergo non fuit cauſa, cur Næuius poſtularet, vt eius bona poſſideret. Alterũ per ἀντιπαράστασιν ſic; Vadimonium non deſeruit Quinctius. Ergo poſtulandi cauſa non fuit. Ammonius in Ariſtotelis categorias declarat, ἔνστασιν quidem eſſe, cum quæſtioni nihil omnino cedimus, ſed ipſam ſubuertimus, perinde ac non ita ſe habeat, vt propoſita eſt: ἀντιπαράστασιν vero, cum id, quod obiicitur, admittentes, oſtendimus, tametſi id ita ſe habeat, nihil tamen ei officere, quod dicimus. Probatur aſſumptio primi enthymematis ex adiunctis in hunc modum; Næuius ex Quinctio nihil vnquam petiit. Ergo adiungitur, vt nihil deberet Quinctius. Aſſumptio ſecundi enthymematis patet. Aſſumptio tertij enthymematis habet hanc probationem; Nullum fuit vadimonium. Ergo vadimonium non eſt deſertum. Nullum autem fuiſſe vadimonium apparet ex eo, quod Næuius dixit vadimonium eſſe factum Nonis Febr. & Quinctius eo die Romæ non fuit, qui Roma egreſſus eſt pridie Kal. Februarij. Huiuſmodi autẽ profectio probari poterat teſtimonio L. Albij, qui vna cum Quinctio profectus fuerat; & familiarium Albij, & Quinctij; & literarum, ac ephemeridis Quinctij. Quæ teſtimonia comparanda non erant cum teſtimonio eius adſtipulatoris, qui Næuij calumniam confirmabat. Secundum caput confirmationis eſt; Bona P. Quinctij ex edicto poſſideri nõ potuiſſe. Quod probatur hoc enthymemate; Conditiones edicti non euenerunt. Ergo bona ex edicto poſſideri non potuerunt. Vt autem probetur aſſumptio, enumerantur quatuor conditiones edicti; Qui fraudationis cauſa latitauerit: Cui heres non extiterit: Qui exilij cauſa ſolum verterit: Qui a nemine defenſus fuerit. Quæ conditiones de Quinctio dici non poterant. Tertium caput eſt; Bona Quinctij ex edicto poſſeſſa non eſſe. Quod probatur quinque enthymematibus. Primum enthymema eſt; Bona Quinctij non venierunt, & ceteri ſponſores, ac creditores non cõuenerunt. Ergo illa poſſeſſa non ſunt. Alterum eſt; Cum emit Næuius bona Sex. Alpheni L. Sylla

dicta-

dictatore vendente, socium sibi in his bonis edidit Quinctium, eumq; iudicio suo comprobauit. Ergo non possederat antea bona Quinctij, tanquam eius, qui societatem fraudasset. Nam, si possedisset, verisimiliter non edidisset sibi socium, nec iudicio suo comprobasset. Tertium est; Nemo inuenitur, qui possit biduo, ad summum triduo septingenta millia passuum ambulare. Ergo ex edicto, quod factum est Romæ v. Kal. Intercalares, bona Quinctij, quæ distabant septem millibus passuum, possessa non sunt pridie Kal. Intercalares. Id enim fieri nō potuit, & repugnantiam continet. Quartum est; Longe aliter possedit Næuius, quam Prætor edixit. Ergo ex edicto non possedit. Quinctum, quod desideratur, erat; Multa bona Quinctij non sunt possessa. Ergo non vniuersa bona sunt possessa. *Non fuit causa*] Conclusio primi enthymematis in primo capite confirmationis. *Quia Sex. Næuio*] Assumptio primi enthymematis. *Quis huic rei testis est?*] Probatio assumptionis egregie adornata. Cum autē improborum hominum testimoniū nec pro aliis, nec cōtra alios multum momenti habeanr multū tamen valet contra ipsos, vt Næuij contra ipsum Næuium. Itaq; sic legitur; Opinor tuum testimonium, quod in aliena re leue esset, id tua, quoniam contra te est, grauissimum debet esse. Quocirca citatus ipse Næuius testis, qui nullam significationem dedit sibi aliquid deberi. *Moritur C. Quinctius*] Iteratio probationis per amplificationem a circumstantiis. *Itane est? quod viri optimi*] A minori; Si viri optimi fecerunt: multo magis fecisset Sex. Næuius perquam auarus. *Et is pecuniam*] Rursus a minori; Si pecuniam non debitam petit: multo magis petiisset debitam. *Huic tu*] Occupatio obiectionis, quæ tollitur a repugnantibus. Nam hæc inter se repugnāt, Nolle alicui molestū esse, & non sinere eum libere respirare: Nolle aliquem pudenter appellare, & cupere eum nefarie interficere: Parcere alicuius auribus, & eius caput oppugnare. *Ita credo*] Dissimulatio pulcherrima. *Si debuisset Sexti*] Repetitio eiusdem rationis, & argumenti, quod reducitur ad argumentationem illam, quæ destructo consequenti destruit antecedens in hunc modum; Si Quinctius debuisset, Næuius petiisset. At hic non petiit. Ergo ille non debuit. *Quis tam perditus*] Amplificatio a

persona: fecisset enim Næuius contra naturam suam, si nihil petiisset. *Cum hominem nomino*] Plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio. *Debuit tibi*] Commoratio in eodem argumento, & reuocatio eius ad verisimilius. Nam verisimilius est, Næuium statim, si quid deberetur, petiturum fuisse, quam ne appellaturum quidem biennio. *Appellandi tempus*] Altera occupatio illius obiectionis, quod Næuius petere non potuerit, & idcirco non petierit. Quæ obiectio tollitur ab enumeratione, & a consequentibus. Etenim, si non potuit petere, aut ei defuit tempus, aut agendi locus, aut ei obstitit negligentia summa, aut vnica liberalitas, & bonitas. Non defuit tempus, quod cum eo Quinctius anno plus vixit. Non defuit agendi locus, quia & in prouincia ius dicebatur, & Romæ iudicia fiebant. Nec obstitit negligentia, homini in re adaugenda diligentiori, quam æquum esset. Nec obstitit bonitas, homini omnium pessimo. Ergo potuit petere. *Quid, si hoc ipsum*] Rursus argumentum explicatur, argumentatione ducta a consequenti; Si quid deberetur, peteret, nō omnia iudicia fieri mallet, quam illud vnum, vnde hæc omnia nascuntur. At non petit, & alia iudicia fieri mauult. Ergo nihil debetur. *Quid enim nunc*] Probatur, Næuium pecuniam non petere, sed alia iudicia fieri maluisse: & est assumptio argumentationis. *Non, inquit*] Prosopopœia. *Quid igitur pugnas?*] Volebat Næuius iudicari propter desertum vadimonium bona Quinctij ex edicto Prętoris esse possessa; quod ipsi Quinctio erat probrosum, atque ignominiosum. *Quid a nobis autem*] Volebat Quinctius de pecunia iudicari, quam se Næuio debere negabat: nec recusabat satisdare iudicatum solui, dummodo etiam Næuius satisdaret. *Immo inquit*] Volebat Næuius satisdari a Quinctio, non satisdare; quod erat iniquum. *Profecto, si quid deberetur*] Hæc est propositio maior argumentationis. *Qui inter tot*] Complexio, quæ conficit, nihil deberi, cum maxima odij concitatione in Næuium, & misericordiæ in Quinctium. *Quid, si debuisset?*] Conclusio secundo enthymematis. *Antequam doceo*] Præfatio ad assumptionem, quæ statim sequitur. *Illico ne*] Amplificatio iniquitatis. *Pecuniam si cuipiam*] Tria genera hominum considerantur,

primum

primum eorum, qui pauperes, & egentes facti sunt: tamen ab honestate consolationem capiunt. *At non nemo*] Alterum eorum, qui ignominia affecti sunt, & infamia notati: tamen suis se bonis, & opibus consolantur. *Cuius vero bona*] Tertium eorum, qui famam cum omnibus bonis amiserunt: in quibus esse Quinctium Næuius summopere cupiebat. *Ego hercule*] Altera amplificatio. *Ad vadimonium*] Alia amplificatio. *Ego pro te*] Commoratio in eadem amplificatione. *Quid ad hac*] Mira insectatio Næuij, & vltimus ornatus secūdi enthymematis. *Quid, si nunquam*] Assumptio tertij enthymematis. *Si vadimonium omnino*] Probatio assumptionis. *Et in hac eiusmodi*] Indignatio, & conquestio. *Docui, quod primum*] Conclusio non solum tertij enthymematis, sed totius etiam primi capitis. *Attende nunc*] Conclusio enthymematis in secundo capite. *Recita edictum*] Enumeratio conditionum edicti cum assumptione enthymematis. *Qui fraudationis*] Prima conditio. *Cui hæres*] Secunda. *Qui exilij*] Tertia. nam quarta, quæ in verborum contextu desideratur, erat; Qui a nemine defensus fuerit. *Quo tempore existimas*] Pluribus verbis probatur, absentem Quinctium fuisse defensum. Id quod ad quartam conditionem edicto expressam pertinebat. *Tum cum postulabas*] Postulauit Næuius a Prætore Burrieno, nemine præsente ex iis, qui defendere Quinctium possent. *Nec quicquam attinebat id recusare*] Manutius; Cur enim quisquam recusaret, quod Prætor non ex arbitrio suo, sed ex edicto fieri iubebat? Lambinus; Cum Prætor Quinctij bona possideri iubebat, seu decernebat, non ex edicto suo, sed contra edictum suum decernebat. Non igitur attinebat hoc recusare, id est, non erat opus hoc recusare, præsertim cum paratum esset aut a collega, aut a Tribuno pl. auxilium aduersus iniquum decretum Prætoris. Nobis magis placet Lambini explicatio, ita vt legatur; Quod Prætor fieri, non ex edicto suo iubebat. *Cum proscribebas*] Supra in narratione; Iussit bona proscribi eius, quicum familiaritas fuerat, societas erat, affinitas liberis istius viuis, diuelli nullo modo poterat. *Libellos deiecit Sex. Alphenus*] Supra; Libellos Sex. Alphenus, procurator P. Quinctij, familiaris, & propinquus Sex. Næuij, deiicit.

Hominem P. Quinctij] Supra; Seruulum vnum, quem iste prehenderat, abducit. *Debere tibi dicis*] Supra; Alphenus interea Romæ cum isto gladiatore vetulo quotidie pugnabat: vtebatur populo sane suo: propterea quod iste caput petere non desinebat. *At quis erat*] A persona procuratoris. *Postulabam inquit*] Explicat Manutius; a Dolabella Prætore. Itaque intelligit illum locum; a Dolabella denique Prætore postulat, vt sibi Quinctius iudicatum solui satisdet ex formula, quod ab eo petat, cuius ex edicto Prætoris R. bona dies triginta possessa sint. Huiusmodi tamen explicatio non est sequenda: agitur enim de ea postulatione, quæ habita est, prius quam Tribuni appellerentur; & hoc modo de postulatione habita apud Burrienum, non apud Dolabellam, vt satisdaret Alphenus, non Quinctius. Post quam postulationem appellati sunt Tribuni, & promissum est ab Alpheno, Idibus Septembris P. Quinctium sisti, &, cum Quinctius vadimonium stitisset, Næuius annum, & sex menses nihil petiit, a Cn. Dolabella deniq; Prætore postulauit, vt sibi Quinctius iudicatū solui satisdaret. Itaq; illa intelligitur postulatio, de qua supra in hunc modum; Iste postulat, vt procurator iudicatū solui satisdaret. Negat Alphenus æquum esse procuratorē satisdare, quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset. Et explicandum est sic; Postulabam, inquit, scilicet a Prætore Burrieno, vt satisdaret, scilicet Alphenus. *Tribuni igitur*] Supra; Appellantur Tribuni, a quibus cum esset certum auxilium petitum, ita tamen disceditur, vt Idibus Septembris P. Quinctium sisti Sex. Alphenus promitteret. *Cuius procurator non omnia iudicia*] Sequimur opinionem doctorum hominum, existimantium particulam Non delendam esse. *Ei misero, absenti, ignaro*] Hoc pertinet ad mouendam misericordiam. *At enim*] Occupatio obiectionis, quæ falsa esse ostenditur. Dicebat enim Hortensius, Tribunus pl. qui dicebantur appellari, nec audiuisse quidem, quod non intercessissent, nec Burrieni Prætoris decretum infirmassent. At respondet Cicero, M. Brutum dixisse palam, intercessurum se esse, nisi quid inter Alphenum, & Næuium conuenisset. *Quid deinde fit?*] Alphenus apud viros complures post appellationem Tribunorum, & petitionem satisdatio-

tisdationis professus est, si quid atrocius Næuius in Quinctium facere conaretur, se Quinctij causam defensurum. Hoc est, inquit Manutius, quod supra dixit; Istum æquum esse famæ, fortunisq; P. Quinctij consulere, & aduentum eius expectare: quod si facere nolit, atq; imbiberit eiusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere; sese nihil precari, &, si quid agere velit, iudicio defendere. Putat ergo Manutius esse id, quod supra dixit. Non est tamen id: sed simile. Id enim dictum est, cum seruulus vnus, quem Næuius prehenderat, ab Alpheno abductus est. Postquam abductionem postulatum est, vt Alphenus satisdaret, & appellati sunt Tribuni. Postea vero simile quiddam dixit Alphenus, qui nunquam desistebat, Quinctij defensionem profiteri. Quemadmodum enim seruulo illo abducto, denuntiauit sese procuratorem esse, nisi a Næuio, quod ipse precabatur, famæ, fortunisq; Quinctij consuleretur. Sic non cessante Næuio Quinctium molestissima lite insectari, qui postulauerat, vt procurator satisdaret, & coegerat ipsum procuratorem appellare Tribunos, ac perseuerabat inimicissime, atq; infestissime contendere, rursus testatus est se primum petere, ne quid atrocius facere conaretur; sin autem perseueraret, se paratum esse defendere. Itaq; non semel egit Alphenus, vt Næuius quiesceret, quod videtur Manutius significare: sed hoc etiam tempore, cum Tribunorum appellatio facta est. *Fit rebus omnibus*] Supra; Ita tamen disceditur, vt Idibus Septembris Quinctiũ sisti Sex. Alphenus promitteret. Venit Romam Quinctius, vadimonium sistit. iste homo acerrimus, bonorum possessor, expulsor, ereptor, annum, & sex menses nihil petit. *Vsq; dum inueniretur*] Vsq; dum fieret aliquis Prætor, qui ei iniuste faueret. *Ab vsitata consuetudine*] Vt priore loco accusator causam diceret. *In hac singulare iudicium*] In quo reus priore loco causam dicit propter sponsionem factam Prætoris Dolabellæ iniquitate, & iniuria; qua sponsione se obligauerat Næuius, si probatũ esset, bona Quinctij ex edicto possessa non esse, vt supra quoq; notauimus. *Non fuisse Næuio parem certationem*] Confertur Næuius cum Alpheno; ex qua collatione colligitur, non procuratorem P. Quinctio defuisse, sed gratiosum defuisse. *Illis*

dominantibus] Significantur Mariani. *Erat, inquit, illarum partium*] Marianarum. *De re pecuniaria*] Exponitur iniquitas causæ per Prosopopœiam. *Quare aut doceas*] Conclusio secundi capitis cum propositione tertij. *Quaero, cur bona*] Assumptio primi enthymematis in tertio capite. Quid ergo est? Exaggeratur improbitas Næuij per contentionem. *Vbi erant*] Commoratio in eadem assumptione. *Quod si tu ipse*] Conclusio secundi enthymematis. *Emisti bona*] Assumptio. *Diffidebam me hercule*] Præfatio ad tertium enthymema. *Neminem esse*] Assumptio. *Bona postulas*] Probatio assumptionis. *Ante V. Kal.*] A quincto ad secundum Kal. biduum intercedit. *O rem incredibilem*] Amplificatio habens exclamationem, dissimulationem, correctionem, fiduciam. *Vtrumlibet elige*] Aut dicebat Næuius septingenta millia passuum biduo esse decursa: aut priusquam postularet, vt bona possideret, se misisse, qui de fundo Quinctium deiicerent. primum incredibile: alterum nefarium, & inauditum. *Missis iniussu Prætoris*] Occupatio, & reprehensio eorum, quæ Næuius poterat dicere. *De cuiusquam vita*] De vita Quinctij nihil poterat dicere Næuius, qui tã nefarius esset. *Prætor, quemadmodum*] Hic incipit tractare quartum enthymema. *Numquid causa est*] Assumptio. *Cognoscamus edictum*] Recitatio edicti, vt probetur assumptio, longe aliter possedisse Næuium, quam edixisset Prætor. nam edictum vetabat aliquem per vim de prædio detrudi. Næuius vero fecerat, vt Quinctius per vim de prædio detruderetur. Atque hæc sunt quatuor præcipua enthymemata tertij capitis: quinctum enim desideratur, vt colligitur ex enumeratione perorationis.

XII.
IN PERORATIONEM ORATIONIS PRO QVINCTIO.

CVm munus perorationis, vt superius notatũ est, quadruplex sit, comparare auditorem bene erga se, male erga aduersarium: amplificare, & deprimere: impellere animum eius ad affectum: renouare memoriam: hæc omnia exequitur hæc peroratio. Primum enim renouando memoriam enumerat ea omnia, quæ in confirmatione dicta

cta sunt. Nam, cum tria sint capita confirmationis, in primo capite, vt probaretur nullam fuisse causam, cur Næuius postularet a Prætore, vt bona P. Quinctij possideret, tres præcipuæ rationes allatæ sunt; quod nihil debuerit Quinctius Næuio, cum de pecunia sibi debita annum, & eo diutius in Gallia nullum verbum fecerit: quod multa ante fieri conuenerit, quam hominis propinqui bona possideri postularentur: quod vadimonium desertum non sit, quippe quod nullum fuit, cum eo die, quo promissum esse dicebatur, ne Romæ quidem fuerit Quinctius. In secundo capite, vt probaretur bona Quinctij ex edicto possideri non potuisse, demonstratum est, conditiones edicti non euenisse, quod neq; fraudandi causa Quinctius latitasset, neque exilij causa solum vertisset, neque caruisset defensione, quem Alphenus copiosissime defendisset. In tertio capite, vt probaretur, bona Quinctij ex edicto possessa non esse, quinq; rationes prolatæ sunt, quod bona Quinctij non venierint, nec alij conuenerint creditores: quod Næuius Quinctium sibi ediderit sociū, iudicioq; suo comprobarit, quod deiectus sit Quinctius de saltu, agroque communi in Gallia, priusquam edictum sciri potuerit: quod contra edictum dominus de prædio vi detrusus sit: quod bona possessa non sint, cum bonorum possessio non in aliqua parte, sed in vniuersis spectetur, quæ teneri, ac possideri possint. Hæc omnia renouandæ memoriæ causa in hac perorατione repetuntur. Præterea bene constituitur auditor erga Quinctium, male erga Næuium, quod obsecret, obtesteturque. Quinctius per senectutem, & solitudinem suam: quod veritas cum eo faciat: quod ea res in discrimen versetur, vtrumne possit se contra luxuriam, & licentiam rusticana, atque inculta parsimonia defendere, an deformata, atque ornamentis omnibus spoliata, nuda cupiditati, petulantiæque addicatur: quod Quinctius non habeat, vt Næuius habet, domum clausam pudori, & sanctimoniæ, patentem, atque adeo expositam cupiditati, & voluptatibus, sed contra ei officium, fides, diligentia, vita omnino semper horrida, atque arida cordi fuerit: quod Næuius relicta bonorum virorum disciplina, quam semper coluit Quinctius, & quæstum, & sumptum

Gallonij sequi maluerit, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia, perfidiaque vixerit. Deinde res mirabiliter amplificatur, cum per totam orationem, tum ibi; Si licet vivere: si est homini honesto locus in ciuitate: si fas est respirare: si ornamenta potest obtinere, quem Sex. Næuius non vult, inuito Næuio, contra nutum, ditionemque Næuij, contra petulantiam; & miserum, miserius: acerbum acerbius: calamitosum calamitosius: funestum, funestius: indignum, indignius: luctuosum, luctuosius: horribile, horribilius. Postremo auditoris animus ad misericordiam impellitur, quod Quinctius ab omni magistratu agitatus, atq; perterritus, ab amicis Næuij non sublevatus, a Næuio repudiatus, multis vexatus contumeliis, plurimis iactatus iniuriis, non turpis ad Aquilium, sed miser confugerit: quod e fundo ornatissimo deiectus, ignominiis omnibus appetitus, cum illum in suis paternis bonis dominari videret, ipse filiæ nubili dotem cõficere non posset, nihil alienum tamen vita superiore commiserit. id enim valet plurimum, & est maxime necessarium ad misericordiam commouendam, si quis ostendatur non solum miser, verum etiam miseria indignus. Quamobrem ostenditur Quinctius dignus; qui, quam existimationem, quam honestatem in iudicium prope acta iam ætate, decursaq; attulit, eam secum ex iudicio efferat; & indignus, qui sexagesimo anno, dedecore, macula, turpissimaque ignominia notetur. *Næuium ne appellauisse quidem*] Hic incipit renouatio memoriæ, enumeratio, repetitio; estque prima ratio primi capitis positi in confirmatione. *Ostendi, quam multa*] Secunda ratio. *Docui, cum disertum*] Tertia ratio. *Ex edicto autem non possedisse*] Repetitio secundi capitis, quod fere totum, quantum ad priores edicti conditiones, desideratur: vltimam vero conditionem, quæ erat de eo, quem nemo iudicio defendisset, pluribus verbis tractatum continet. *Quæsiui, quæ causa fuisset*] Repetitio tertij capitis quinq; præcipuas rationes comprehendentis; estq; prima ratio. *Postea sum vsus*] Secunda ratio. *Tum illam*] Tertia ratio. *Postea recitaui*] Quarta ratio. *Omnino autem bona*] Quincta ratio, quæ tota in confirmatione desideratur. Atque hæc est prima pars perorationis. *Nunc causa per-*

sa perorata] Altera pars perorationis, in qua bene constituitur auditor in reum, male in aduersariū. *Si licet viuere*] Tertia pars, in qua potissimum amplificatur. *Omnia circumspexit*] Quarta pars, in qua auditoris animus ad misericordiam impellitur. *Non pratorem modo*] Infra; Ab omni magistratu agitatus, atque perterritus. *Sed ne amicos quidem*] Infra; Ab amicis eius non subleuatus. *Denique ipsius inimici*] Infra; Ab ipso repudiatus. *Non turpis ad te, sed miser*] Hoc maxime mouet misericordiam.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS VNDEVICESIMVS

IN ORATIONEM CICERONIS PRO MILONE.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



MATERIA huius orationis est cædes Clodij facta a Milone. Iam operæ pretiū cognoscere, quomodo Milo, & Clodius inter se inimicitias susceperint, atque exercuerint. Ac Ciceronis quidem causa, Milo factus est Clodio inimicus, quod fauerit illius ab exilio reuocationi. Itaq; antequam ille ab exilio rediret, Milo accusauit Clodium de vi. qua de re sic legitur in oratione post reditum in senatu; Primo de vi postulauit; posteaquam ab eodem iudicia sublata esse vidit, ne ille omnia vi posset efficere, curauit. Post illius reditum rursus eundem de vi accusauit. Ædilitatem petiit Clodius, vt vitaret accusationem, quemadmodum scriptū reliquit Dio lib. 39. Franciscus Robortellus, vir nostri ordinis clarissimus, in libro de artificio dicendi scriptum reliquit id sibi non liquere hac ratione, quia profiteri non possent rei. At

responderi potest, Clodium petiisse, antequam profiteretur: quia petitio fit apud populum, professio apud magistratum; & potest aliquis petere, verum desistens petitione, aliqua de causa impeditus non profiteri. Aut ita respondendum, cum præsentiret Clodius, Milonem de accusatione sui cogitare, & instarent comitia Ædilitia, eum professum esse, antequam reus fieret a Milone, vt per professionem vitaret iudicium. Aut melius dicendum, Reos quidem profiteri non potuisse: sed hoc fuisse nouum in Clodio, vt propter petitionem Ædilitatis accusatio sopiretur. Quare in epistola longiore ad Lentulum dolet exemplum præclarissimũ in posterum vindicandæ seditionis de Rep. sublatum ab iis, qui Clodium de vi accusatum in iudicium adduci vetuerunt. & in Sextiana, Consulem, Præt. Trib. pl. noua noui generis edicta proposuisse, ne reus adesset, ne citaretur, ne quæreretur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceret. Milo igitur, qui Clodium de vi postulauerat ex lege Ælia Fusia, quam Cicero vocat remedium Reip. lib. 2. epistolarũ ad Att. & certissimum subsidium post reditum in senatu, Metello consuli obnunciauit, vt Comitia Ædilitatis impediret, quoad Clodius condemnaretur, vt apparet ex epist. 3. lib. 4. ad Att. Metellus autem noluit comitia protrahere. Itaq; Clodius est Ædilis designatus; & ad Ædilitatem quam citissime Philippi, Marcelliniq; tempore peruenit, ad quam rogitans fuit assumptus, vt fugeret iudicium; quod constat ex Dione. Cum autem an. ab V. C. 697. etiam Clodius accusasset Milonem in Ædilitate, cuius accusationis fit mentio in oratione pro Sextio, an. 701. occisus est a Milone. quod narratur pluribus verbis ab Asconio. Addit Robortellus in hunc modum; Occiditur & Clodij filius; qui articulatim cæsus a seruis Milonis. Asconius in argumento orationis huius. Hoc mihi, vt verum fatear, nequaquam probatur. Nam de Q. Metello Scipione, qui in senatu eo tempore conquestus est, Asconij verba sunt; Milonem, cum sciret in Albano, paruulum filium Clodij venisse ad villam, &, cum puer ante subtractus esset, de seruo Alicore questionem ita habuisse, vt eum articulatim consecaret. Quæ verba, non video, quomodo intelligi possint de filio Clodij, qui iam

subtra-

ſubtractus erat, & non de ſeruo Alicore, vt ego ſine vlla dubitatione intelligendum arbitror. Scribit pręterea Robortellus ſic; Clodiani in curia ſubſelliis in vnum congeſtis buſtum Clodij fecerunt: curia incenſa: & domus Lepidi Interregis. Cicero in hac oratione, & Aſconius in argumēto. Domum tamen Lepidi non incenſam, ſed oppugnatam eſſe, legitur in oratione hoc modo; Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædē hanc ipſam contra Remp. ſenatus factam eſſe decreuit? & apud Aſconium; Quo igne, & ipſa quoq; curia flagrauit; & item Porcia baſilica, quæ erat ei iuncta, ambuſta eſt. Domū quoque M. Lepidi Interregis (is enim magiſtratus curulis erat creatus) & abſentis Milonis eadem illa Clodiana multitudo oppugnauit. Iam, cum duo adoleſcentes Appij Claudij, filij C. Claudij, qui fuerat frater P. Clodij, Milonem accuſaſſent, inter alios, qui ei affuerunt, Cicero ob clamorem Clodianæ factionis timide cauſam egit. Idem, cum Milo damnatus eſſet, quaſi ſui erroris corrigendi cauſa, orationem, quæ extat, perfecte ſcripſit. Robortelli verba ſunt; Conſueuerat etiam M. Cicero aliter, quam dixerat, poſtea domi, & attentius ſcribere orationes, vt patet in Verrem, Aſconio teſte. Nam præter primam, & ſecundam reliquas non habuit in foro, ſed ſcripſit tantum. Sic ille. Ego vero notarem potius conſuetudinem Ciceronis in hunc modum; Conſueuerat M. Cicero domi Commentarios cauſarum conficere: deinde cauſas in foro agere: poſtremo cauſarum orationes diligentius ſcribere. De commentariis Ciceronis meminit Aſconius, Quinctilianus, D. Hieronymus. Exemplum autem Verrinarum non videtur recte probare conſuetudinem Ciceronis: ſi quidem Cicero non ſolum ſcribere conſueuerat eas orationes, quas non potuerat habere, ſed etiam eas, quas habuerat, cum eſſent dignæ, quæ ſcriberentur. Verrinæ vero erant duæ actiones conceſſæ a lege in ea cauſa, quæ requirebat eiuſmodi iudicium bis agi. Primum iudicium prima actio: ſecundum ſecunda actio, aut comperendinatio appellabatur: &, quoniam Verres prima actione perterritus ſecundam non expectauit; ideo Cicero non habuit ſecundā, ſed ſcripſit tantum, nolens commentariorum laborem amittere.

II.

GENVS CAVSÆ.

IN hac causa iudices fuerunt extra ordinem. Nam erant & iudicia ordinaria, quæ exercebantur a Prætoribus, & dicebantur perpetuæ quæstiones. Verum in hac causa ex lege Pompeij quæsitor creatus est L. Domitius Ahenobarbus, qui consul fuerat an. vr. *699.* & a Pompeio tales iudices propositi sunt, vt nunquam neq; clariores viros, neq; sanctiores propositos esse constaret. auctor Asconius. In eorum numero fuit Q. Petilius, & M. Cato, & alter Cn. Pompeius, de quibus fit mentio in oratione. Superius notauimus fuisse accusatores Appios Claudios, adolescentes duos. Nam constat Ciceronem fuisse defensorem. Agebatur de re præterita, nempe de cæde Clodij facta a Milone. Et quærebatur, vtrum iustum, an iniustum fuisset huiusmodi Milonis factum. Itaq; patet genus huius causæ esse iudiciale; ex auditoribus, qui sunt iudices: ex partibus, quæ sunt accusatio, & defensio: ex tempore, quod est præteritum: ex fine, qui est iustum, & iniustum; quæ quidem sunt quatuor proprietates generis iudicialis.

III.

STATVS CAVSÆ.

STatus huius causæ est qualitatis, qui a Cicerone Generalis vocatur. Cum autem ex doctrina Hermogenis huiusmodi status sit duplex, Iuridicialis de re præterita, & Negotialis de re futura; in hac causa est Iuridicialis, Iurene, an iniuria occiderit Clodium Milo. Est alter status, qui dicitur Coniecturalis, vter vtri insidias fecerit. Intentio est, Milo iniuste interfecit Clodium. Depulsio, Iuste interfecit. Quæstio, vtrum iuste, an iniuste interfecerit. Ratio; Quia interfecit insidiatorem. Firmamentum; Nulla de causa licet homini hominem interficere. Et cædem Clodij contra Remp. factam esse, a senatu iudicatum est. Item a Pompeio. Et non fuit insidiator Clodius, sed Milo. Iudicatio; An liceat homini hominem vlla de causa interficere: An præiudicium factum sit Miloni a senatu: An a Pompeio: Vter vtri fuerit insidiator.

IIII.

IIII.

ARGVMENTA.

CVm quadruplex ſit ratio parandorũ argumentorum, vna a propriis, altera ab aſſumptis, tertia a communibus, quarta a communiſſimis, & Topicis, in hac oratione adhibentur & propria, & aſſumpta, & communia, & communiſſima. Et præcipua argumenta ducuntur a propriis propoſitionibus generis iudicialis, quæ probant iuſtum, vel iniuſtum. Et, quoniam iuſta, & iniuſta definita ſunt ad duas leges, tum ad legem propriam, vel non ſcriptam, vel ſcriptam, tum ad legem communem; primum argumentum ducitur a lege propria non ſcripta, id eſt, a conſuetudine, quæ probatur exemplis M. Horatij, P. Africani, Ahalæ Seruilij, P. Naſicæ, L. Opimij, C. Marij, ſenatus, quibus etiam additur exemplum Oreſtis. Deinde a lege propria ſcripta, id eſt, a lege XII tabularum. Præterea a lege communi. Poſtremo etiam a lege propria ſcripta, id eſt, a lege Cornelia de ſicariis. Quoniam vero iuſta, & iniuſta aut ſunt ſcripta, aut non ſcripta; & non ſcriptorum duo ſunt genera, quorum alia ſunt ſecundum virtutis, & vitij exuperantiam, alia propriæ legis, & ſcriptæ ſupplementa, quæ dicuntur æqua; ab hoc extremo iuſtorum non ſcriptorum genere argumentum ducitur; Æquum eſſe ſpectare voluntatem ſenatus, & Pompeij, non illius decretum, huius legem, quod damnaſſe rem, non cauſam rei videantur. Cum autem in genere iudiciali tria aſſumenda ſint. Quas ob res faciant iniuriam, Qui, & Quibus; ob quatuor cauſas iniuriam faciunt, ob conſuetudinem, ob rationem commodi, ob iram, ob cupiditatem. Itaque *prima coniectura de inſidiis*, ducitur a ratione commodi, & vtilitatis, quod magna Clodio cauſa, magna ſpes in Milonis morte propoſita, magnæ vtilitates fuerint: non ſic Miloni in morte Clodij. *Secunda ab ira*, quod maiori ira fuerit inflammatus Clodius in Milonem, quam Milo in Clodium. *Tertia a conſuetudine*, quod omnia per vim Clodius, nihil per vim Milo. *Quarta a cupiditate*, & ſpe impunitatis, quæ non fuit in Milone, ſed in Clodio. In iiſdem quatuor cauſis iniuriarum poſita eſt *Quinta coniectura ab illis*, quibus faciunt iniuriam, nimirum, qui male meriti ſunt, & male

merituri videntur, quæcumque offeratur occasio; cuiusmodi existimabat esse Milonem Clodius, defensorem Ciceronis, vexatorem furoris sui, domitorem armorum suorum, accusatorem suum, vt dicitur in secunda coniectura. Et posita est quoque *sexta coniectura ab illis*, qui faciunt iniuriam, inter quos ab Aristotele enumerantur illi, qui cum sæpe vitauerint iudicium, & sæpe pœnas non dederint, sperant se impune abituros, qualis fuisse Clodius dicitur, qui ita iudicia, pœnasq; contempserat, vt eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret, & non fuisse Milo, qui etiam reus erat facti aut præclari, aut certe necessarij. Præterea cum ex propositionibus communibus illæ quæ sunt facti, & non facti, magis congruant generi iudiciali, & coniecturis faciendis, ab iis fit septima, octaua, & nona coniectura. Itaque *septima est*, si futurum fuit, vt aliquid fieret, vel vt aliquis faceret, factum est. Etenim qui facturus fuit, eum fecisse verisimile est. Dixerat Clodius, periturum Milonem triduo, quoniam cogitaret de insidiis: ergo credibile est, eum insidiatum esse. *Octaua est*; Si potuit, ac voluit, fecit. Qui enim, cum possint, volunt, faciunt, quoniam nihil impedimenti habent. At potuit Clodius insidias facere, quod sciuerit Miloni Lanuuium esse iter necessarium, & quidem eo ipso die, quem nunquam reliquisset, nisi ad cogitatum facinus properasset. Non potuit Milo: nam dixerunt C. Cassinius, & C. Clodius, comites P. Clodij, mansurum fuisse ipsum P. Clodium in Albano eo die: sed propter mortem Cyri architecti nuntiatam subito, & repente constituisse proficisci; vt, si subita fuit eius profectio, & repentina, ne ipse quidem Milo potuerit insidiari Clodio, quem fore in via ne suspicari quidem potuerat; nec Cicero cogitare de insidiis, quæ eius consilio factæ dicebantur. Voluit Clodius, quod eo die se dissimulauerit rediturum. Noluit Milo, quod præ se tulerit illo die Roma exiturũ. Voluit Clodius, quod causam mutandi consilij finxerit, cum ille, qui dicitur Cyri mortem nuntiasse, non id nuntiauerit, sed Milonem appropinquare. Noluit Milo, quod nullius rei mutauerit consilium. Voluit Clodius, quod accessum ad vrbem nocturnum non metuerit. Noluit Milo, quod nocte prope

vrbem

vrbem Clodium non expectauerit, vt noctu inuidioso, & pleno latronum in loco eum occideret. Potuit Clodius, quod fundu habuerit, qua transiturus erat Milo, vbi propter insanas substructiones facile mille hominum versabatur valentium. Non potuit Milo, quod aptum ad insidias locum non habuerit. *Nona est*; Si voluit, & extrinsecus non est impeditus. Noluit Milo, & extrinsecus est impeditus, quia fuerit penula irretitus, rheda impeditus, vxore pene constrictus. Voluit Clodius, quod egressus sit e villa vesperi, & tarde causa insidiarum, & diuerterit in villam Pompeij, donec Milo veniret: extrinsecusque non est impeditus, quod fuerit sine vxore, in equo, sine comitibus græculis, sine scortis, exoletis, lupis. Iamvero cum ex locis Topicis ad coniecturam maxime apta sint, quæ ex adiunctis, quæ ex effectis, quæ ex causis sumi possunt, vt scriptum reliquit Cicero in Topicis, ab adiunctis ducuntur. quinq; sequentia argumenta Nimirum *decimum*; Si Clodius fuit latro, & non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur: si mulier incidit in viros: si nunquam Milo fuit ita non paratus propter prouidentiam suam: si casus, & exitus pugnarum sunt incerti, & Mars communis: si magna fuit inscitia pransi, poti, & oscitantis ducis: adiungitur, vt Clodius potuerit interfici, etiam si esset insidiator. *Vndecimum*; Milo manumisit, seruos suos non metu conscientiæ, sed merito, quod esset ab insidiis liberatus. *Duodecimum*; Tametsi serui P. Clodij dixerant in quæstione, nullas insidias ab eo factas: tamen eis fides non erat præstanda, quod essent serui P. Clodij, postulati ab Appio, producti ab Appio, ex domo Appij accusatoris: quod non liceat in dominum quæri de seruis propriis, & multo minus de seruis alienis, & accusatoris: quod modus quæstionis non fuerit legitimus. *Decimum tertium*; Milo nulla conscientia exanimatus Romam reuertit, seq; pop. Rom. senatui, publicis præsidiis, & Pompeio consuli tradidit. *Decimum quartum*; Idem neglexit illa, quæ de se vulgo circumferebantur, arma esse disposita ad patriæ euersionem: & illud, quod dixit Popa Licinius, quod non minus fuit falsum, quam quod dictum est in senatu contra ipsum Milonem. Quibus omnibus adiunge-

batur Milonem non fuiſſe inſidiatorem. Ab effectis autem tria argumenta ducuntur, itidemq; ab aſſumptis, nempe *a laudabili, & glorioſo, & honeſto,* quod aſſumptum eſt ex genere demonſtratiuo: *& ab Vtili,* quod ex deliberatiuo. Itaq; *decimum quintum* argumentum eſt, Si laudabile factum, laudabilis etiam, qui fecit. At laudabile factum Milonis, qui non occidit Sp. Melium, non Ti. Gracchum, ſed omnium ſceleratiſſimum Clodium. *Decimum ſextum*; Si factum vtile, ei, qui fecit, gratia referenda. At ita vtile fuit factum Milonis, vt, etiam ſi inſidias feciſſet tam ſcelerato ciui, is tamen vti potuiſſe videatur eadem confeſſione, qua multi alij vſi ſunt. *Decimum ſeptimum*; Si beneficium fuit diuinum, magis diis immortalibus gratia habenda eſt, quam de inſidiis Milonis cogitandum. At beneficium fuit diuinum, cum extinctus ſit is, qui omnia humana, ac diuina permiſcebat. Argumenta vero a cauſis ſuperius expoſita ſunt.

V.
AFFECTVS.

MOuentur affectus omnes, qui ſpectantur in genere iudiciali, ira, odium, ſtomachatio, inuidia in Clodiũ, & Clodianos, delinitio, amor, miſericordia, æmulatio in Milonem, & Milonianos.

VI.
MORES.

ADhibetur morata oratio, tum expreſſis tribus moribus in perſona oratoris, prudentia, probitate, beneuolentia: tum accommodatis verbis ad iudices, vt in ſingulis partibus apparebit.

VII.
ELOCVTIO.

TRadit Ariſtoteles elocutionem iudicialem accuratiorem eſſe oportere, quam deliberatiuam: minus vero accuratam, quam demonſtratiuã, quæ cum ſcribatur, debet eſſe accuratiſſima: elocutio enim ſcriptionis debet eſſe talis. Quæ cauſa eſt, quamobrem, hæc oratio, cum fuerit ſcripta, non dicta, exquiſitum eloquendi genus continent. Patet vero, cum triplex ſit genus elocutionis, vnum vehemens,

mens, alterum mediocre, tertium attenuatum, primum genus iudicialibus orationibus maxime conuenire.

VIII.

DISPOSITIO.

QVod attinet ad partes orationis, procœmium sumptũ est ad parandos animos iudicum, & indicandũ etiam finem orationis. Ante narrationem, & cõfirmationem posita est illa fides, quæ proprie dicitur confutatio, qua reprehenduntur tria firmamenta aduersariorum: est enim in præceptis, qui priore loco dicit, eum argumenta sua prius exponere debere, postautem contrariis occurrere: qui vero posteriore loco dicit, eum prius contra aduersarij argumenta dicere oportere, & postea confirmare. Iam Cicero secundo loco dicebat, respondens ad accusationem aduersariorum; & ob id statim post procœmiũ collocauit refutationem; vt fecit etiam pro M. Cœlio, pro L. Murena, pro L. Sylla, & in aliis defensionibus. Refutationem in hac oratione sequitur propositio, & quæ ad propositionem referuntur, narratio, & partitio. Inde illa fides, quæ proprie vocatur confirmatio, pluribusq; argumentis, superius notatis, probat Clodium Miloni fecisse insidias. Postrema collocata est peroratio ad misericordiam concitandam.

IX.

IN PROOEMIVM.

TRadit Aristoteles duplex esse munus procœmij; vnum maxime necessarium, & proprium, quod est indicare, qui nam sit finis, cuius causa oratio instituta est: alterum, quod consistit in formis, quas ipse appellat medicamenta, & communia, quæ ducuntur a quatuor locis, ab oratore, ab auditore, a re, ab aduersario. A primo, & quarto loco, quæcunq; ad depellendam, obiiciendamq; criminationem attinent. A secundo, cum auditor redditur beneuolus, aut iratus, interdum vero etiam attentus, aut contra, aut docilis, si quis voluerit vir probus apparere. A re, dum declaratur qualitas rei. Idem fere præcipit Cicero lib. 2. de orat. in hunc modum; Cum erit vtendum principio, quod plerunq; erit, aut ex reo, aut ex aduersario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, sententias duci licebit. Ex reo (reos appello, quorum res est) quæ significent virum bonum,

quæ liberalem, quæ calamitosum, quæ misericordia dignum, quæ valeant contra falsam criminationem. Ex aduersario iisdem ex locis fere contraria. Ex re, si crudelis, si infanda, si præter opinionem, si inmerito; si misera, si ingrata, si indigna, si noua, si quæ restitui, sanariq; non possit. Ex iis autem, apud quos agitur, vt beneuolos, beneq; existimantes efficiamus; quod agendo efficitur melius, quam rogando. Nominat ergo Cicero reum pro oratore. Sed idem est locus rei, & oratoris. Ac solet ille quidem vti medicamentis animorum, & parare eos prius quam indicet finem orationis, vt in hac ipsa oratione, vbi procœmium ductum est a reo, & ab oratore, dum laudatur Milo, quod valet ad depellendam criminationem: appellatur enim vir fortissimus: & dicitur magis de Reip. salute, quam de sua perturbari: ac semper consceleratissimos homines, clamoresq; maximos pro ciuium salute neglexisse: semperq; pro bonis contra improbos sensisse. *Et discutit metus.* Nam præcipit idem Aristoteles, omnes aut crimina obiicere, aut metus discutere in procœmiis. Discutitur autem metus per insinuationem. Etenim, cum velit Cicero remouere metũ ab animis iudicum, obscure, & oblique id facit; quæ insinuatio est: Primum enim dicit se timere, sed tamen recreari, & refici Pompeij sapientia, & iustitia: deinde vero, cum ipse desinat timere, ostendit idem iudicibus esse faciendũ. Et ab aduersariis, dum obiicitur criminatio Clodianis, quos P. Clodij furor rapinis, & incendiis publicis pauit: qui superiori proximo die, quam hæc oratio habenda erat, Muratij Planci Tribuni pl. concione incitati sunt, vt iudicibus voce præirent. Et ab auditore, dum redditur Pompeius beneuolus, qui sapientissimus, & iustissimus nominatur: & dicuntur in iudicum consilio ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicare. Et reddũtur auditores irati, quod Clodiani concione Muratij Planci incitati essent, vt iudicium perturbarent. Et attenti, quod statuendum esset de bonis, ac fortibus viris, & de benemeritis ciuibus. Et dociles, quod semper ipse, & Milo iudicum auctoritati dediti fuissent: sic enim apparent boni, quales maxime attendi solere notauit Aristoteles. Et a re noua, indigna, ingrata, misera, vt a noua forma iudicij, & a conditione ipsius iudicij,

dicij, in quo esset statuendum, vtrum, qui semper iudicum auctoritati dediti fuissent, semper miseri lugerent, an diu vexati a perditissimis ciuibus aliquando recrearentur. Atq; hoc quidem est vnum munus procemij iudicialis. Quod ad alterum attinet, promittitur luce clarius ostensum iri, insidias Miloni a Clodio factus. Scribit enim Asconius, cum M. Bruto, & aliis quibusdam placuisset ita defendi crimen, interfici Clodium pro Rep. fuisse, Ciceroni id non placuisse: sed cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, eum contra disputasse, Clodium Miloni insidiatorem fuisse, eoq; spectasse totam eius orationem. In discutiendo metu adhibentur quatuor partes procemij, de quibus sic Hermogenes: σύγκειται δὲ πᾶν προοίμιον, ἐκ προτάσεως, ἐκ κατασκευῆς, ἐξ ἀποδόσεως, ἐκ βάσεως, Constat autem omne procemium ex propositione, ex ratione, seu causa probationis, ex redditione, & expositione, ac fusiore explicatione, ex comprobatione. Propositio est; Timeo. Ratio est; Quia adsunt homines armati. Redditio est; Si putarem arma Miloni opposita esse, cederem tempori: sed me recreat, & reficit Cn. Pompeij sapientia, & iustitia. Comprobatio est; Quamobrem timorem depono, idemque est vobis, Iud. faciendum. Additur quincta pars ad cohortandos iudices. Et sexta, quæ indicat finem orationis.

Etsi vereor, Iud.] In prima parte est amplificata elocutio, ad quam pertinet oratione vti pro nomine, vt pro circulo dicere planitiem a medio æqualem: pro homine dicere definitionem hominis, vt tradidit Aristoteles lib. 3. Rhet. cap. 6.

Ne turpe sit	Minimeque deceat.
Pro fortissimo viro	Cum T. Annius ipse magis de Reip. salute, quam de sua perturbetur.
Dicere incipientem timere	Me ad eius causam parem animi magnitudinē afferre non posse.

Minimeque deceat, id est, minimē decorum sit. Definitur decorum apud Platonem in Hippia maiore, vel de pulchro, quod efficit, vt singula, quibus adest, videantur pulchra: & spectatur in actionibus; idcircoque de eo agunt

Philosophi morales, dum quærunt illud, quod consentaneum est hominis excellentiæ: & illud, quod habet moderationem, & temperantiam cum specie quadam liberali. Præterea cernitur in imitationibus; & ob id de eo agunt Poeticæ artis magistri, dum tradunt exprimendos esse mores bonos, conuenientes, similes, æquales. Postremo consideratur in orationibus; ideoque de eo agunt Rhetores, dum præcipiunt elocutionem oportere esse decoram ita, vt subiectis rebus proportione respondeat, vt sit affecta, vt morata; quod inter ceteros pręcipit Aristoteles lib. 3. Rhet. cap. 7. Ad virum fortem pertinet magis de Reipub. salute, quam de sua perturbari. Describitur vero vir fortis apud Arist. lib. 3. Ethicorum cap. 7. vt sit is, qui ea, quæ oportet, & cuius causa oportet, & vt oportet, sustinet, & metuit, ac fidenter suscipit. Qui timet, animi magnitudinem nullam affert. Quæritur autem, cur, qui timet, pallescat, qui verecundatur, erubescat. Et respondetur id apparere ex fine timoris, qui est salus, & ex fine verecundiæ, qui est honor. Nam salus potissimum in corde consistit, ad quod in timore currit sanguis propter salutem, & pallidas, atque exangues relinquit partes exteriores. Et honor potissimum in facie, & genis positus est, ad quas in verecundia currit sanguis propter honorem, & rubeam, ac sanguineam faciem reddit. Solent autem oratores in exordio timere. Nam, vt docuit Cicero lib. 1. de oratore, aut oratores sunt boni, aut mali. Ac boni quidem debent timere, ne videantur impudentes. Mali vero aut timent, aut non timent. Si timent, nihilominus impudentes videntur, cum id aggrediantur, ad quod minime apti sunt. Si non timent, non reprehensione solum, sed etiam pœna digni putantur. Afferuntur duæ causæ, cur in dicendi exordio soleant oratores permoueri apud eundem Ciceronem eodem in loco; altera, quod intelligant nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia euentum dicendi procedere: altera, quod nihil toleretur in oratoribus, sed, si quod eorum peccatum animaduersum est, stultitiæ peccatum videtur. Nota sunt exempla eorum, quibus nonnunquam non satis ex sententia euentus dicendi processit, Demosthenis, Theophrasti, L. Crassi, Hortensij, Catilinæ, Curionis patris,

tris, Ciceronis ipsius in hac causa, cum haberet illam orationem pro Milone, quam Quinctilianus oratiunculam appellauit. Quibus exemplis potuit se consolari Ioannes Forseolus olim collega meus ad veterem tradendam eloquentiam in hoc Gymnasio patauino, cum in principio cuiusdam orationis suæ obmutuit, alioqui vir doctissimus, & disertissimus.

Non enim corona consessus vester] In secunda parte dicit non adesse vsitatam coronam, non vsitatam frequentiam, sed homines armatos. Narrat enim Plutarchus, senatum mandasse Pompeio, vt hanc causam cordi haberet. Itaque Pompeium noctu cinxisse forum armatis militibus, de quibus Cicero caute loquitur, quod pertinet ad prudentiam moratæ orationis, ne offendat Pompeium, & metu afficiat iudices: dicit enim illa præsidia contra vim collocata esse: & præsidiis salutaribus, ac necessariis se, iudicesque septos esse. Cum autem tria præcipua sint artificia inuentionis, Mores, Affectus, Argumenta, morata oratio videtur in primis procemio conuenire: vt affectus maxime perorationi: & argumenta fidei; soletque exprimere tres mores in persona oratoris, prudentiam, probitatem, beneuolentiam, vt patet ex superioribus.

Quæ si opposita Miloni putarem] In tertia parte exprimit quoque prudentiam, dum dicit arma non esse opposita Miloni: & exprimit probitatem, dum ostendit se recreari, & refici Cn. Pompeij, sapientissimi, & iustissimi viri, consilio. Notat Robortellus, æquitatem, & vim esse potius contraria, quam repugnantia, cum tamen repugnantia sint vnum contrarium, & consequens alterius contrarij.

Iustitia Pompeij — CONTRARIA — Iniustitia Pompeij

CONSEQVENS — REPVGNANTIA — REPVGNANTIA — CONSEQVENS

Reum sententiis iudicũ traditum telis militum nõ dedere. — CONTRARIA — Reum senten-tiis iudicũ tra-ditũ telis mi-litum dedere.

Sapientia — CONTRARIA — Stultitia.

CONSEQVENS — REPVGNANTIA — REPVGNANTIA — CONSEQVENS

Temeritatem cõcitatæ multitudinis auctoritate publica non armare. — CONTRARIA — Temeritatem cõcitatæ multitudinis auctoritate publica armare.

Quam-

Quamobrem illa arma, centuriones cohortes] In quarta parte enumerat qui pro se, qui contra sint. Nam in foro erant tria hominum genera, milites pro templis collocati. multitudo ciuium: Clodiani. Primum, & secundum genus faciebat causæ Milonianæ: tertium genus erat aduersum, infestumq; quos P. Clodij furor rapinis, & incendiis, & omnibus exitiis publicis pauit. Ac largitio quidem solet esse odiosa. Verba Ciceronis sunt lib. 2. Officiorum; præclare in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione beneuolentiam Macedonum consectetur. In historia autem Rom. commemorantur tres, qui propter largitionem sunt interfecti; Sp. Cassius, qui post tres consulatus, & duos triumphos agro Hernicorum Latinis, & ciuibus largiendo in regni suspicionem incidit; eaq; de causa an. 267. necatus est: Sp. Mælius, qui frumento largiendo visus est regnum affectare; Itaq; an. 314. a C. Seruilio Ahala magistro equitum L. Quinctij Circinnati occisus est: M. Manlius Capitolinus, qui ære alieno plebem eximendo ob affectati regni crimen an. 370. de Saxo Tarpeio deiectus est. Quod autem dicit, Clodianos hesterna concione incitatos fuisse, vt iudicibus voce præirent, significat illud, quod notauit Asc. Munatium Plancum pridie pro concione populum adhortatum esse, vt pateretur elabi Milonem.

Quamobrem adeste animis, Indices] In quinta parte, dum hortatur iudices, vt fortiter iudicent, exprimit beneuolentiam, eos collaudans, quod sint amplissimorum ordinum delecti viri, & ex cunctis ordinibus amplissimi viri. Cum enim Romæ tres ordines essent ciuium Rom. iudicia primum fuerunt penes senatores: postea penes equites per legem C. Gracchi: inde inter vtrumq; ordinem communicata per Q. Seruilium Cœpionem: inde facta communia singulis Tribubus, quæ singulæ e suo numero quindecim creabant, partim senatores, partim equites, partim plebeios, per M. Plautium Syluanum: inde solis senatoribus concessa per Sullam dictatorem: inde data senatoribus, equitibus, & Tribunis ærariis, qui erant ex plebe, per L. Aurelium Cottam Prætorem. Atq; horum trium ordinum delecti viri tempore Milonianæ causæ iudicia exercebant.

In eadem parte mouet misericordiam.

Quamquam in hac causa] In sexta parte, dum indicat finem, cuius gratia oratio instituta est, non sequitur eam rationem, quæ placebat Bruto, & de qua sic Asconius; Cum quibusdam placuisset ita defendi crimen, Interfici Clodiũ pro Rep. fuisse, quam formam M. Brutus secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit, & edidit, quamuis non egisset; Ciceroni id non placuit, quod qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. Itaque, cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat (nam forte illa rixa commissa fuerat) Cicero apprehendit, & contra Clodium Miloni fecisse insidias disputauit.

X.

IN REFVTATIONEM, PROPOSITIONEM, NARRATIONEM, ET partitionem.

SEd antequam ad eam orationem venio, quæ est propria nostræ quæstionis, videntur ea esse refutanda] Transitio ad refutationem trium argumentorum contrariorum. Dicebant enim aduersarij; Nulla de causa licere homini hominem interficere: Senatum iudicasse cædem Clodij contra Remp. factam esse: Pompeium quoq; idem censuisse. Docet autem Aristoteles, cum tria sint instrumenta oratoria, enthymemata esse iudiciis accommodatiora: & idcirco ea potissimum in hoc genere sunt obseruanda. Enthymema vero est oratio, quæ ex vna propositione colligit conclusionem: & est imperfectus syllogismus.

Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur] Hoc erat primum argumentum aduersariorum, quod refutatur quatuor enthymematibus: & est refutatio ἐνστάσει, & obiectione, cum quandoq; fiat ἀντισυλλογισμῷ.

In qua tandem vrbe hoc homines stultissimi disputant?] Primum enthymema ductum est a lege propria non scripta, id est a consuetudine Romanorum. Et est enthymema ab exemplo. Licuit M. Horatio sua manu sororem interficere: Iudicauit P. Africanus Ti. Gracchum iure cæsum videri: Licuit Ahalæ Seruilio interficere Sp. Mælium: P. Nasicæ

ficæ Ti.Gracchum: L. Opimio C. Gracchum: C.Mario L. Appuleium Saturninum: senatui Rom. consule Cicerone sceleratos ciues, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium: quemadmodum etiam iudicatum est licuisse Oresti interficere matrem Clytemnestram. Ergo aliqua de causa licet hominem interficere. Expositum autem est supra ex doctrina Aristotelis, quemadmodum omne enthymema ducatur vel ab exemplo, vel a verisimili, vel a tecmerio, vel a signo. Differt vero exemplum ab inductione, quia inductio est ex omnibus singularibus: exemplum non ex omnibus. illa probat vniuersale: hoc probat singulare. Iam notum est, quemadmodum tempore Tul. Hostilij, tertij Romanorum Regis rediens Horatius, a pugna, quæ commissa est inter Tergeminos Horatios, & Tergeminos Curiatios, interfecerit sororem conquerentem, & clamantem, quod vnus de illis Curiatiis ipsius sponsus necatus esset. quod narrat Liuius lib. 1. Inibi vero fuit Horatius, vt a Duumuiris damnatus necaretur: tamen ex prouocatione ad populum absolutus est. Ac Horatium quidem lege Numæ de parricidio interrogatum scribit Dionysius. Numa enim de cæde hanc legem tulit; Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto. Parricidam nimirum vocauit, auctore Festo, non qui parentem occidisse diceretur, sed qualemcunq; hominem. Liuius vero vocauit de Horatio perduellionis iudicium. Qua in re a quibusdam reprehensus est: sed ab aliis defensus, & dictus appellasse perduellionem, nō quod ille sororem interfecisset, id enim parricidium fuit, sed quod hominem in conspectu vel Regis, vel populi, in quo maiestatem ciuitatis diminuerat. P. autem Africanus dixit iure cæsum Ti. Gracchum, cuius sororem in matrimonio habebat, non cum venit a Numantiæ ruinis an. 621. vt falso scribit Val. lib. 6. cap. 2. sed an. 623. quo Carbo fuit Tribunus, vt apparet ex epit. 59. &, vt hoc etiam obiter notem, dixit quibusdam Italiam esse nouercam, non tunc, vt idem Val. ibidem tradit: sed an. 624. in seditione de agris diuidundis, cum mortuus est. Et an. 314 C. Seruilius Ahala magister equitum L. Quinctij Cincinnati interfecit Sp. Mælium regnum affectantem, eximendo plebem ære alieno. Et P. Scipio Na-

ſica auctor fuit, vt Ti. Sempronius Gracchus ab optimatibus occideretur, ictus fragmentis ſubſelliorum, qui ferebat legem de quingentis iugeribus, iterumq; Tribun. pl. creari volebat an. 620. Et L. Opimius cos. interfecit C. Gracchum, non Tribunum, vt falſo ſcribit Val. ſed biennio poſt eius Tribunatum, cum legem Agrariam ab eo relatam abrogaturus eſſet. an. 632. Et C. Marius an. 653 necauit L. Appuleium Saturninum Tribunum pl. ſeditioſum. Et conſule Cicerone an. 690. ſenatus iuſſit interfici coniuratos Catilinæ. Additur notiſſima fabula Oreſtis, qui Ægiſtũ cum Clytemneſtra matre interfecit, quod illi Agamemnonem ipſius patrem interfeciſſent: & abſolutus in Areopago Mineruæ Areæ, ſeu Martiæ aram dicauit, vt ſcripſit Pauſanias. Vide Cœlium ciuem meum lib. 12 cap. 19.

Quodſi XII. tabulæ nocturnum furem] Secundum enthymema eſt a lege propria ſcripta, id eſt, a XII. tabulis, quas an. 302. decemuiri conſcripſerunt: de quarum auctoritate ſic Cicero lib. 1. de orat. ſub perſona L. Craſſi; Fremant omnes licet, dicam, quod ſentio. bibliothecas me hercule omnium Philoſophorum vnus mihi videtur XII. tabularum libellus, ſi quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperare. Iam decemuiri furem, qui manifeſto furto prehenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut cum faceret furtum, nox eſſet: aut interdiu ſe telo, cum prehenderetur, defenderet. quod legitur apud Gellium libri vndecimi cap. 18. Ergo licet aliqua de cauſa hominem interficere.

Atqui ſi tempus eſt vllum iure hominis necandi] Tertium enthymematis eſt a lege communi. Defenſionis cauſa licet hominem interficere. Ergo aliqua de cauſa licet hominem interficere. Vt vi vis illata defendatur: & (quod dicit Florentinus lib. 1. pandectarum, cap. de iuſtitia, & iure) vt vim, atque iniuriam propulſemus. Nam iure hoc euenit, vt, quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur. Et, cum inter nos cognationem quandam natura conſtituit, conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe. Amplificatur materia huius enthymematis primo loco a tempore, quod ſi tempus eſt vllum iure hominis necandi, quæ multa ſunt, certe illud eſt
non

non modo iustum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur. Secundo loco ab exemplo, quod pudicitiam cum eriperet militi, scilicet Tribonio, vt scribit Plutarchus in vita Marij, vel Cœlio Plotio, vt Val. lib.6.cap.1. Tribunus militaris, scilicet C.Lusius in bello Iugurthino, quod mandatũ est C. Mario an. 646. propinquus eius Imperatoris, nempe ortus ex sorore C. Marij, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Idque factum a Mario probatum est. Plato lib.9. de legib. Qui mulierem liberam, aut puerum ad rem Veneream vi adigit, impune non ab eo solum, cui vis illata est, sed a patre, marito, fratribus, filiisque vita priuetur. Martianus lib.48.Pandectarum, cap.ad legem Corneliam de sicariis; D. Adrianus rescripsit, eum, qui stuprum sibi, vel suis per vim inferentem occidit, dimittendum. Tertio loco a minori, quod si licet interficere alios vt pudicitiam eripientes, multo magis licet insidiatorem, & latronem. Quarto loco a fine, quod comitatus, & gladios habere nõ liceret, si vti illis nullo pacto liceret. Quincto a naturali impulsione.

Etsi persapienter, & quodammodo tacite] Quartum enthymema est etiam a lege propria scripta, & lege Cornelia de sicariis, quæ vetat hominem esse cum telo hominis occidendi causa: ergo videtur concedere, vt homo sit cum telo, & eo vtatur sui defendendi causa. Martianus lib. 48. Pandectarum, cap. ad legem Corneliam de sicariis, sic ait; Lege Cornelia de sicariis tenetur, qui hominem occiderit, quive hominis occidendi causa cum telo ambulauerit.

Sequitur illud, quod a Milonis inimicis sæpissime dicitur] Refutatur secundum argumentum aduersariorum, qui dicebant senatum iudicasse, cædem, qua P. Clodius occisus est, contra Remp. esse factam, tunc scilicet, cum decreuit senatus, vt Lepidus Interrex, Tribuni pl. & Pompeius viderent, ne quid Resp. detrimenti caperet: & refutatur tribus enthymematibus. Ducitur autem huiusmodi refutatio ab illo loco æquitatis, spectandam esse voluntatem, non verba.

Quoties enim est illa causa] Primum enthymema est, probauit senatus causam Milonianam & nihil noui voluit decernere. Ergo non iudicauit cædem illam contra Remp.

esse factam. Confirmatur assumptum a testimonio ipsorum iudicum, qui sciebant, sæpe Milonis causam fuisse actam a Cicerone in senatu, & paucissimos inuentos esse, qui eam non probarent. Et a testimonio ambusti Tribuni pl. T. Munatij Planci Bursæ, qui cum concionaretur contra Milonem eo tempore, quo propter Clodij corpus curia incensa est, non prius destitit, quam flamma eius incendij fugatus est e concione, & idcirco ambustus nominatur. Is potentiam Ciceronis inuidiose criminabatur, cum diceret senatum non quod sentiret, sed quod ille vellet, decernere. Cicero vero loco potentiæ nominat mediocrem in bonis causis auctoritatem, aut nonnullam apud bonos gratiam. Assumuntur enim vicina tum ad laudandum, tum ad vituperandum, vt docet Aristoteles in genere demonstratiuo. Et a repugnantibus, quod esse leges, & noui aliquid velle decernere inter se repugnarent. At habebantur leges, habebantur quæstiones vel de cæde, vel de vi, vt de vi publica lex Lutatia, de vi priuata lex Plautia: ergo nouam quæstionem, etsi non erat iniqua, numquam tamen senatus constituendam putauit: nec P. Clodij mors tantum mœrorem, ac luctum senatui afferebat, vt nouam quæstionem constituendam putaret de eo, de cuius incesto stupro senatui iudicium decernendi potestas fuerat erepta. Scribit Asconius, per Q. Fusium illo quoque tempore, quo de incestu P. Clodij actum est, factum esse, ne a senatu asperius decerneretur. Clodius enim, cum C. Cæsaris Pontificis Max. vxorem non Muciam, vt falso scribit Onuphrius Panuuinus, quæ Pompeij, non Cæsaris fuit vxor, sed Pompeium, vt Suetonius, adamaret, muliebri vestitu in operto Bonæ deæ inuentus est ab Aurelia C. Cæsaris matre, quo non nisi mulieribus ingredi fas erat. Hæc est illa dea, quam Varro scripsit tantæ pudicitiæ fuisse, vt nemo illam, dum vixit, præter virum suum, mas viderit, aut nomen illius audiuerit. Quapropter illi in operto mulieres sacrificabant, & Bonam deam nominabant. Cum autem incestus tria significet, tum omnem pollutionem, vt apud Virgil. in 6. Æneidos; *Totamq; incestat funere classem*; tum flagitium commissum cum consanguineis, & affinibus, vt in iure Pontificio; tum flagitium cum mulieribus

lieribus sacris, vt in eodem iure Pontificio: fuit incestus Clodij in tertia significatione, habita hac ratione, quod Pompeia fuit vxor Cæsaris Pontificis Max. præterea, cum etiam stuprum significet tria, tum omnem turpitudinem, vt apud Næuium; Perire mauolunt, quam cum stupro redire; tum flagitium cum virginibus, viduis, & nuptis, vt apud Sal. lib.3. historiarum; Ac statim fugitiui contra præceptum ducis rapere ad stuprum virgines, matronasque; tum flagitium cum virginibus, & viduis ad differentiam adulterij, quod proprie in nuptam committitur, vt traditur in iure ciuili: hoc in loco appellatur stuprum Clodij in secunda significatione, flagitium scilicet cum nupta.

Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipsam contra Remp. senatus factam esse decreuit?] Secundum enthymema est; Senatus damnauit generatim rem, non causam rei, cumque inesset in re vis, & insidiæ, crimen iudicio reseruauit, rem notauit. Ergo non simpliciter iudicauit, cædem illam factam esse contra Remp. Probatur a genere, quia omnis vis generatim considerata est contra Remp. vt vis illata Gracchis, & Saturnino. & commemoratur incendium curiæ, & oppugnatio ædium M. Lepidi, de quibus supra. & exprimitur sententia Ciceronis, tamquam senatoris, dum agitur de sententia senatus.

Quod si per furiosum illum Tribunum] Tertium enthymema est; Senatui Q. Fusius Tribunus pl. facultatem decernendi eripuit: Ergo senatus nihil videtur decreuisse. Decernebat enim senatus, vt veteribus legibus, tantummodo extra ordinem, & ante alias causas quæreretur. Diuisa sententia est, & separatim propositum, vt veteribus legibus quæreretur, cui sententiæ Tribunus pl. intercessit: & vt extra ordinem quæreretur, quod placebat Clodianis. Non nominat Cicero Q. Fusium, sed dicit diuisam esse sententiam postulante nescio quo; nihil enim necesse est omnium flagitia proferre. vbi exprimitur prudentia moratæ orationis.

At enim Cn. Pompeius rogatione sua] Refutatur tertium argumentum aduersariorum, qui dicebant Pompeium damnasse factum Milonis, cum ille tulit de vi facta in via

Appia, incendio curiæ, oppugnatione ædium Lepidi. Sumptaq; est refutatio ab eodem loco æquitatis, spectandam esse voluntatem, non verba: & tria afferuntur enthymemata. Rogatio autem differt a plebiscito, & est vel lex, vel priuilegium; vt docet Gellius.

Quid ergo tulit? nempe vt quæreretur] Primum enthymema est; Pompeius potestatem fecit Miloni dicẽdæ causæ: ergo non damnauit factum Milonis. Dedit enim non tam salutarem in iudicando literam A, quæ significabat Absoluo, quam tristem C. quæ significabat Condemno. Quandoq; vtebantur iudices duabus literis N L, id est, Non liquet.

Iam illud dicet ipse profecto] Secundum enthymema est; Si non est constitutum nouum iudicium de M. Druso, de P. Africano, de Pompeio, de Cicerone ipso, multo minus debebat constitui de Clodio: sed cum Pompeius habuisset Clodium inimicum timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ, & idcirco tulit de cæde, quæ in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit. Ergo non id fecit, vt damnaret factum Milonis. Drusus Tribunus pl. retulit leges Gracchorum de agris diuidendis, de frumento dando, de coloniis deducendis: & legem Cœpionis de senatu cum equitibus communicando, & iudiciis communicandis cum senatoribus: & legem Flacci de ciuitate sociis danda, quam eis præstare nõ potuit. Quamobrem an. 662. occisus est incerto auctore. An. autem 624. nocturna vis illata est P. Africano in seditionibus excitatis a Triumuiris Fuluio Flacco, C. Graccho, C. Carbone de agro diuidendo creatis: suspectaq; fuit Sempronia eius vxor, Gracchorum soror. Iam vero non debebat noua quæstio constitui, etiam si Clodius in monumentis maiorum suorum fuisset interfectus, id est, in via Appia, quam Appius Cæcus muniuit. Frontinus scribit Appium Claudium Censorem cognomento Cæcum curasse muniendam viam Appiam a porta Capena, quę nunc dicitur Di. Sebastiani, vsq; Capuam. Tacitus scribit, viam Appiam pertinuisse vsq; Brundusium. Quare non desũt, qui dicant, Appium perduxisse vsque Capuam, C. Cæsarem dictatorem vsq; Brundusium. In hac via Clodius occiderat M. Papiriũ. Nam, vt narrat Asconius,

nius, Pompeius post triumphum Mithridaticum Tigranis filium in catenis deposuerat apud Flauium senatorẽ, qui postea cum esset Prætor eodem anno, quo Tribunus pl. Clodius, petiit, ab eo Clodius, super cœnam, vt Tigranem adduci iuberet, vt eum videret, adductum collocauit in conuiuium; dein Flauio non reddidit, dimisit & habuit extra catenas, nec repetenti Pompeio reddidit: postea in nauem deposuit, & cum profugeret ille, Flauius re cognita ad diripiendum Tigranem profectus est. ad quartum lapidem ab Vrbe pugna facta est, in qua multi ex vtraque parte ceciderunt, plures tamen ex Flauij, inter quos & M. Papirius eques R. publicanus, familiaris Pompeio. Flauius sine Comite vix profugit. Eiusdem Asconij verba sunt; Pisone; & Gabinio cos. pulso Cicerone in exilium, cum tertio Id. Septembris Pompeius in senatum venit, dicitur seruo P. Clodij sicam excidisse; eaque ad Gabinium consulem delata dictum est, seruo imperatũ a P. Clodio, vt Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit, ex eo domi tentus. hæc ille. Sæpe quoque Cicero ex telis, & manibus Clodij effugit, vt cum ad Regiam pene cõfectus est; qua de re infra.

Multa etiam alia vidit, & illud maxime] Tertium enthymema est; Vidit Pompeius iudices fortiter esse iudicaturos: ergo non ipse iudicauit illam cædem factam esse cõtra Remp. quamuis atrociter tulerit, vt quæreretur. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina: & quæsitorem creauit L. Domitium Ahenobarbum, qui consul fuerat an. Vr. *699*. &, vt ait Cicero, dederat, quam contemneret populares insanias, iam ab adolescẽtia, documenta maxima. Constantiam, inquit Asconius, L. Domitij, quã in Prætura præstitit, significat. nam eo tempore, cum Cn. Manilius Tribunus pl. subnixus libertinorum, & seruorum manu, perditissimam legem ferret, vt libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret, & cliuum Capitolinum obsideret; discusserat, perruperatque cœtum Domitius, ita vt multi Manilianorum interficerentur. quo facto & plebem infimam offenderat, & senatus magnam gratiam inierat. Tollitur autem illa criminatio, quod Pompeius secreuisset in iudicibus legen-

dis amicos Ciceronis, a repugnanti, quod id repugnaret maximæ iustitiæ Pompeij:& ab impoſſibili, quod in bonis viris legendis id aſſequi non potuiſſet, etiam ſi cupiſſet.

Quamobrem, Iud. Vt aliquando ad cauſam, crimenq; veniamus] Inter partes neceſſarias Ariſtoteles ponit propoſitionem. nam, quemadmodum ſermones Philoſophici conſtant ex problemate, & demonſtratione: ſic orationes oratoriæ ex propoſitione, & fide. Itaq; propoſitionem facit Cicero cum repetitione eorum, quæ refutata ſunt.

P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in Pratura vexare Remp.] Ex primo præceptorum de narratione quæ ſuperius expoſita ſunt, perſpicue, & probabiliter narrantur quatuor; primo loco, quemadmodum Clodius in petitione Præturæ reliquerit annum ſuum: nam petiturus erat an. vr. 700. Sed, cum tracta eſſent comitia a Q. Pompeio Rufo Tribuno pl. per ſeptem, vel octo menſes, reiecit petitionem in ſequentem annum duabus de cauſis, vt L. Paullum collegam effugeret ſingulari virtute ciuem; vt annum integrum ad dilacerandam Remp. haberet. Secundo loco, quemadmodum timuerit Milonis conſulatum: nam petebant conſulatum T. Annius Milo, M. Plautius Hypſeus, Q. Metellus Scipio. Quamobrem contulit ſe Clodius ad competitores Milonis. Tertio loco, quemadmodum abierit ad collocandas inſidias, cum ſciret iter ſolenne, legitimũ, neceſſarium XIII. Kal. Febr. Miloni eſſe Lauinium ad flaminem prodendum, quod eſſet dictator Lauinij Milo. Legendum eſt enim Lauinium, & Lauinij, non, vt vulgo legitur, Lanuuium, & Lanuuij: nam cuncti Lanuuium non erat tranſeundum Bouillis, qua tranſiuit Milo, ſed Lauinium. Narrat autem Spartianus in Hadriano, per Latina oppida dictatorem, & ædilem, & duumuirum fuiſſe. Quarto loco, quemadmodũ congreſſi ſint inter ſe Milo, & Clodius, & interfectus ſit Clodius; qua de re legendus eſt etiam Aſconius. Ex ſecundo præcepto attexuntur, quæcunq; ad virtutem Milonis pertinent, qui oſtenditur fortiſſimus, minimeq; inſidioſus: & quæcunq; ad improbitatem Clodij, qui ſceleratus, & inſidioſus. Ex tertio præcepto minori narratione vtitur Cicero, tanquam defenſor, quam vteretur, ſi accuſator eſſet. Idcirco multa omittit, quæ narrantur ab

tur ab Asconio. Et, ne miserationem excitet in Clodium, aut indignationem in Milonem, caute loquitur in hunc modum; Fecerunt id serui Milonis (dicam enim non deriuandi criminis causa, sed vt factum est) neq; imperante, neq; sciente, neq; præsente domino, quod suos quisq; seruos in tali re facere voluisset. Ex quarto præcepto exprimit improbissimos Clodij mores, ostendens initio narrationis, quod statuisset Clodius, & exprimens eius audaciã, & contemptionem, cum ait; Palam agere cœpit, & aperte dicere, occidendum Milonem. Ex quinto præcepto adhibet affectum cum aliis in locis narrationis, tum cum illud adiicit; Quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non semel ab illo, neq; tum primum petitum, quam iugulari a vobis, quia se illi non iugulandum tradidisset. Ex sexto præcepto, cum multis in locis narrare conueniat, id est, non solum post procemium ante confirmationem, & confutationem, verum etiam post confutationem, cum scilicet posteriore loco dicitur: etiam in hac oratione narrat post refutationem, & propositionem.

Insidias factas esse constat] Duplicem esse partitionem præcipit Cicero lib. I. de inuentione; alteram, quæ ostendit, quid cum aduersariis conueniat, & quid in controuersia relinquatur: alteram, quæ rerum distributam continet expositionem; hanc q; debere habere tum breuitatem, vt nihil enumeret, nisi necessarium: tum absolutionem, vt omnia complectatur: tum paucitatem, vt genera ipsa rerum ponantur, non etiam partes generum. Prima partitio ponitur hic; Insidias factas esse, &c.

XI.

IN CONFIRMATIONEM.

Q*Vonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium?*] Hoc confirmandum est, insidiatorem fuisse Clodium, non Milonem; & confirmatur multis enthymematibus, cum enthymema sit proprium instrumentum generis iudicialis, vt superius notauimus. Iam primum enthymema est a ratione commodi; Bono fuit Clodio facere insidias, non sic Miloni; Ergo Clodius fecit insidias, non Milo. ponitur prima conclusio; Quonam igi-

tur pacto,&c.Secunda assumptio;Satis est quidem,&c. De L.Cassio legitur sic in oratione pro Sex.Roscio Amerino; L.Cassius ille, quem populus Rom. verissimum, & sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quærere solebat; Cui bono fuisset. Sic vita hominum est, vt ad maleficium nemo conetur sine spe, atq; emolumento accedere. In hac oratione paullo infra nominantur iudices Cassiani pro seueris, & integris. Sic etiam in quarta Verrina. Narrat Asconius, cum Sex.Peduceus Tribunus pl. criminatus esset, L.Metellum Pontif.Max. totumq; collegiũ Pontificum male iudicasse de incestu virginum Vestalium, quod vnam modo Æmiliam damnauerat, absoluerat autem duas, Marciam, & Liciniam, Cassium a populo iudicem creatum, de iisdem Virginibus quæsisse, & vtrasq; eas, & præterea complures alias damnasse. Probatur assumptio primi enthymematis per collationem Clodij, & Milonis. In prima autem parte collationis primo loco exponuntur duæ vtilitates Clodij;prima,vt prætor esset non eo consule, quo sceleris nihil facere posset: altera, vt iis consulibus prætor esset, quibus si non adiuuantibus, at conniuentibus certe, id est, permittentibus sperasset se posse Remp. eludere, id est, fallere in illis suis cogitatis furoribus. Intelligit P.Plautium Hypseum, & Q.Metellum Scipionem, pro quibus laborauerat Clodius, quosq; mortuo Milone sperabat futuros consules. Secundo loco ponitur amplificatio de legibus Clodianis, quas ille erat impositurus, tanquam onera, & inusturus, tanquam faces. Exhibe, inquit, quæso Sex. Clodi (intelligitur Sex.Clodius, a quo corpus P.Clodij crematum est, quo incendio curia conflagrauit) exhibe librarium illud, id est scrinium legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse e domo, & ex mediis armis, turbaq; nocturna tanquam palladium sustulisse,id est,tanquam rem sacram,& pretiosam.Palladium autem fuit simulachrum Palladis. Quidam scripserunt, Palladium fuisse scutum æneum: Dionysius, & Dio, signum ligneum tricubitale, dextera tenens hastã, læua colum, & fusum: cœlo lapsum, cum Dardanus Ilium condebat, oraculo Apollinis monitus, tamdiu mansuram vrbem,quamdiu in ea Palladium conseruaretur. At Varro, Dionysius, Plutar-

Plutarchus, Seruius, ſcribunt, Chryſam Pallantis filiam, cum in Arcadia nupſiſſet Dardano, pro dote tuliſſe Palladium, & penates. ea ſimulachra tranſuecta in Ilium, & in templo Palladis collocata, accepto oraculo illo, quod modo notauimus. In bello autem Troiano cum Pyrrhus ex Heleno vate, Priami filio, didiciſſet, ſaluo in vrbe Palladio Troiam expugnari non poſſe, datum eſt negotium Vlyſſi, & Diomedi, qui clam in vrbem ingreſſi, viq; in cuſtodes facta, Palladium ſurripuerunt, Antenoris opera, quod eius vxori Theanæ Palladis ſacerdoti traditum fuerat cuſtodiendum. Virg. 2. Æn. ——*caſis ſummæ cuſtodibus arcis,*

Corripuere ſacram effigiem, manibusq; cruentis

Virgineas auſi diuæ contingere vittas. Palladiũ vero poſt captã Troiẽ Æneæ a Diomede fuit reſtitutũ, & ab ipſo Ænea in Italiã comportatũ, & in oppido Lauinio collocatũ. Inde ab Aſcanio Albam longã tranſlatum, condito ibi Veſtæ templo. Poſt ſub Rege Tullo Hoſtilio Romam exportatum, & in Æde Veſtæ poſitum; quæ cum incendio flagraſſet, L. Cæcilius Metellus Pont. Max. Palladium medio ex incendio rapuit. Quare ſtatim lumina, quod deos vidiſſe crederetur, amiſit; tuncq; primum Palladium conſpectum eſt. Præterea ſub commodo Marci F. cum Veſtæ templum iterum conflagraſſet, Palladium iterum inſpectum eſt. Id deinceps Alagabalus Imperator, cum templum Deo ſuo Alagabalo, quem pleriq; Solem exiſtimant, in Palatio feciſſet, tranſlatis in illud templum omnibus Romanis ſacris, dicebat ipſum Dei ſui coniugem eſſe. Demum Conſtantinus Imperator Conſtantinopolim deportauit, vtq; ab omnibus conſpici poſſet, medio foro ſuper columnam marmoriam collocari iuſſit.

Tertio loco fit digreſſio ad inſectandum Sex. Clodium. *Mouet me quippe lumen curiæ*] Iocatur in ambiguo: videtur enim loqui de ſenatore clariſſimo: tamen ſignificat incendium curiæ. *Cuius tu inimiciſſimum multo crudelius etiam punitus es*] Vt aſſentio aſſentior, impertio impertior, reuerto reuertor, fabrico fabricor, mutuo mutuor: ſic punio punior. *Tu P. Clodij cruentum cadauer eieciſti domo*] Non lauiſti: mortui enim lauabantur, & vngebantur. Virg. 6. Æn. de funere Miſeni;

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpusque lauant frigentis, & vngunt.

Et lib. 4. de Didone, quæ sibi mortem consciuerat;

—— date vulnera lymphis:
Abluam.

Et lib. 9. quæribunda Euryali mater ait;

—— nec vulnera laui
Veste tegens.

Et Ennius; *Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.*

Tu in publicum eiecisti] Non extulisti: efferebātur enim a propinquioribus virilis sexus. auctor Seruius. *Tu spoliatum imaginibus*] Imagines maiorum comitabantur gentilitia funera. auctor Plinius lib. 35. cap. 6. *Exequiis*] Funus præcedebat: homines sequebantur; vnde exequias dici putat Donatus, explicans illud Terentianum; Funus interim procedit: nos sequimur. *Pompa*] Totus apparatus in honorem mortuorum dicebatur pompa funeris. Maiores autē vsi sunt tum nigro, tum cœruleo colore. cœruleo in adolescentium morte. Varro, & Cato. *Laudatione*] Habebatur laudatio, & funebris oratio. Cæsar annos natus duodecim amitam: Tiberius annos natus nouem patrem in funere laudauit. *Infelicissimis lignis semiustulatū*] Non perfecte crematum: notum enim est corpora mortuorum cremari solita fuisse. *Nocturnis canibus dilaniandum reliquisti*] In sepulchro non condidisti. Diebus autem nouem flebāt mortuos, vnde appellata sunt Nouemdialia sacra. Nos flemus tantum dies septem. Quarto loco vituperatur P. Clodius propter res nouas, quas in prætura sua erat introducturus. De legibus nouis vide Demosthenem in Timocratem. *At non P. Clodio mortuo vsitatis iam rebus obnitendum est Miloni*] In secunda parte collationis ostenditur Clodij mortem Miloni inutilem fuisse, qui exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriæ suæ perdidit. Quinctiliani verba sunt lib. 8. Transferuntur, aut quia necesse est: aut quia significantius: aut quia decentius. Necessitate rustici dicunt gemmare in vitibus, & sitire segetes, & fructus laborare: necessitate nos durum hominem, atq; asperum. Iam incensum ira, & inflammatum cupiditate, & lapsum errore, si-

re, significandi gratia. Illa ad ornatum, lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, & eloquentiæ fulmina: vt Cicero pro Milone Clodium fontem gloriæ eius vocat, & alio loco segetem, & materiem.

At saluis odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ, punitor doloris sui] Secundum enthymema est ductum ab ira; Clodius maiori, & ira fuit inflammatus in Milonem, quam Milo in Clodium: Ergo ille fecit insidias, non hic. Odium est ira inueterata. Ira est appetitio cum dolore coniuncta vlciscendi eum, qui paruifacere immerito videatur. Inimicitia est ira vlciscendi tempus expectans. Vltio est causa efficientis, vt scilicet expleatur. Punitio, & castigatio est causa patientis, vt melior efficiatur. *Quid, si hæc non dico maiora*] Assumptio. *Quid enim odisset Clodium Milo*] Probatio assumptionis confert cum odio Milonis odium Clodij. & prima pars collationis est de odio Milonis, quod duplex sit odium, vnum vniuersale, & ciuile, quo omnes improbos odimus: alterum singulare, quo inimicus inimicum odit: & primum Miloni conueniat in Clodium: alterum non conueniat. *Ille erat*] Secunda pars collationis est de odio Clodij, qui Milonem odio habebat non vniuersali, sed singulari, defensorem Ciceronis, maxime in eius ab exilio reuocatione: vexatorem furoris sui, quem non fieri consulem ipsi expediebat, vt posset Remp. eludere in suis cogitatis furoribus: domitorem armorum suorum; sæpe enim Milo pugnauerat cum Clodio: accusatorem suum, a quo in iudicium vocatus fuerat de vi lege Plotia lata a M. Plantio Syluano Tribuno pl. ita vt reus fuerit, quoad vixit, quia accusatus est, & nunquam de eo sententia lata.

Reliquum est, vt iam illum natura ipsius, consuetudoque defendat: hunc autem hæc eadem coarguant] Tertium enthymema est a cõsuetudine; quod consuetudo Clodij fuit, vt insidiaretur, non sic Milonis. Ergo Clodius fuit insidiator, non Milo. Ponitur assumptio per ironiam. A natura autem sunt, quæ habent in se causam ad differentiam artificiosorum, quæ habent causam extrinsecus: & quidem causam ordinatam ad aliquem finem, ita vt semper, vel plerunque fiant, ad differentiam fortuitorum, quæ non

habent causam ordinatam ad aliquem finem, nec semper, vel plerumque fiunt. A consuetudine vero sunt, quæcunque idcirco faciunt, quia sæpe fecerunt. Distinguitur consuetudo a natura, quia per naturam homo nō dicitur sponte agere: at per consuetudinem dicitur sponte agere. Iam dubitatur, cur Cicero de insidiis argumentetur a natura; cum a necessitate naturæ iniuria non proficiscatur; vt supra ex doctrina Aristotelis notatum est. nam a tribus causis non oritur iniuria, cum homines agunt non per se, nempe a fortuna, a necessitate violentiæ, a necessitate naturæ. Ratio in promptu est, quia iniuriam facere est sponte nocere contra legem: per has autem tres causas homo non agit sponte. Quam dubitationem ita eximi posse arbitramur, vt dicatur accipi hoc in loco naturam non simpliciter; sed pro consuetudine conuersa in naturam, & pro malo habitu insidiandi. Consuetudinem autem conuerti in naturam quandam declarat Aristoteles sic; Fit consuetum quasi natura insitum: consuetudo vero res similis est naturæ: nam vicinitatem habet id, quod sæpe fit, cum eo, quod semper. Atqui natura quidem est eius, quod semper fit: consuetudo vero eius, quod sæpe. & Sal. in Iugurtha; Benefacere ex consuetudine in naturam vertitur. & Plutarchus in libello de bona valetudine tuenda; Quoniam consuetudo tantum abest, vt præter naturam sit, vt ipsa velut in naturam quodammodo transeat: non decet luporum, ac leonum ritu ad explendam appetentiam carnium esu vti. Magnam autem esse vim consuetudinis tum ad bonum, tum ad malum, satis constat. Ciceronis verba sunt in 2. Tusc. Consuetudinis magna vis est: pernoctant venatores in niue, in montibus vri se patiuntur. inde pugiles cestibus contusi ne ingemiscunt quidem. Aureus est, & ad verbum ediscendus libellus Plutarchi de liberis educandis. vbi legitur; Tria esse, quæ ad operis perfectionem rite obeundam concurrere oportet, naturam, disciplinam, consuetudinem. Bene Thessalus quidam, cum interrogaretur; Quinam abiectissimi Thessalorum essent; Qui bellicarum, inquit, rerum consuetudinē non habent. Prætermitto illud ore omnium contritum, & peruulgatū, quod legitur de geminis catulis a Lycurgo Spartanorū legislatore

tore diuersa consuetudine educatis, & altero helluone, luxuriaque soluto, altero sagaci, & venationibus idoneo redditis, & in conspectum Lacedæmoniorum perductis, vt cognoscerent, quanta vis esset consuetudinis. *Quid ergo, Ind cum mærentibus vobis vrbe cessi*] Probatur consuetudo Clodij quatuor impiis eius factis; primum cum vrbe cessit Cicero, & Q. Hortensius per manum seruorum Clodij est pene interfectus, & C. Vibienus vitam amisit: deinde cum sica, quæ seruo P. Clodij exciderat, ad Gabinium consulem delata, dictum est seruo imperatum a P. Clodio, vt Pompeius occideretur; quod legitur pro Sextio, & apud Asconium, & dictum est supra: Præterea, cum sica Clodij Appiam viam monumetum sui nominis nece Papirij cruentauit; Equitis Rom. publicani, occisi inter plures alios comites Flauij senatoris, qui ad diripiendum Tigranis filium ope Clodij profugientem profectos fuerat; vt supra quoque notatum est: Postremo cum eadem sica Ciceronem ad Regiam pene confecit, in via sacra, vt scribit Asconius. *Quid simile Milonis?*] Consuetudo Milonis probatur octo præclaris occasionibus, quibus potuisset Clodium interficere, & non interfecit; quarum prima fuit, cum Clodius oppugnauit domũ Milonis; vt legitur etiam pro P. Sextio: secunda, cum vulnerauit Sextium; vt etiam in eadem oratione: tertia, cum expulit Fabricium, qui ferebat legem de reditu Ciceronis; quod commemoratur quoq; pro Sextio: quarta, cum oppugnauit domum Cæcilij Prætoris, Lentulo, & Metello cos. cum Cicero est restitutus; de quá oppugnatione alibi non est mentio, vt notat Asconius: quincta, cum est lata lex de Cicerone, fauente Lentulo cos. septem Prætoribus, (nam octauus fuit Ap. Claudius frater Clodij) octo Tribunis pl. (nam duo noluerunt promulgare) & Pompeio; tunc enim se Milo continuit, & P. Clodium ad iudicium bis, scilicet semel ante reditum Ciceronis, iterum post reditum, & ad vim nunquam vocauit, etiamsi accusatus sit a Clodio de vi an. 697. vt apparet pro Sextio: septima cum insectante M Antonio se Clodius fugiens in scalarum tenebras abdidit: Octaua, cum in septa comitiorum irruit; de quo facto alibi mentio nõn extat. Duo autem in Campo Martio erant septa,

in quibus comitia habebantur, ita vt ex vno ſeptorum per quoſdam ponticulos omnes Tribus ſingillatim in alterum ſeptum irent, atq; in ciſtas, quæ in illis pontibus a rogatoribus tenebantur, tabellas mitterent.

Quid? quod caput audaciæ eſt, Iud. quis ignorat maximā illecebram eſſe impunitatis ſpem] Quartum enthymema eſt a cupiditate, quæ propoſitam habet rem iucundam, & a ſpe impunitatis, quæ ſolet eſſe iucunda; In Milone non fuit ſpes impunitatis, qui etiam reus erat facti aut præclari, aut certe neceſſarij: In Clodio fuit ſpes impunitatis, qui ita iudicia, pœnasq; cōtempſerat, vt eum nihil delectaret, quòd aut per naturam fas eſſet, aut per leges liceret: ergo Milo non fuit inſidiator, ſed Clodius. In quibus quatuor enthymematibus comprehenduntur alia duo, nimirum vnum ab illis, quibus faciunt iniuriam, vt qui male meriti ſunt, & male merituri videntur, quæcunque offeratur occaſio, in probatione ſecundi enthymematis; Milo fuit defenſor Ciceronis, quem inimicum habebat Clodius; fuit vexator furoris, qui erat in Clodio; fuit domitor armorum, quibus vtebatur Clodius; fuit accuſator Clodij: Ergo Miloni tanquam male de ſe merito inſidias fecit Clodius. Alterum ab illis, qui cum ſæpe vitauerint iudicium, & ſæpe pœnas non dederint, ſperant ſe impune abituros, vt in probatione huius quarti enthymematis; Clodius ita iudicia, pœnamq; contempſerat, vt eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas eſſet, aut per leges liceret: ergo fuit inſidiator.

Sed quid ego argumentor? quid plura diſputo? te Q. Petilli] Septimum enthymema eſt a ſeptima propoſitione eius, quod factum ſit; Futurum fuit, vt Clodius faceret inſidias: ergo fecit. Probatur aſſumptum, quod Q. Petillius, & M. Cato iudices ex M. Fauonio audiuerant, Clodium ſibi dixiſſe, periturum Milonem triduo; quod non dixiſſet, niſi cogitaſſet de inſidiis.

Quemadmodum igitur eum dies non fefellit?] Octauum enthymema eſt a tertia propoſitione eius, quod factum ſit; Potuit Clodius inſidias facere: non potuit Milo. Voluit Clodius inſidias facere: non ita voluit Milo: ergo Clodius inſidias fecit: non Milo. Probatur primo loco potuiſſe Clodium facere inſidias, quod ſciret iter Milonis. Quod

autem

autem legitur, Dictatoris Lanuuini, legendum est Lauinini, &c, proficisci Lanuuium, proficisci Lauinium, vt supra quoq; notauimus. *Quid, si, vt ille sciuit Milonem*] Probatur secundo loco, non potuisse Milonem facere insidias, quod ignoraret diem, quo facturus iter erat Clodius, & idcirco nec ipse posset insidiari Clodio, nec Cicero cogitare de insidiis, quæ eius consilio factæ dicebantur. *Nam occurrit illud, ne Clodius quidem*] Probatur tertio loco, voluisse Clodium, quod eo die se dissimulauerit rediturum causamq; mutandi consilij finxerit. *Atq; vt illi nocturnus ad vrbem aduentus*] Probatur quarto loco de voluntate vtriusq;, quod, quemadmodum Clodius accessum ad vrbem nocturnum non metuit, sic Milo nocte prope vrbem Clodium non expectauit, vt noctu inuidioso, & pleno latronum in loco eum occideret. *Video adhuc constare omnia, Iud.*] Repetuntur fere omnia, quæ superius confirmata sunt, nempe primum argumentum, Miloni etiam vtile fuisse, Clodium viuere; illi ad ea, quæ concupierat, optatissimum interitum Milonis fuisse: & secundum argumentũ, odium illius in hunc acerbissimum; in illum huius nullum: & tertium, consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda; huius tantum in repellenda: non quartum de spe impunitatis: nec quintum, nec sextum, quæ permixta cum superioribus sunt: & septimum, mortem ab illo denuntiatam palam Miloni, & prædictam; nihil tale vnquam auditum ex Milone: & octaui probationem secundam, huius diem illi notum; reditum illius huic ignotum fuisse: & probationem primam, huius iter necessarium; illius etiam potius alienum: & probationem tertiam, hunc præ se tulisse illo die Roma exiturum; illum eo die se dissimulasse rediturum; hunc nullius rei mutasse consilium; illum causam mutandi consilij finxisse: & probationem quartam, huic, si insidiaretur, nocte prope vrbem expectandum; illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad vrbem nocturnum fuisse metuendum. *Videamus nunc id, quod caput est*] Quinto loco probatur, potuisse Clodium, quod fundum habuerit, qua transiturus erat Milo, vbi propter insanas substructiones facile mille hominum versabatur valentium (notat Gell. lib. 1. cap. 16. mille non poni hoc in

loco pro χίλιοι, sed pro χιλίας) & non potuisse Milonem, quod aptum ad insidias locum non habuerit. *Res loquitur, lud. ipsa*] Nonum enthymema est a quarta propositione eius, quod factum sit; Noluit Milo facere insidias, & extrinsecus est impeditus, quod fuerit penula irretitus, rheda impeditus, vxore pene constrictus: Voluit Clodius, & extrinsecus nō est impeditus, quod fuerit sine vxore, in equo, sine comitibus Græculis, sine scortis, exoletis, lupis, quas personas antea secum ducere solebat. Ergo Milo non fecit insidias: sed Clodius.

Cur igitur victus est? quia non semper viator] Decimum enthymema est ab adiunctis; Clodius fuit latro, & non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur: mulier incidit in viros: nunquam Milo fuit prorsus imparatus propter prouidentiam suam: casus, & exitus pugnarum sunt incerti, & Mars communis: magna fuit inscitia pransi, poti, & oscitantis ducis: ergo Clodius potuit interfici, etiamsi fuerit insidiator. Hæc enim adiuncta sunt.

Cur igitur eos manumisit?] Vndecimum enthymema est etiam ab adiunctis; Milo manumisit seruos suos non metu conscientiæ, sed merito: ergo adiungitur, vt per eos sit ab insidiis liberatus.

Sed quæstiones vrgent Milonem] Duodecimum enthymema est similiter ab adiunctis; Illi, qui dixerunt in quæstione, nullas insidias a Clodio fuisse factas, fuerunt serui P. Clodij, postulati ab Appio, producti ab Appio, ex domo Appij accusatoris: & non licet in dominum quæri de seruis eius, multoq; minus de seruis alienis, & accusatoris: & modus quæstionis non fuit legitimus: ergo adiungitur, vt illis fides præstanda minime esse videatur.

Quod si nondum satis cernitis] Decimum tertium enthymema itidem ab adiunctis; Milo nulla conscientia exanimatus Romam reuertit, seq; populo Rom. senatui, publicis præsidiis, & Pompeio consuli tradidit: ergo adiungitur, vt non fuerit insidiator.

Neque vero sine ratione certa] Decimumquartum enthymema quoque ab adiunctis; Milo neglexit illa, quæ de se vulgo circumferebantur, dum negarent eum Romam esse

esse rediturum: dum dicerent eum bellum patriæ illaturum: dum asseuerarent parata arma in vrbe: dum affirmaret Popa Licinius seruos Milonis sibi confessos esse, de interficiendo Cn. Pompeio coniurasse: dum etiam senator dixit in Capitolio, eum cum telo esse, vt ipse necesse habuerit nudare se in sanctissimo templo: ergo adiungitur, vt potuerit fidere cõscientia sua, & nullas fecisse insidias existimandus sit. Vbi quoque fit digressio quædam de suspicionibus Pompeij.

Nec vero me, Iud. Clodianum crimen mouet] Decimumquinctum enthymema est ab effectu, & a laudabili, glorioso, honesto; Laudabile fuit factum Milonis, qui non occidit Sp. Mælium, non Ti. Gracchum, sed omnium sceleratissimum Clodium: ergo laudabilis est, qui fecit, & ipse Milo.

Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, & magno animo, & libenter se fecisse libertatis omnium causa] Decimumsextum enthymema est etiam ab effectu, & vtili; Vtile fuit factum Milonis, vt, etiamsi insidias fecisset tam scelerato ciui, is tamen vti potuisse videatur eadem confessione, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua Cicero ipse, de quibus supra; ergo ei, qui fecit, gratia est referenda.

Sed huius beneficij gratiam, Iud. fortuna populi Rom. & vestra felicitas, & dij immortales sibi deberi putant] Decimumseptimum enthymema est etiam ab effectu, & vtili, Beneficium fuit diuinum: ergo magis Diis immortalibus, est gratia habenda, quam de insidiis Milonis cogitandum. *Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi, qui nullam vim cœlestem existimat, numenve diuinum*] Vt existimasse Diagoram Milesium, Theodorum Cyreneum, Euhemerum Thegeatem, testatur Plutarchus in libro de placitis Philosophorum. *Quem neque imperij vestri magnitudo*] Probat Cicero esse deum, primo loco a magnitudine imperij Romani: secundo a sole: tertio a motibus cœli, & signorum: quarto a vicissitudinibus rerum, atque ordinibus: quincto, quod maximum appellat, a sapientia maiorum, qui sacra, qui cerimonias, qui auspicia & ipsi sanctissime coluerunt, & posteris prodiderunt: sexto a minori,

quod si in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat, & sentiat, multo magis inest in hoc tanto naturæ, tam præclaro motui: septimo a simili, quod, quemadmodum nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua prouidemus, qua agimus, & dicimus, nec videre, nec plane, qualis, aut vbi sit, sentire possumus, eo tamen esse existimamus, sic non debeamus idcirco negare deum, quia non apparet, nec cernitur.

XII.
IN PERORATIONEM.

SEd iam satis multa de causa] Cum quatuor sint munera perorationis, vt satis constat ex superioribus, primo loco conciliat a persona Milonis: nam amantur fortes: idcirco petit, vt misericordiam tribuant fortissimo viro; affuit enim magno animo & nec comam, nec vestem mutauit de reorum more; auctor Plutarchus. Et amantur benefici, & qui bona volunt: idcirco fingit Milonem dicentem; Valeant, valeant ciues mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati. Et amantur liberales: ideo ait Milonem fecisse, vt plebem, & infimam multitudinem non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret, altero, quod habuit ex sua familia Papia, altero, quod consecutus, est adoptatus a T. Annio, tertio matris. Et amantur memores: Quare dicit; Meminit etiam sibi vocem præconis, &c. Et amantur, qui non expectant præmia: Vnde illud; Addit hæc, quæ certe vera sunt, fortes, & sapientes viros non tam præmia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta. Conciliat etiam a persona sua: nam amantur, qui dolent malis amicorum. Itaque affirmat, quo magis diuina est virtus Milonis, eo maiore dolore se ab eo diuelli. Et amantur, qui nullum officium prætermittunt in amicos: Quamobrem inquit; Nunc me vna consolatio sustentat, quod tibi, o T. Anni, nullum a me amoris, nullum studium, nullum pietatis officium defuit. Secundo loco amplificat factum Milonis per comparationem a minori; Si in gladiatoriis pugnis, &c. Et per prosopopœiam; Me quidem, Iudices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, &c. Et amplificat dolorem suum; Nec vero si mihi eripueris, reliqua est illa tamen, &c. Et

ampli-

amplificat officium suum; Ego inimicitias potentium per te appetiui, &c. Tertio loco mouet misericordiam a meritis Milonis in patriam; O frustra, inquit, suscepti mei labores, & quæ sequuntur. Et a meritis Milonis in Ciceronem; Ego cum te (mecum enim sæpissime loquitur) patriæ reddidissem, &c. Et a meritis Ciceronis in patriam; Quodnam concepi tantum scelus? & reliqua. Quarto loco non renouat memoriam, quia id fecerat in fine refutationis; Si neque omnis confessio facti est inusitata, &c. Et in media confirmatione; Video adhuc constare omnia, Iud. &c. Atque hæc sint satis in artificiosissimam Ciceronis pro Milone orationem.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS VIGESIMVS IN ORATIONEM CICERONIS PRO ARCHIA POETA.



VONIAM sæpenumero causarum genera permiscentur, huiusmodi permistionem, consequens est, vt explicemus; & artificium declaremus quatuor Ciceronis orationũ, quæ sunt in generibus mistis; tum pro Archia poeta, quæ est iudicialis mista: tum pro lege Manilia, quæ est deliberatiua mista: tum pro P. Sextio, quæ etiam est iudicialis mista: tum primæ Philippicæ, quæ etiam est deliberatiua mista. Incipimus igitur ab oratione pro Archia: & ordinem superius propositum retinemus.

I.

RES, QVA DE AGITVR.

ARchias natus Antiochiæ, quæ fuit Syriæ vrbs, factus est ciuis Heracleæ, vrbis fœderatæ in Italia sinu Tarentino. Data est ciuitas Rom. Syluani lege fœderatis ciuitatibus. Itaq; factus est ciuis Rom. Archias: accusatus ta-

men est a Graccho, quod cum ciuis Rom. non esset, se pro ciue gereret: defensus vero est a Cicerone hac oratione. Cum autem non appareret in publicis Heracliensium tabulis, ciuem Heracleæ fuisse Archiam, dixit Cicero eas tabulas, quibus is adscriptus erat, Italico bello interiisse omnes, incenso tabulario, vt apparere id non posset. De quo alibi dubitari: quod data est ciuitas Syluani lege an. vr. 664. quo anno bellum Italicum est confectum, & combustæ sunt tabulæ Heracliensium: in quibus fuisse adscriptus Archias non videtur, si factus est ciuis Heracliensis, vt legitur in narratione huius orationis, cum L. Lucullus ex Cilicia decederet, post negotium scilicet Mithridaticum, an. vr. 686. qui fuit vigesimus secundus, postquam bellum Italicum gestum est, & tabulæ combustæ sunt. Quomodo igitur potuit contendere Cicero, in illis combustis tabulis fuisse adscriptum Archiam, si duobus, & viginti ante annis illæ combustæ sunt, quam Archias factus esse ciuis Heracleæ dicatur? Illud dubitatione mea conficiebam, aut hoc fuisse Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα: aut Archiam fuisse in Cilicia cum Lucullo aliqua alia occasione, quam belli Mithridatici, cum factus est ciuis Heracleæ, scilicet ante bellum Italicum, & tabularij combustionem.

II.

GENVS CAVSÆ.

CVm genus huius orationis sit iudiciale, assumptum est quoq; demonstratiuum ad laudandum Archiam.

III.

STATVS CAVSÆ.

COntrouersia est, an factus sit ciuis Rom. Archias. Itaq; status causæ est coniecturalis. Sed in parte demonstratiua, quæ laudat Archiam, status est quantitatis, dum quæritur, quantæ sint laudes Archiæ, & quanti esset faciendus.

IIII.

ARGVMENTA.

CVm quatuor sint fontes parandorũ argumentorum, vnus a proprio fine generis, in quo versatur oratio; alter ab assumptis finibus aliorum generum: tertius a communibus, maxime illis, quæ magis conueniunt illi generi, quod pertractatur: quartus a communissimis, & propriis; argu-

argumentabatur Gracchus a primo fonte, quod iniustum esset, & contra legem, Archiam se pro ciue gerere, qui non esset: & a tertio fonte, nimirùm a non facto, quod Heracleæ non fuisset adscriptus Archias, nec domicilium habuisset Romæ, nec professus esset, nec census esset: & a quarto fonte, ac loco consequentium, quod si esset ciuis Archias per legem Syluani, Heracleæ adscriptus esset, domicilium habuisset Romæ, esset professus, esset census: At hæc facta non sunt: Ergo Archias non erat ciuis. Cicero cõtra argumentatur etiam a primo fonte, quod nihil egerit Archias contra legem: & a tertio fonte, scilicet a facto, quod Heracleæ fuerit adscriptus, & Romæ domicilium habuerit, & professus sit; & ab impossibili, quod non potuerit censeri: & a quarto fonte, ac loco antecedentium, quod si adscriptus est, & domicilium habuit, & professus est, ciuis fuit per legem Syluani: At illa facta sunt: Ergo ciuis fuit: & in parte demonstratiua a secundo fonte, & ab assumpto fine generis demonstratiui, id est, ab honesto, quod esset magnifaciendus Archias propter præstantiam suam, tum ipsi Ciceroni, tum aliis, tum maxime Romanis, tum potissimum Imperatoribus Romanis.

V.

AFFECTVS.

MOuetur in primis amor, & lenitas in Archiam.

VI.

MORES.

EXprimitur in persona Ciceronis tum probitas, dum ostenditur gratus in Archiam: tum prudentia in diluendis obiectionibus, quæ ipsi fieri poterant: tum beneuolentia in iudices, quos magnifacit, & laudat. Et accommodatur oratio ad mores auditorũ, literatissimorum hominũ.

VII.

ELOCVTIO.

VTitur Cicero elocutione initio summissa, circa finem graui, copiosa, & florida.

VIII.

DISPOSITIO.

PArtes huius orationis sunt quatuor, procœmium, narratio, fides, epilogus. Fidei duæ sunt partes, refutatio

quadruplex, de iure ciuitatis Heracliensis dato Archiæ, de domicilio, de professione, de censu: & confirmatio demonstratiua itidem quadruplex, quæ ostendit magnifaciendum fuisse Archiam tum ipsi Ciceroni, tum aliis, tum potissimum Romanis, tum maxime Impp. Romanis.

IX.

IN PROOEMIVM.

CVm duo sint munera procœmiorum, iudicare finem, cuius gratia oratio instituta est, & parare animos auditorum a quatuor locis, a persona oratoris, vel rei, a persona ipsorum auditorum, a persona aduersariorum, a re ipsa; & soleat Cicero primum parare animos, deinde iudicare finem orationis: hoc procœmium primum parat animos iudicum a persona ipsius Ciceronis diluens tres obiectiones, quod nimiũ laboraret Cicero pro Archia: quod diceret se oratorem adiutum fuisse in studiis litterarum ab Archia poeta: quod loqueretur in foro de studiis humanitatis. Deinde indicat finem orationis, vt ostendat Archiam non modo non segregandum a numero ciuium, cum sit ciuis, verum etiam adsciscendum, si non esset. In diluenda prima obiectione vtitur syllogismo hypothetico ad hunc modum; Si beneficio Archiæ alios defendere possum, ipse quoque mihi est defendendus: At beneficio Archiæ alios defendere possum: Ergo ipse quoque mihi est defendendus. Ponit primam conclusionem: secundam minorem: tertiam maiorem. *Si quid est*] Creticus est, tantopere incipiendis clausulis laudatus. Dicit se Archiam defendere debere, & commemorat tria, quæ summum efficiunt oratorem, ingenium, exercitationem, artem; quorum primum, quamuis præcipuum, auctor ad Herennium prætermittit. *In qua me non inficior mediocriter esse versatum*] Versus per imprudentiam factus, & principium alterius, quamuis traditum sit vitiosissimum esse versum facere in soluta oratione per imprudentiam. *Nam quoad longissime potest*] Assumptio, seu minor propositio syllogismi hypothetici. *Quod si hac vox*] Propositio maior. *Ac ne quis a nobis*] Diluit alteram obiectionem ab orbe doctrinarum. *Sed ne cui vestrum*] Diluit tertiam obiectionem ab amplitudine, & eruditione Archiæ: a concursu hominum literatissimo-

tissimorum: ab humanitate iudicum: a persona prætoris: a persona Archiæ. *Quod si mihi a vobis tribui*] Munus procemij, quod indicat finem orationis.

X.

IN NARRATIONEM.

CVm duæ sint præcipuæ virtutes narrationis, perspicuitas, & probabilitas, narrantur quinq; perspicue, & probabiliter; charum fuisse Archiam in Asia, & cuncta Græcia: charum in Italia, atq; a Tarentinis, Rheginis, ac Neapolitanis ciuitate donatum esse: charum Romæ Lucullis, & fere omnibus Romanis: factum esse ciuem Heracleæ: factum esse ciuem Rom. per legem Syluani. *Nam vt primum ex pueris*] Prima pars narrationis. Narrat autem quatuor de præstantia Archiæ, informatum esse eum artibus, quibus ætas puerilis informari solet: ad scribendi studium se contulisse: in patria sua Antiochia celeriter omnibus ingenij gloria antecelluisse: in ceteris Asiæ partibus, cunctæq; Græciæ eius aduentum celebratum fuisse mirabiliter. Laudat Antiochiam quadrupliciter, appellans locum nobilem: celebrem quandam vrbem: copiosam: eruditissimis hominibus, liberalissimisq; studiis affluentem. *Erat Italia tunc plena*] Secunda pars narrationis. Tarentum autem fuit colonia Rom. facta promulgante C. Graccho. Rhegium vero fuit etiam colonia facta ab Augusto. Et Neapolis itidem colonia. *Hac tanta celebritate*] Tertia pars narrationis. *Mario cos. & Catulo*] Hic fuit quartus consulatus Marij, an. vr. 651. Intelligitur autem Catulus secundus. Nam vnus finem imposuit primo bello Punico. Secundus de Cimbris triumphauit cum Mario. Tertius M. Lepidum coercuit. *Statim Luculli*] L. Lucullus cos. cum M. Cotta de Mithridate triumphauit. M. Lucullus cos. cum Cassio de Macedonia triumphum egit. *Q. Metello illi Numidico*] Ita appellato a Numidia deuicta. *Et eius Pio filio*] Qui bellauit vna cum Pompeio contra Sertoriũ. *A M. Æmilio*] Scauro, cuius grauitas, auctoritas, orationes laudantur. *Cum Q. Catulo & patre, & filio*] Nempe patre, qui fuit cos. an. vr. 651. & de Cimbris triumphauit: & filio, qui fuit cos. an. vr. 675. & Lepido collegæ restitit. *A L. Crasso*] Eloquentium iurisperitissimo. *Lucullus vero*]

De quibus supra. *Et Drusos, & Octauios*] Homines nobilissimos. *Et Catonem*] Patrem Vticensis. *Et totam Hortensiorum domum*] Ex qua Hortensius, vir eloquentissimus. *Interim satis longo interuallo*] Quarta pars narrationis. *Cum esset cum L. Lucullo in Ciliciam profectus*] An. vr. 679. *Et cum ex ea prouincia cum eodem Lucullo decederet*] An. vr. 686. *Venit Heracleam*] De tempore, quo Archias factus est ciuis Heracleæ, supra est dubitatum. *Data est ciuitas*] Quinta pars narrationis. *Syluani lege*] Lata a M. Plautio Syluano Tribuno pl. an. vr. 664. in consulatu Pompeij Strabonis patris Cn. Pompeij. auctor Asc. pro Cor. *Si qui fœderatis*] Tres conditiones legis.

XI.

IN PRIMAM PARTEM FIDEI, QVÆ REFVTAT ARGVMENTA GRACchi aduersarij.

Heraclea ne esse eum adscriptum negabis? Adest Vir] A testimonio L. Luculli, & Heracliensium legatorum. *At domicilium Romæ non habuit, qui tot annis ante ciuitatem datam*] Venit Romam Archias an. Vr. 651. & data est ciuitas fœderatis ciuitatibus an. 664. *At non est professus. immo Vero*] A testimonio tabularum Metell. Prætoris. *Etenim cum mediocribus multis*] A minori, quod si mediocres multi, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditi gratuito ciuitatem in Græcia sunt consecuti: multo magis Archias summa ingenij præditus gloria est consecutus. *Quid? cum ceteri*] A maiori, quod si non reiecti sunt illi, qui aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserunt: multo minus Archias, qui nec vtitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracliensem esse voluit, erat reiiciendus. *Non modo post ciuitatem datam*] Lege Syluani. *Sed etiam post legem Papiam*] De iis, qui furtim se pro ciuibus gessissent. *Est enim obscurum proximis censoribus*] Intermissi sunt censores post annum Vr. 667. Facti sunt censores Cn. Lentulus, & L. Gellius an. 683. qui asperam censuram egerunt quatuor, & sexaginta senatu motis. quo tempore Archias erat cum clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum; vt non potuerit censeri. Ante vero, id est, an. 667. fuerunt censores L. Marcius Philippus,

lippus, & M. Perperna: tuncque Archias fuit cum eodem L. Lucullo Quæstore in Asia; vt ne potuerit quidem censeri. An. 664. fuerunt censores P. Licinius Crassus, & L. Iulius Cæsar; nullaque populi pars censa est. Itaque ne Archias quidem. *Et testamentum sæpe fecit*] Signa Romani ciuis.

IN ALTERAM PARTEM FIDEI, QVÆ LAVDAT ARCHIAM, ET TRANSFERT orationem ab hypothesi ad thesim.

Q*Væretis a nobis Gracche*] Prima pars confirmationis assumptæ ad Archiam collaudandum argumentatur a primo fonte argumentandi in genere demonstratiuo, & ab honesto, quod definitur ab Aristotele, vt sit illud, quod, cum bonum sit, iucundum est, quia bonum. *Quia suppeditat nobis*] Probat consuetudinem Archiæ poetæ esse Ciceroni bonam, & iucundam. *Ego vero fateor*] A secundo fonte, & ab assumpto fine generis deliberatiui, nempe ab vtili, quod studia litterarum aut exercentur sine communi fructu, & debent afferre pudorem: aut cum communi fructu, & non debent afferre pudorem, vt exercebantur a Cicerone. *Quare quis tandem me reprehendat? aut quis mihi iure succenseat?*] Etiam a secundo fonte, & ab assumpto fine generis iudicialis, nimirum a iusto, quod nihil iniusti agat. *Intempestiuis conuiuiis*] Explico, in longum tempus productis. Alij legunt, Intempestiuis. *Atque hoc adeo mihi concedendum est magis*] A tertio fonte, & a magno, amplificans bona, quæ a studiis litterarum proficiscuntur: & a quarto fonte, nimirum a loco Topico effectorum, enumerans ea, quæ efficiuntur a studiis ipsis. Nam adiuuant oratorem, & orationem: persuadent laudem, & honestatem, hortanturque ad fortitudinem, & ad Remp. conseruandam: illustrant antiquitatis memoriam: proponunt exempla ad imitandum insignia: perficiunt naturam: vbi quæritur, quod plus possit, naturane, an ars. &, cum scribat Horatius;

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. Ego nec studium sine diuite vena;

Nec rude quid prosit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice:

Cicero tradit plus valere naturam sine arte, quam artem sine natura. Quidam vero recentiores putant plus valere artem, quam naturam. Nam Horatius hanc quæstionem spectat secundum id, quod perfectum sit; qua ratione nihil valet natura sine arte: nihil ars sine natura. Cicero vero secundum id, quod minus indiget altero; qua inspectione plus valet natura sine arte, quam ars sine natura. At illi recentiores, secundum id, quod potest perfectius in homine reperiri; qua consideratione plus valet ars, quam natura, cum omnia præcepta artis possint esse in aliquo homine; non sic omnia dona naturalia. Ex natura autem eximia, atque illustri, & arte egregia, atque excellenti colligit Cicero illud nescio quid præclarum, ac singulare solere existere; idque probat exemplis. *Quod si non hic tantus fructus*] Etiam a tertio fonte, & a magno, amplificans iucunditatem, quæ ex litterarum studiis percipitur: & a quarto fonte, atque ab eodem loco rerum effectarum, exponens ea, quæ litteræ efficiunt, seu litterarum studia, vbi comparatur talis delectatio cum ceteris delectationibus atque illis præfertur.

Quod si ipsi hac neque attingere] Secunda pars confirmationis, & argumentum ductum a genere, quod omnes litterati sunt amore, & admiratione digni. Ergo etiam Archias. *Quis nostrum tam animo agresti*] A minore; Si Roscius propter corporis motum tam amandus, & admirandus erat: quanto magis Archias propter animi incredibilem motum, celeritatemque ingenij? *Quoties ego hunc Archiam*] A tribus effectibus Archiæ. *Atqui sic a summis hominibus*] A differentia. *Quare suo iure*] A testimonio Ennij. *Saxa, & solitudines*] A minori. *Homerum Colophonij*] Etiam a minori. Noti autem sunt illi versus de septem vrbibus, quæ Homerum ciuem esse suum dixerunt;

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, χίος, ἄργος, ἀθῆναι.

Ex primo librorum Varronis, qui inscripti erant Hebdomades, vel de imaginibus, apud Gellium lib.3. cap.11.

Præsertim cum omne olim studium] Tertia pars confirmationis,

mationis, & argumentum ab antecedenti ad consequens, quod, si illis fauere debemus, qui laudes nostras celebrarunt, Archias Romanis erat complectendus. At illis fauere debemus, quod probatur exemplo Marij, & Themistoclis: Ergo Archias Romanis erat complectendus, qui scripsit res Cimbricas, & Mithridaticas. Marius deleuit Cimbros, cedens centum quadraginta eorum millia, capiensq; sexaginta millia in Venetia ad Athesim: qui ab extremis Galliæ profugi, cum terras eorum inundasset Oceanus, existimati sunt Germani, quod lingua Germanorum antiqua Cimbri sint prædones. Flori verba sunt; Mithridates per triginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeij consumeretur. *Charus fuit Africano*] Ab exemplo, quod charus fuit Africano Ennius: sic Archias debebat esse aliis Romanis. *At iis laudibus*] Probatur laudes singulorum Romanorum pertinere communiter ad laudem populi Rom. exemplo Scipionis, Catonis, Maximorum, Marcellorum, Fuluiorum. *Ergo illum, qui hæc fecerat Rudium hominem*] A minori, quod si receptus est alienus, multo magis proprius erat recipiendus. Notum autem est, Ennium fuisse Calabrum Rudiis natum. *Nam si quis minorem gloriæ fructum*] Non minus amandus erat Archias poeta Græcus, quam Ennius poeta latinus; immo vero magis. quod probatur a causa maioris gloriæ, vt tunc erat lingua Græca comparata cum Latina: quemadmodum nunc est lingua Latina comparata cum ea, quam recentiores Etrusci sibi vendicant; dicant, quidquid velint, isti vulgares litteratores *Quam multos scriptores*] Ab exemplo Alexandri Magni, & Pompeij Magni.

Itaque credo, si ciuis Rom. Archias] Quarta pars confirmationis, vbi sic argumentum ducitur; Si ciuis non fuisset Archias, ab aliquo imperatore factus fuisset ciuis, vt a Sylla, & a Q. Metello. idq; propter studium laudis, quod est in omnibus; vt probatur exemplo philosophorum, qui scripserunt de contemnenda gloria, D. Bruti, Fuluij, Ciceronis ipsius, qui Archiam hortatus est ad perficiendum eius opus de consulatu suo; primum quia omnis virtus laudem desiderat: deinde quia parui animi est putare simul

cum corpore omnia interitura, & non cogitare de gloria, atque immortalitate nominis: præterea, quia si curamus statuas, multo magis poetarum versus debemus curare: postremo quia spes memoriæ sempiternæ animum delectat. *Sylla, cum Hispanos, & Gallos*] A minori, quod Sylla donauit ciuitate Hispanos, & Gallos, & donauit præmio indignum poetam: ergo multo magis donasset Archiam. *Quem nos in concione vidimus*] Vera gloria, & laus illa est, quæ a gloriosis, & laudatis viris proficiscitur, non a parum laudatis. Ciceronis verba sunt ad Luceium lib. 5. Fam. Alexander ille ab Apelle potissimum pingi, & a Lysippo fingi volebat, quod illorum artem cum ipsis, tum etiam sibi gloriæ fore putabat. & ad Catonem lib. 15. Lætus sum laudari me, inquit Hector apud Næuium, abs te pater, laudato viro: ea est enim profecto iucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui in laude vixerunt. Quare probandus est Sylla: non sic probandus Q. Metellus Pius. *Quid? a Q. Metello Pio*] Metellus multos donauit ciuitate, delectatus poetis, etiam Cordulæ natis: ergo multo magis donasset Archiam. Cordula autem fuit vrbs Hispaniæ, patria Lucani, & Senecæ, in qua prioribus illis temporibus fuerunt mali poetæ. Sic Patauinitas notata est in Liuio apud Quinctilianum: & Hispanitas in Quinctiliano apud Philelphum. *Neque enim est hoc dissimulandum*] Probatur sententia, & exemplis, quanta sit vis in gloriæ cupiditate. *Illi ipsi philosophi*] A minori; Si requirunt gloriã qui scribunt de contemnenda gloria: quanto magis alij debent requirere? *D. quidem Brutus*] Qui triumphauit de Lusitanis. *Bellauit Fuluius*] Qui triumphauit de Ætolis. *Atque vt id libentius faciatis*] Fatetur Cicero se valde amare gloriam. *Nulla enim virtus*] Prima ratio. *Certe si nihil animus*] Altera ratio. *An, cum statuas*] Tertia ratio. *Hæc vero siue a meo sensu*] Quarta ratio.

XII.

IN PERORATIONEM.


QVare conseruati iudices] Sæpe notatum est, quatuor esse munera perorationis, renouare memoriam: mouere affectum: amplificare: bene constituere auditorem erga oratorem. Quare Cicero in hac peroratione renouat memo-

memoriam narrationis. *Causa vero eiusmodi*] Renouat memoriam confutationis. *Quae cum ita sint*] Renouat memoriam confirmationis; & simul cum renouatione memoriae mouet amorem in Archiam a proprietatibus eius, a causa, a meritis, seu beneficiis: & amplificat eiusdem excellentiam. *Qua de causa*] Bene constituit, in se auditores.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIUS VIGESIMUS PRIMUS IN ORATIONEM CICERONIS PRO LEGE MANILIA.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



E re ipsa tenere debemus negotium, & insita in negotio, circa quod versatur oratio. Ac negotium quidem continet causas belli Mithridatici, progressum eiusdem, & occasionem huius orationis. Quod attinet ad causas, Mithridates, qui Ponti Rex erat, atq; Armeniam Minorem, totumq; Ponticum mare tenebat, primo Nicomedem amicum populi Rom. Bithynia voluit expellere. Inde iratus Romanis Nicomedem defendere volentibus ex Cappadocia Ariobarzanem Regem, amicum populi Rom. fugauit. Mox ex Bithynia, & Paphlagonia Nicomedem, & Pylemenem expulit: postea Ephesum contendit, & per vniuersam Asiam literas misit, vt, vbicunq; inuenti essent ciues Rom. vno die occiderentur. Haec Eutropius. Ea literarum significatione necata esse centum quinquaginta millia ciuium, testatur Appianus. Quod attinet ad progressum talis belli, Romani per triginta annos Mithridati restiterunt, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Syllae, virtute Luculli, magni-

tudine Pompeij consumeretur: vt scriptum reliquit Florus. Nam L. Sylla ex Prætura in Cappadociam aduersus Mithridatem missus, Ariobarzanem Regem constituit. Inde ex consulatu ad bellum Mithridaticum profectus, ad bellum ciuile festinans, pacem cum Mithridate fecit ita, vt is cederet prouincia Asia, Bithynia, Cappadocia, quorum L. Licinius Murena bellum quidem renouauit, sed a Sylla reuocatus est. Post Syllam vero missus est L. Lucullus contra Mithridatem, quod ineunte vere in Paphlagoniam, deinde in Bithyniam impetum fecisset. in quo bello Lucullus præclare se gessit ita, vt Mithridates ex ponto fugerit in Armeniam ad Tigranem Regem, qui tamen postea se in regnum suum recepit. Quod attinet ad occasionem huius orationis, cum per septem annos Lucullus id bellum gessisset, eiq; successisset M. Glabrio, qui oneri suscepto impar existimabatur, C. Manilius Tribunus pl. vt gratiam colligeret Pompeij, qui ad bellum Piraticum profectus erat, legem promulgauit vt Cn. Pompeio Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia minor, præterea omnis ad bellum Piraticum apparatus, omnes, quæ sub Lucullo meruerant, copiæ, & bellum contra Mithridatem, & Tigranem Reges committeretur. Cui rei fauit Cæsar, vt populum ad extraordinaria sibi quoque mandanda imperia postea promptiorem haberet: & fauit Cicero, vt omnes intelligerent, cui se adiunxisset, maximũ se momentum ei parti afferre. auctor Dio. Itaq; hanc legem suasit in Prætura an. vr. 687. cum Q. Hortensius, & Q. Catulus, viri consulares, dissuaderent. Pompeius autem per hanc legem, & orationem imperio accepto vicit Mithridatem, coactum tandem sibi veneno mortem consciscere, armis a Pharnace filio illatis: confecitq; bellum an. vr. 690. consule Cicerone, cum cœptum esset circiter an. 660. Insita autem in negotio de bello sunt quatuor, tum potentia ciuitatis, qualis, & quanta sit: tum bella propria: tum similitudo, vel dissimilitudo potentiæ: tum bella aliena; vt tradidit Arist. lib. 1. cap. 4. Iam tenebat Cicero potentiam ciuitatis, quæ non poterat esse magna sub Glabrione, cæsis septem millibus sub Triario, & dimissis veteranis omnibus a Lucullo: Sed poterat esse magna sub Pompeio, qui in illis

locis

locis habebat exercitum, & ab iis, qui haberent, accipere statim poterat. Tenebat bella propria Romanorum gesta pro sociis, cum Antiocho pro populis Thraciæ, & Græciæ: cum Philippo pro Atheniensibus: cum Ætolis etiam pro populis Thraciæ, & Græcis: cum Pœnis primum pro Mamertinis: alterum pro Saguntinis: tertium pro Massanissa Rege Numidiæ. Tenebat dissimilitudinem potentiæ sub Glabrione nouo Imperatore Rom. & duce noui exercitus, vetere expulso exercitu: & sub Pompeio, antiquo Imperatore, cui vetus exercitus pareret. Tenebat bella aliena Atheniensium, Carthaginiensium, Rhodiorum, a quorum exemplo duci argumentum poterat, sua ipsorum loca esse Romanis tutanda.

II.

GENVS CAVSÆ.

Tractatur quæstio deliberatiua ratione finis; An Pompeius bello Mithridatico præficiendus esse videatur: & iudicialis, atq; demonstratiua ratione eorum, quæ sunt ad finem, dum criminatio affertur Mithridati, & Tigrani, & laudatur Pompeius. Ac patet quidem esse genus deliberatiuum ex quatuor proprietatibus generis deliberatiui. Nam auditor est concio Quiritum: partes suasio Ciceronis, dissuasio Hortensij, & Catuli: tempus futurum de præficiendo Pompeio: finis vtile, si fiat Imperator Pompeius contra Mithridatem, & perniciosum, nisi fiat. Est vero etiam genus iudiciale in narratione de iniuriis illatis populo Rom. a Mithridate, & Tigrane: & demonstratiuum in parte confirmationis de laudibus Pompeij.

III.

STATVS.

Constitutio, seu status in hac oratione duplex est; vnus præcipuus: alter seruiens. nam præcipuus status est negotialis; An oporteat præficere Pompeium bello Mithridatico. Intentio Hortensij, & Catuli erat; Non oportet præficere. Depulsio Ciceronis erat; Oportet præficere. Quæstio; Vtrum oporteat præficere nec ne. Ratio Ciceronis erat, quod tale, & tantum est bellum Mithridaticum, vt ei præficiendus sit Pompeius, in quo insunt illa omnia, quæ in summo Imperatore inesse debent. Firmamentum

Hortensij erat, quod omnia vni tribuenda non sunt: & Catuli, quod parcendum est vitæ Pompeij: & quod nihil est faciendum contra exempla maiorum. Contra quæ firmamenta contendebat Cicero, quandoq; omnia vni tribuenda esse, vt factum fuerat in bello Piratico: & vita hominis breui, & incerta fruendum esse: & aliquid faciendum esse contra exempla maiorum, vt multa noua sunt constituta in ipso Pompeio vel ab ipso Catulo. Itaq; oriebatur illa iudicatio; Vtrum munus belli Mithridatici deferendum esset Pompeio, quamuis ipse tunc ex publico decreto bellum Piraticum administraret; & sic vtrum vni plura onera tribuenda essent: præterea, Vtrum vitæ Pompeij parcendum esset: Vtrum aliquid faciendum esset contra exempla maiorum. Status vero seruiens est tum iuridicialis de facto iniusto Mithridatis, qui Bithyniæ vicos exusserat complures, & regnum Ariobarzanis occupauerat, ac multa ciuium Romanorum millia vna literarum significatione necauerat, tum definitiuus, seu nominis, de honestate, & vtilitate, qualem statum Cicero in Topicis appellat nominis, & Aristoteles diuersum facit a statu qualitatis de iusto, & iniusto. Quærebatur enim de honestate; An in bello Mithridatico ageretur gloria populi Rom. & de vtilitate; An ageretur etiam salus sociorum, vectigalia populi Rom. bona multorum ciuium: tum quantitatis de magnitudine belli, de magnitudine laudum Pompeij.

IIII.

ARGVMENTA.

PRima ratio parandorum argumentorum est a proprio fine eius generis, in quo oratio habetur, vt in hac causa ab vtili, & bono, qui est proprius finis generis deliberatiui: πείθονται γὰρ ἅπαντες, inquit Aristoteles, τῷ συμφέροντι: συμφέρει γὰρ δὲ τὸ σῶζον τὴν πόλιν. nam omnibus persuadetur eo ipso, quod vtile est: vtile vero est, quod conseruat ciuitatem. Ac videtur quidem ciuitas conseruari, cum eius gloria, eius amici, eius vectigalia, eius partes conseruantur: cum in magnis difficultatibus, & periculis a præstantissimis viris gubernatur. Quæ omnia in hac oratione diligentissime pertractantur. Cumque omnis deliberatio ducatur ex iis, quæ referuntur ad felicitatem, vel ad partem aliquam

quam felicitatis, & inter partes felicitatis enumeretur gloria, amicitia, diuitiæ tum publicæ, tum priuatæ; ostenditur in hoc bello agi gloriam populi Rom. salutem sociorum, & amicorum, vectigalia Asiæ, quæ pertinent ad diuitias publicas, bona multorum ciuium, quæ pertinent ad diuitias priuatas. Et, quoniam propositiones, quæ probant aliquid esse vtile, vel bonum, partim sunt bonorum confessorum, partim controuersorum, partim comparatorum; inter primas illa est, vt bonum sit, propter quod eligimus aliud, cuiusmodi est gloria, & laus, cuius Romani semper appetentes præter ceteras gentes, atque auidi fuerunt, ita vt propter eum maxima bella gesserint: cuiusmodi est salus sociorum, pro qua cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis dimicarunt: cuiusmodi sunt vectigalia, quæ non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis sunt defendenda, vt propter eorum defensionem omne bellum suscipiendum esse videatur: cuiusmodi denique bona multorum ciuium, quorum calamitas a Rep. coniuncta esse non potest, vt Reip. intersit ea protegere, atque defendere. Inter secundas prima est, vt illud sit bonum, cui contrarium est malum. Vt bellum non gerere in Mithridatem, & Tigranem obest gloriæ populi Rom. obest saluti sociorum, obest vectigalibus, obest bonis multorum ciuium: ergo bellum gerere in illos prodest. Inter tertias illa est, vt maius bonum sit, quod ad multa vtilius est. Vt existimata sunt bona, & vtilia bella gesta propter vnam salutem sociorum: ergo multo melius, & vtilius existimandum est bellum Mithridaticum, quod non solum pertinet ad salutem sociorum, sed etiam ad gloriam populi Rom. ad vectigalia, ad bona multorum ciuium. Secunda ratio parandorum argumentorum est ab assumptis, quæ ducuntur a finibus aliorum generum, si assumi posse videantur; Vt in hac oratione argumentum ducitur a iusto, qui est finis generis iudicialis; quod iustum sit vlcisci Mithridatem, qui magnas iniurias intulerat populo Romano; & ab honesto, qui est finis generis demonstratiui; quod in hoc bello agatur gloria populi Rom. Tertia ratio parandorum argumentorum est a propositionibus communibus, in quibus sunt illæ, quæ probant ali-

quid esse magnum, vel paruum; a quibus argumentum ducitur, quod bellum Mithridaticum nō sit ita magnum, vt sit pertimescendum: sed sit ita magnum, vt necessario gerendum sit: paruum enim est, quod extimescendum non est. Et magnum est, quod necessario gerendum est. Nam, tametsi genus deliberatiuum non est de rebus necessariis simpliciter, quæ fieri non potest, vt non sint, quemadmodum scriptum reliquit Arist. lib. 1. Rhet. cap. 4. est tamen de necessariis, quæ cum vtilibus conuertuntur. Iam vero, argumento ducto a paruo, diminuitur bellum Mithridaticum in laudibus L. Luculli, qui Mithridatem ex regno patrio, & auito in regnum Tigranis fugauit. Et, a magno, amplificatur idem bellum, quod, cum Mithridates se receperit in regnum suum, huiusmodi bellum ab ipso, & a Tigrane Regibus potentissimis coniungatur, ab agitatis nationibus renouetur, ab integris gentibus suscipiatur, a nouo Imperatore accipiatur, veteri expulso exercitu; vnde colligitur bellum esse ita necessarium, vt sit gerendum, & magno Imperatori committendum. Quoniam vero traditur, ex propositionibus communibus illas, quæ probant aliquid esse possibile, vel impossibile, & futurum, vel non futurum, generi deliberatiuo magis conuenire; illa propositio eius, quod fieri potest, seruire huic causæ poterat; Quod fieri potest a deterioribus, etiam fieri potest a melioribus. Mithridates vinci potuit a Sylla & a Murena, etiamsi ab illis magis insignia victoriæ, quam victoria sit reportata, & a Lucullo, qui eum spoliatum regno patrio, atque auito ad alios se Reges, atque alias gentes conferre supplicem coegit: ergo multo magis vinci poterit a Pompeio, qui non modo eorū hominum, qui tunc erant, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superauit. Et illa eius, quod futurum est; Quod est in potestate, & voluntate, erit. At in potestate, & voluntate Romanorum erat, vt bello Mithridatico Imperatorem præficerent, in quo esset eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: ergo præfecturi erant. Potestas autem talem præficiendi habebatur propter vnum Pompeium, de quo facilis erat deliberatio, cum maxima esset inopia virorum fortium, atque innocentium,

qui

qui tantis rebus, & tanto bello præficiendi putarentur. Quarta ratio parandorum argumentorum eſt a locis Topicis. Quamobrem de Imperatore deligendo argumentatur Cicero ab enumeratione earum rerum, quas in ſummo Imperatore ineſſe oportet, & ab effectibus inſignibus Pompeij, probans in Pompeio ineſſe tum ſcientiam rei militaris, tum multiplicem virtutem, tum auctoritatem, tum felicitatem. Quoniam vero argumentabatur Hortenſius, Pompeio bellum Mithridaticum mandandum nõ eſſe, quod omnia vni tribuenda non eſſent; Cicero probat contrarium a ſimili, quod omnia vni Pompeio in bello Piratico mandata ſint. Et, quia argumentabatur Catulus, Pompeium bello Mithridatico præficiendum non eſſe, quod in eo tota eſſet ſpes ciuitatis, ita vt is periculis ſubiici non deberet; Cicero contra ab adiunctis argumentatur, cum vita hominis breuis ſit, & incerta, ea, dum adeſt, fruendum eſſe. Et, quia idem argumentabatur, Pompeio bellum Mithridaticum committendum non eſſe, quod nihil noui fieri opoſteret contra exempla, atque inſtituta maiorum; Cicero contra argumentatur a ſimili, aliquid noui contra exempla maiorum, atq; inſtituta fieri licere, quemadmodum factum fuerat in perſona eiuſdem Pompeij, ſic ipſo Catulo conſtituente.

V.

MORES.

CVm mores ſpectentur partim in oratore, partim in auditore, & in perſona oratoris ſit exprimenda tum prudentia, tum probitas, tum beneuolentia; in perſona vero auditoris quatuor morum genera conſiderentur, ad quos oratio accommodanda eſt, ex affectibus, ex habitibus, ex ætatibus, ex proſpera, aduerſave fortuna; exprimit Cicero prudentiam multis modis, vt cum dicit; Hoc aditu laudis qui ſemper optimo cuiq; maxime patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt. & cum excuſat Syllam, & Murenã in hunc modum; Verum tamen illis Imperatoribus laus eſt tribuenda, quod egerunt: venia danda, quod reliquerunt; propterea quod ab eo bello Syllam in Italiam, Reſp. Murenam Sylla reuocauit. & cum reticet nomen eorum, quos vitu-

perat, sic; Eiusmodi in prouinciam homines cum imperio misimus, vt etiam si ab hoste defendant, tamen ipsorum aduentus in vrbes sociorum, non multum ab hostili expugnatione differant. &; Vestra admurmuratio facit, Quirites, vt agnoscere videamini, qui hæc fecerint: ego autem neminem nomino. Quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri, & cum vtitur pulcherrimis sententiis, qualis illa est; Ceteris in rebus cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non solum aduentus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. & illa; Non possunt vna in ciuitate multi rem, atque fortunas amittere, vt non plures secum in eandem calamitatem trahant. & illa; Hoc iam fere sic fieri solere accepimus, vt regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt, aut viuunt in regno, quod regale iis nomen magnum, & sanctum esse videatur. &; Ego sic existimo in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem &; Neque potest exercitum is continere Imperator, qui se ipsum non continet, neque seuerum esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non vult, & aliæ eiusmodi. Exprimit probitatem, cum dicit; Meus labor in priuatorum periculis caste, integreque versatus ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus: & cum laudat virtutes Pompeij. Exprimit beneuolentiam, dum ostendit se magnifacere auditores, eorumque laudes celebrat. Mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites. Cum autem per ætatem nondum huius auctoritatem loci cōtingere auderem; statueremque nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere. Certe & siquid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse censuerunt. Quorum vobis pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Erit igitur humanitatis vestræ magnum eorum ciuium numerum calamitate prohibere: sapientiæ, videre, multorum ciuium calamitatem a Rep. seiunctam esse

esse non posse. Sed satis sit nonnulla indicasse: omnia enim comprehendi nec possunt, nec debent. Quod vero attinet ad alteram partem moratæ orationis, accommodat Cicero orationem suam ad mores prosperæ fortunæ, vt ad mores potentium, qui solent esse honoris studiosiores. & idcircò ratiocinatur, Romanis delendam esse maculam Mithridatico bello susceptam, quæ penitus iam insederat, atque inueterauerat in populi Rom. nomine. & ad mores optimæ Reip. quæ propositam habet honestatem cum vtilitate coniunctam, qualis extitisse Resp. Rom. videri potest temporibus Pompeij, qui in primo consulatu gesto cum M. Crasso an. Vr. 683 antiqua Tribunorum potestate, ac dignitate restituta, & plebe ad iudicia cum senatoribus, ac equitibus lege Aurelia aduocata, optimę Reip. temperamentum, quantum potuit, quæsiuit.

VI.

AFFECTVS.

CVm duo sint affectus præcipui, qui solent in genere deliberatiuo commoueri, metus, & fidentia; mouetur metus in principio narrationis; Bellum graue, & periculosum vestris vectigalibus, atq; sociis a duobus potentissimis Regibus infertur Mithridate, & Tigrane. & in cōfirmatione de genere belli; Ita regnat, vt se non Ponto, neq; Cappadociæ latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno, atq; in nostris vectigalibus, hoc est in Asiæ luce versari. &, Ciuitates omnes, cuncta Asia, atq; Græcia vestrum auxilium expectare propter periculi magnitudinem coguntur. & de magnitudine belli; Coniectura prospicitis, quantum illud bellum factum putetis, quod coniungant Reges potentissimi, renouent agitatæ nationes, suscipiant integræ gentes, nouus Imperator vester accipiat, vetere expulso exercitu. Mouetur etiam fidentia a præstātia Pompeij, de qua illud concluditur in ea parte confirmationis, quæ est de Imperatore deligendo; Cum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna; dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus oblatum, & datum est, in Remp. conseruandam, atque amplificandam conferatis? Cum autem inter affectus

pudor quoq; huic generi seruiat, is mouetur in prima parte confirmationis sic; Delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore suscepta, quæ penitus iam insedit, atq; inueterauit in populi Rom. nomine. &, Videte, ne, vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperij gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri, & conseruare non posse.

VII.

ELOCVTIO.

IN parte deliberatiua huius orationis elocutio est attenuata ratione verborum, & grauis ratione sentētiarum, qualem esse oportere tradidit Arist. lib.3. Rhet. cap.12. In parte autem demonstratiua est mediocris, de qua ita scriptum reliquit Cic. lib.3. de orat. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus.

VIII.

DISPOSITIO.

IN hac oratione hæ partes sunt collocatæ, primo loco procemium: secundo propositio continens narrationem, atq; partitionem: tertio fides, id est, confirmatio, & refutatio; & quidem confirmatio triplex, de genere belli, de magnitudine belli, de Imperatore deligendo; & refutatio triplex, vna quæ ostendit contra Hortensium, quandoq; omnia vni tribuenda esse; altera, quæ probat contra Catulum, fruendum esse vita Pompeij, dum licet; tertia, quæ demonstrat contra eundem Catulum, aliquid esse faciendum contra exempla maiorum: quarto locô peroratio.

IX.

IN PROOEMIVM ORATIONIS PRO LEGE MANILIA.

CVm quinq; sint loci procemiorum deliberatiuorum, poterat exordiri Cicero ab obiectione criminis, quod Hortensius, & Catulus, qui legem Maniliam dissuadebāt, vtilitatem, & commodum publicum parum spectare viderentur: vel a depulsione criminis, quod ipse exempla, atq; instituta maiorum non sperneret, sed bonum publicum intueretur: vel ab amplificatione belli Mithridatici grauis, & periculosi: vel a diminutione numeri eorum, qui possent tantum

tantum bellum administrare. Placuit tamen a quinto loco exordiri, & duo dicere ornatus causa; primum cur antea ad populum non habuerit orationem: deinde, cur sibi lætandū esse arbitretur. *Nam cum antea per ætatē*] Ortus est Cicero an. vr. 647. & fuit prætor an. 687. quo tempore habuit hanc orationem. Itaq; tunc natus erat annos quadraginta. *Propter dilationem Comitiorum*] Prætores creabantur Comitiis centuriatis, & comitia Prætoria fiebant paullo post consularia mense Iulio, vel Augusto.

X.

IN NARRATIONEM, ET PARTITIONEM.

ATque *vt inde oratio mea proficiscatur*] Negat Aristoteles, vt alibi notauimus, narrationem generi deliberatiuo conuenire, quatenus existit deliberatio: sed a deliberatione non excludit, ab alio genere assumptam, vt rerum præteritarum recordati melius deliberent de futuris aut criminando, aut laudādo. Cuiusmodi est hæc ipsa narratio, in qua exponitur occasio belli, vnde hæc ducitur deliberatio. Itaq; narratur, bellum inferri a Mithridate relicto, & Tigrane lacessito: equitibusq; Rom. quatuor perscripta esse ex Asia; primum Bithyniæ vicos exustos esse complures: deinde regnum Ariobarzānis totum esse in hostium potestate: tum Lucullum ab eo bello discedere: postremo vnum a sociis, & ciuibus Imperatorē expeti, vnum ab hostibus metui. Breuissima autem est narratio, & non solum valde perspicua, verum etiam probabilis, in qua cum cetera sunt probabilia, tum illud, quod Cicero scire potuerit ea, quæ ex Asia ad equites Rom. scripta fuerant, quippe cui esset cum ordine equestri magna necessitudo. Fit autē propositio trium capitum confirmationis, & partitio, quæ illustrem reddit, & perspicuam orationem, dum proponitur dicendum, quale sit, & quantum, & a quo Imperatore gerendum sit bellum... *Alter relictus, alter lacessitus*] Cum Mithridates in exercitum Rom. cui præerat Triarius, impetum fecisset, ex qua supra septem millia Romanorum cæsa sunt; Lucullus, qui aduenerat, Mithridatem facile opprimere posse, si in eum perrexisset, videbatur: sed ab exercitu suo relictus nihil profecit. Legiones enim, quæ pri-

mum sub Valerio Flacco, post sub Flauio Fimbria meruerant, a P. Clodio solicitatæ, cum stipendia sua se confecisse dicerent, imperatorem sequi noluerunt, præsertim vero vbi Acilium Glabrionem cõsulem successorem Lucullum Roma missum adesse acceperunt. Lucullus, cum militum suorum seditione, tum quod ne a Mario quidem, qui Ciliciæ præerat, auxilium impetraret, valde anxius, Mithridate relicto, se in Tigranem conuertit, ratus, si eum imparatum, ac fessum ex via adortus vicisset, milites aliquanto quieturos, quod ne ei quidẽ processit. nam exercitus eum, quousq; in Cappadociam iter erat, secutus, nulla voce missa, conuersus reliquit. Interea Mithridates regnum suum recuperauit, & Cappadociam occupauit, ac Bithyniæ vicos multos exussit, an. vr. 686. Appianus autem, & Plutarchus narrant, an. ab V. C. 684. Lucullum in Tigranem Regem Armeniæ, a quo Mithridates exceptus fuerat, castra mouisse, ac primum Mitrobarzanem, Tigranis Præfectum, in fugam coniecisse, deinde cum ingentibus Tigranis copiis Pridie Non. Octobris acie conflixisse, atq; Regem prælio victum fudisse. *Equitibus Rom.*] Satis constat, equites Rom. exercuisse vectigalia: Ciceronemq; ortum esse equestri loco, id est, maiores habuisse equites. *Bithynia, quæ nunc vestra*] Bithynia relicta est a Nicomede Rege populo Rom. an. vr. 678. & postea in prouinciæ formam redacta. *Regnum Ariobarzanis*] Supra notauimus, Mithridatem, cum in Regnum suum se recepisset, Cappadociam, quod erat Regnum Ariobarzanis, occupasse. *Lucullũ magnis rebus*] An. vr. qui modo notatus est, 678. Lucullus pop. Rom. iussu, quod imperij diuturnitati (tunc enim erat septimus annus imperij Luculliani) modum statuendum veteri exemplo putauerunt, partem dimisit militum, qui iam confectis stipendiis erant, partem tradidit Glabrioni. *Vnum ab omnibus*] Cn. Pompeium. *Primum mihi videtur*] Partitio, seu propositio per partitionem.

XI.

IN PRIMAM PARTEM CONFIRMATIONIS PRO LEGE MANILIA.

G*Enus est enim eiusmodi*] Hæc confirmatio tres habet partes, vt apparet ex propositione. De genere autem belli,

belli, quæ est prima pars, quatuor proponuntur confirmanda, nempe in bello Mithridatico agi gloriam populi Romani: agi salutem sociorum, atque amicorum: agi certissima populi Rom. vectigalia, & maxima: agi bona multorum ciuium. Cumque tria sint instrumenta oratoria, tametsi exemplum est magis proprium generis deliberatiui, adhibentur tamen etiam in deliberationibus, enthymemata, & amplificationes. Itaque de gloria populi Rom. ponuntur duo enthymemata. Primum enthymema est; Mithridates, post maximam iniuriam occisorum ciuium Rom. in Asia, adhuc regnat, & facto fœdere cum L. Sylla non vetus bellum oblitus est, sed nouum comparauit: ergo agitur gloria popul. Rom. vt contra eum bellum suscipiatur. Alterum enthymema est ab exemplo; Pro Romani Imperij dignitate, atq; gloria maiores sæpe propter mercatores, & nauiculatores bella gesserunt; & Corinthum lumen Græciæ propter legatos superbius appellatos extinctum esse voluerunt: ergo multo magis contra Mithridatem gerendum est bellum, qui multa ciuium Rom. millia necanda mandauit, legatumque populi Rom. omni supplicio interfecit. De salute sociorum sunt alia duo enthymemata. Primum est; Ariobarzanes Rex Cappadociæ Regno expulsus est: Mithridates, & Tigranes imminent toti Asiæ: ciuitates omnes expectant auxilium; in tanto periculo Imperatorem certum deposcere non audent; cum præsertim alius sit missus; sed vnum expetunt Pompeium: ergo agitur salus sociorum. Alterum est; Maiores propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti multa bella gesserunt, vt probatur exemplo bellorum gestorũ cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis: ergo multo magis Romanos cõuenit iniuriis Mithridatis prouocatos sociorum salutem cum sua dignitate defendere. De vectigalibus est hoc enthymema; Ceterarum prouinciarum vectigalia vix sufficiunt ad eas prouincias tutandas: Asiæ vero vectigalia longe ceteris antecellunt: ergo, dum agitur de Asia defendenda, agitur de maximis vectigalibus Reip. Rom. Et alterum enthymema; Asia affert belli vtilitatem, & pacis dignitatem, cum maxima afferat vectigalia: ergo est defendenda. Amplificatur materia vectigalium, quod non

modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis sint defendenda. Et amplificatur magnitudo periculi, quod duo Reges immineant cum maximo periculo; quod vna excursio equitatus anni vectigal auferre possit; quod publicani familias maximas in magno periculo se habere arbitrentur. De bonis multorum ciuium primum enthymema est; In bello Asiatico agũtur bona ord nis equestris, ex quo erant publicani, & ordinis senatorij, ac plebeij, ex quibus homines partim negotiabantur in Asia, partim pecunias magnas in ea prouincia collatas habebant: ergo aguntur bona multorum ciuium. Alterum est; Cum in ordine equestri sint vectigalia, qui sunt nerui Reip. is ordo est firmamentum ceterorum ordinum, & multorum ciuium calamitas a Rep. seiuncta esse non potest: ergo his omnibus est consulendum. *Et quoniam semper appetentes*] Probatur agi gloriam populi Rom. *Vno nuncio, atq; vna literarum significatione*] Quo nuncio, & qua significatione centum, & quinquaginta millia ciuium sunt collisa intra tricesimum diem, vt scriptum reliquit Appianus. Quare illud; Vna die, debet intelligi; Vno tempore: vel debet existimari oratorie dictum ad amplificandum. *Triumphauit L. Sylla*] An. Vr. 672. *Triumphauit L. Murena*] An. 673. *Syllam in Italiam Resp.*] An. 669. Sylla, cum ad bellum ciuile festinaret, pacem cum Mithridate fecit ita, vt Mithridates cederet prouincia Asia, Bithynia, Cappadocia, vt scriptum est in Epitomis. *Murenam Sylla reuocauit*] An. 672. indignum ratus, Mithridatem contra fœdus vexari. *Bosporanis*] Narrat Appianus, Bosporanos, ac Colchos a Rege Mithridate alienatos filium eius sibi Regem depoposcisse: Mithridatem autem occiso filio exercitum, classemque aduersus Bosporanos comparasse: Murenam vero suspicatum, ne Rex in Bosporanos verbo, re autem aduersus Romanos instrueret, exercitu statim ad oppidum maximum nomine Cumana ducto in quosdam eius equites impetum fecisse; atq; legatis Regiis fœdus Syllæ ostendentibus reiectis, regione vastata, sacrisque pecuniis direptis in Cappadociam in hyberna se recepisse, an. Vr. 671. *Vsque in Hispaniam legatos, & litteras misit*] Narrat idem Appianus, L. Mengium, & L. Fannium, qui transfugæ facti a Maria-

a Mariano exercitu apud Mithridatem agebant, ab eodem Rege ad Sertorium missos esse, de paciscenda cum eo aduersus Romanos belli societate. Sertorium pactum M. Marium ad Regem, vt eo belli duce vteretur, misisse: Mithridatem tota æstate, atque insequente hyeme in copijs contrahendis, & classe ædificanda consumptis, ineunte vere in Paphlagoniam, deinde in Bithyniam impetum fecisse, an. 678. & 679. *Sed tamen alterius partis*] Memoriæ proditum est, contra Sertorium bellum cœptum esse an. 673. qui cum Scipionis, & Norbani consulum Marianæ factionis partes accisas, ac profligatas in Italia a Sylla sensisset, in Hispaniam, quam iam ante prouinciam prætor obtinuerat, summa in prætoribus Syllanis repulsis concesserat: contra eum missum esse Q. Metellum consulem, & L. Domitium Prætorem: oppressum esse Domitiũ cum exercitu ab Herculeio Sertorij duce: Metello additum esse Cn. Pompeium: Sertorium post multas pugnas a M. Antonio, & M. Perperna, & aliis coniuratis in conuiuio interfectum esse octauo ducatus sui anno, id est, an. 680. Perpernam necatum esse an. 681. Hispanias a Cn. Pompeio receptas esse decimo post bellum susceptum anno, id est, an. 682. Metellum, & Pompeium ex Hispaniis eodem anno triumphasse. *In altera parte ita res a Lucullo*] Bellauit Lucullus, vt scriptum reliquit Velleius, contra Mithridatem septem annos, scilicet ab an. 680. quo ipse fuit consul cum Cassio, vsque ad an. quo relictus est a legionibus exercitus sui, vt supra quoque notatum est. Triumphauit de Mithridate an 690. consule Cicerone. *Sed pro Vestri Imperij dignitate*] Cum enthymemata ducantur a quatuor rebus, a verisimili, a tecmerio, a signo, ab exemplo, vt docuit Arist. prope finem libri secundi; hoc ductum est ab exemplo maiorum. *Maiores nostri*] A minori ad maius. *Bella gesserunt*] Vt Per M. Antonium Prætorem, qui in Ciliciam maritimos prædones est persecutus a Byzantiis adiutus, atque de iis ouauit an. 651. & per P. Seruilium, qui superauit piratas Cilices, eorumque vrbes Phaselim, & Olympum, Isaurumque ipsam arcem Ciliciæ, vnde Isauricus est appellatus, euertit, atque de iis triumphauit an. 679 & per Cn. Pompeium Magnum, qui vicit piratas an. 686. de quo

ita Florus; Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod quadragesimo die parta est? an felicitatem, quod ne vna quidem nauis amissa est? an perpetuitatem, quod amplius piratæ non fuerunt? *Tot ciuium Rom. millibus*] Centum, & quinquaginta millibus, vt supra notatum est: *Legati, quod erant appellati superbius*] Alia causa exposita est in epitome s. quod legati pulsati fuissent: alia a Strabone, quod in prætereuntes legatos effusæ essent sordes: alia ab eodem Cicerone lib. 3. officiorum, quod esset vrbs opulentissima, & specie vtilitatis. *Corinthum*] Hanc vrbem deleuit L. Mummius an. 607. qui triumphauit de Achæis an. 608. *Legatum populi Rom.*] M. Aquilium, de quo Appianus in Mithridatica, quique fuit consul cum C. Mario an. 652. *Quid? quod salus*] Probatur agi salutem sociorum. *Regno expulsus*] A duobus signis. *Ciuitates autem omnes*] Ab expectatione. *Imperatorem a vobis*] A voluntate in Pompeium, qui iuerat ad bellum Piraticum. *Cum præsertim vos alium miseritis*] M. Acilium Glabrionem, cui consuli ann. 686. obtigerat Bithynia cum bello Mithridatico. *Atque hoc se etiam*] Conquestio. *Quare si propter socios*] A minori ad maius; Si nulla ipsi iniuria lacessiti, quanto magis conuenit iniuriis prouocatos. *Cum Antiocho*] Syriæ Rege propter Thraciæ, & Græciæ populos; ad quod bellum missus est M. Acilius Glabrio consul an. 562. qui coegit Regem fugere de insula Eubœa, vbi luxuria elanguebat: &, cum Thermopylas occupasset, inde virtute M. Catonis Tribuni militum eum eiecit in Asiam; atque Ætolos deuicit, de quibus triumphauit. Ei successit cum imperio L. Cornelius Scipio consul an. 563. cum fratre Africano legato, & Regem apud Sipylum montem ad Magnesiam Asiæ vrbem, Eumene Pergami Rege adiuuante, ingenti prælio fudit, & pacem facere coegit iis conditionibus, quæ senatui Rom. placuerunt; & de eo bello triumphauit, atque Asiaticus est appellatus. *Cum Philippo*] Macedoniæ Rege propter Athenienses implorantes auxilium contra Regis iniurias, cum ille vltra ius victoriæ in templa, aras, & sepulchra ipsa sæuiret. auctor Florus. T. Quinctio Flaminino consuli an. 555. obtigit Macedonia. is aduersus Philippum rem prospere gessit, bellumq; confecit,

data

data pace, quæ esset e Rep. atq; de eo triumphauit an. 559. *Cum Ætolis*] Qui se Antiocho Regi iunxerant, & complures Thraciæ, & Græciæ populos cum eo occupauerant. Ætolia obtigit M. Fuluio Nobiliori consuli an. 564. qui Apolloniam exercitu traiecto Ambraciam Ætolorum vrbem nobilissimam obsessam cepit, atque Ambraciensibus pacem petentibus dedit, Ætolosque diu iactatos ad pacis conditiones conuenire coegit, deque iis triumphauit an. 566. *Cum Pœnis*] Primum propter Mamertinos. Quamquam scribit Florus, specie quadam socios iuuandi, re autem vera solicitante præda id gestum esse. deinde propter Saguntinos, qua de re ita Florus; In causa belli Saguntus deleta est, Hispaniæ ciuitas opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum, quam in libertate communi fœdere exceptam Annibal causas nouorum motuum quærens & suis, & suorum manibus euertit, vt Italiam sibi rupto fœdere aperiret. postremo propter Massanissam, de quo ita idem Florus; Huius causa belli, quod contra fœderis legem aduersus Numidas quidem semel parasset classem, & exercitum, frequens autem Massanissæ fines territaret. Ac primum quidem bellum Punicum susceptum est an. vr 489. & data est pax Carthaginensibus an. 512. alterum vero susceptum an. 535. & data pax per Scipionem Africanum Maiorem an. 552. at tertium susceptum an. 604. & deleta Carthago a Scipione Africano Minore an. 607. *Præsertim cum de vestris*] Probatur agi maxima vectigalia. Satis autem constat vectigalia fuisse vel portoria, vel decumas, vel scripturas, vel salis vectigal, vel vicesimas. portoria, quæ portitoribus pendebantur: decumas, quæ exigebantur a ciuibus Rom. vel Latini nominis sociis, qui in Italia, vel extra Italiam publicum agrum arabant, cum eo, vt frumenti decumas soluerent: scripturæ vectigal, quod pendebatur ab iis, qui syluis, & pascuis publicis fruebantur: salis vectigal, quod nouum instituit M. Liuius Censor ex annona salaria an. 549. vnde Salinator est appellatus: vicesimam, qua libertini tantum astringebantur. Scribit vero Plutarchus in vita Pompeij summam vectigalium Rom. ante bellum Mithridaticum a Cn. Pompeio confectum fuisse quinquies mille

myriadas drachmarum Atticarum, id eſt, vt interpretatur Onuphrius Panuinus, ſex auri milliones. Bello autem Mithridatico confecto aucta fuiſſe a Cn. Pompeio tribus millibus, & quingentis myriadibus, id eſt, quatuor auri millionibus, & ducentis millibus aureorum; quæ ſumma priori addita decem milliones, & ducenta millia reddet aureorum. *Nam ceterarum*] Collatio, & argumentum ductum a differentia. *Itaque hæc vobis prouincia*] Suaſio ad defendendam Aſiam propter vectigalia. *Non modo a calamitate*] Amplificatio. *Quo tandem animo*] Altera amplificatio. *Ac ne illud quidem*] Probatur agi bona multorum ciuium, & ſuadetur, vt illis conſulatur. *Nam & publicani*] Qui erant ex ordine equeſtri. *Si vectigalia neruos eſſe Reip.*] Quemadmodum corpus animantium ſine neruis, qui ferunt ſpiritum animalem auctorem motus, & ſenſus, nec moueri, nec ſentire poteſt: ſic Reſp. ſine vectigalibus nullum motum habere, nullumque ſenſum videtur, id eſt nullam actionem, & poteſtatem. Ac Reſp. quidem, & corpus humanum videntur eſſe res prorſus ſimiles. Etenim non ſolum vectigalia ſunt tamquam nerui: ſed etiam princeps repræſentat rationem: ſatellites ſenſus: milites vim iraſcendi: mercatores vim concupiſcendi: oratores linguam: ſenatores ventrem iuxta Menenij Agrippæ apologum: ſuffragia pedes: baiuli venas: ruſtici arterias: mœnia cutim: porta os: aquæ ductus mentulam: cloacæ anum: leges Medicinam. *Ceteris ex ordinibus*] Senatorio, & plebeio. *Initio belli Aſiatici*] Ab exemplo.

IN SECVNDAM PARTEM CONFIRMATIONIS PRO LEGE MANILIA.

QVoniã de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam] Mirum eſt artificium Ciceronis hoc in loco, vbi ſi dicat bellum Mithridaticum eſſe magnum, videtur quodammodo Lucullum lædere, quaſi is per ſeptem annos nihil egerit in Mithridatem: ſi dicat eſſe paruum, videtur id dicere, quod ſit contra ſuaſionem ſuam, vt ei tanquam magno magnus imperator præficiatur. Quare primum nec affirmat, nec negat magnum eſſe, dum ait, non eſſe ita magnum, vt ſit pertimeſcendum. Deinde probat huiuſ-

huiusmodi bellum factum esse paruum per Lucullum, qui primo loco Cyzicum liberauit: secundo classem superauit: tertio Romanis legionibus pontũ patefecit: quarto multas vrbes cepit: quinto Regem ad Tigranem fugere coegit: ergo bellum Mithridaticum iam est paruum. Postea argumentatur, tametsi omnia, quæcunq; dicta sunt, de Lucullo, tam vera sunt, quam quæ verissima, tamen adhuc bellum magnum esse. nam primo loco Mithridates ex suo regno profugiens non est captus ad similitudinem Mediæ: secundo ad Tigranem confugit, & ab eo exceptus est: tertio plures gentes contra Lucullum sunt concitatæ: quarto Tigranocerta capta exercitus Rom. ostendit se de reditu cogitare: quinto Rex manum suam confirmauit: sexto cum se in regnum recepisset suum in exercitum Rom. impetum fecit: septimo Lucullus iussus imperium deponere dimisit milites, qui iam confectis stipendiis erant, ceterosq; Glabrioni, nouo imperatori tradidit: ergo bellum Mithridaticum factum est magnum, quod coniungant Reges potentissimi, renouent agitatæ nationes, suscipiant integræ gentes, nouus imperator accipiat vetere expulso exercitu. *Ita necessarium*] Propter gloriam populi Rom. salutem sociorum, vectigalia maxima Asiæ, & bona multorum ciuium, quæ necessitas, & vtilitas in primo capite confirmationis demonstrata est. *Me L. Lucullo*] De quo dicturum se esse pollicitus est supra. *Vrbem Asiæ clarissimam, nobisq; amicissimam Cyzicenorum*] Florus; Cyzicum nobilis ciuitas arce, mœnibus, portu, turribusq; marmoreis Asiaticæ plagæ littora illustrat: hanc ille quasi alteram Romam toto inuaserat bello, sed fiduciam oppidanis resistendi nuncius fecit, docens aduentare Lucullum, qui (horribile dictu) per medias hostium naues vtre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul, quasi marina pristis euaserat. Hæc ille. Lucullus igitur factis ad Cyzicum castris commeatus Mithridati interclusit, equorum sex millia, captiuorum quindecim, quos Mithridates rerum inopia coactus in hyberna in Bithyniam remittebat, assecutus, Mamerco duce partim cepit, partim cecidit, eaque gessit an. vr. 679. per hyemem in consulatu suo. Addit Florus in hunc modum; Mox clade conuersa cum ex mo-

ra obsidentem Regem, & ex fame pestilentia vrgeret, recedentem Lucullus assequitur, adeoq; cecidit, vt Granicus, & Asopus amnes cruenti redderentur. Appianus quoque scribit, exercitum Mithridatis ad Asopum, & Plutarchus ad Granicum a Lucullo cæsum. eaq; gesta sunt per æstatem an. 680. in Proconsulatu Luculli. *L. Lucullus virtute*] Florus quoq; tribuit virtutem Lucullo, quemadmodũ felicitatem Syllæ, magnitudinem Pompeio. *Ab eodem imperatore*] Florus; Nec infelicior in mari, quam in terra fuga; quippe centum amplius nauium classem, apparatũq; belli grauem in Pontico mari aggressa tempestas tam fœda strage lacerauit, vt naualis belli instar efficeret. Plane quasi Lucullus quodam cum fluctibus, procellisq; commercio debellandum tradidisse Regem ventis videretur. Narrat Appianus, ad Lemnum classem Mithridatis, cui Marius a Sertorio dux missus, & Alexander, & Dionysius præerant, a Lucullo depressam esse; Regemq; ipsum ex Bithynia, quo fugerat, in Pontum fugatum, amissa classe per tempestatem Piratico myoparone Sinopem, atq; inde Amisum peruenisse, Tigranisq; Armenij Regis generi, & Macharis Bosporani filij sui auxilia implorasse. Hæc gesta sunt an. 680. Eutropij verba sunt; Dum Mithridates in obsidione Cyzici commoratur, ipse eum a tergo obsedit, fameq; consumpsit, & multis præliis vicit. Postremo Byzantium, quæ nunc Constantinopolis est, fugauit. nauali quoque prælio duces eius Lucullus oppressit. Ita vna hyeme, & æstate a Lucullo ad centum fere millia hominũ Regis extincta sunt. *Ducibus Sertorianis*] Mario, Alexandro, Dionysio. *Magnas hostium præterea copias*] An. 681 Lucullus Mithridatem in Pontum persecutus Amisum, & Eupatoriam vrbes Ponticas obsidione cinxit, atq; altero exercitu Themiscyram ad Thermodontem fluuium sitam oppugnauit, Mithridate Cabiris recepto. An. 682. Lucullus in Ponto aduersus Mithridatem feliciter pugnauit, cęsis hostium amplius sexaginta millibus. Rex ex Ponto in Armeniam ad Tigranem Regem contendit, deleto pene toto equitatu, quem in insidiis collocauerat ad intercludendũ commeatum, qui Lucullo ex Cappadocia deferebatur. *Sinopem, atq; Amisum*] An. 683. cum Mithridates ex Ponto pulsus

pulsus esset, & præfecti eius sese Luculli arbitrio permisissent, Ponticæ vrbes Amastris, Heraclea, Sinapis, Amisum in potestatem redactæ sunt. Macharis Mithridatis filius, Bospori Rex, in amicitiam a Lucullo receptus est. *Ad alios se Reges*] Ad Tigranem Regem Armeniæ, qui in conspectum suum eum non admisit, prius quam indictum sibi esse bellũ intellexisset. auctor Plutarchus in Lucullo. *A nullo istorum*] Optimatum, qui legem Maniliam oppugnabat, partim, quod Pompeium ad Luculli triumphum proficisci, partim quod vni nimium imperium periculose mãdari, partim, quod Q. Marcium ex Cilicia, M. Acilium Glabrionem e Bithynia ante tempus iniuste reuocari intelligerent. Maxime autem huic legi aduersabantur Q. Hortensius, & Q. Catulus. *Primum ex suo Regno*] Confert fugam Medeæ cum fuga Mithridatis. *Fratris sui*] Absyrti. *Qua se parens*] Æeta Colchorum Rex. *Etsi vrbem ex Tigranis Regno*] Tigranocerta primum Tigranes nuncium, qui aduentum Luculli nunciauit, securi percuti iussit: iactabundus in amicos dictitabat, perquam molesto se animo esse, quod cum Lucullo solum, non vniuersis cum Romanorum ducibus vna collectis sibi decertandũ esset: cum vidisset Romanos aduersus se proficiscentes, dixit, eos, si legati venirent, satis multos quidem: si vero pugnaturi, perpaucos admodum esse. Lucullus pugnaturus pridie Non. Octobris, quem diem pars militum obseruãdum esse monebat, vnum existere ex nefastis diebus, quos atros Romani vocabant, quo Scipio cum Cimbris congressus Romanum exercitum perdidisset: Ego, inquit, commilitones hanc diem ex atro felicissimum Romanis faciam. Peditum in ea fuga vltra centum millia occubuerunt. equites pauci admodum fugerunt. Romanorum vulnerati centũ, quinque interfecti. Antiochus scribit, nullam prorsus talem pugnam Solem vnquam vidisse. Strabo, Romanos erubuisse, quod in tam vilia mancipia ferrum sumpsissent. Liuius, victores vix vigesimam partem fuisse eorum, qui victi sunt. Fugato Tigrane, Lucullus cepit Tigranocerta, & seruatis thesauris vrbem militibus diripiendam concessit, in qua præter alias ingentes opes octo millia talentorum fuisse constat. Octingentæ præterea drachmæ singulis militibus

ex hostium copiis datæ sunt. Hæc Plutarchus in Lucullo. *Reditus magis maturus, quam processus longior*] Sponte sua Arabum Reges, Sophenorum gens, & Gordyenorum populi imperium Luculli acceperunt. Parthorum Rex simulauit quidem inire se cum Romanis societatem velle: sed propensior ad Tigranis societatem erat. Quare Lucullo placuit, Parthorum vires tentandas esse: at milites, qui erant in Ponto, recusarunt, & eiusmodi recusatione exercitus etiam Luculli factus est licentior. Itaq; Lucullus Parthicum bellum dimisit. Cum autem ad Artaxata Tigranis Regiam animum cõuertisset, & ad Ausaniam fluuium prospere pugnasset, longius non processit, quia milites propter frigus noluerunt. Luculli famæ nocuit, quod omnes negligeret, qui in exercitu magistratum habebant: quod milites duo hyberna intra vallum agere compulisset ad Cyzicum, & Amisum: quod sub dio semper milites contubernia habere coegisset. Milites Fimbriani a viro nefario P. Clodio solicitati nec in Tigranem proficisci voluerant, nec in Mithridatem, qui se in Ponrum recipiebat; prius quam nunciatum est, Mithridatẽ profligato Fabio in Sornatium, atq; Triarium vires suas inducere. Cum Triarius non expectato Lucullo præliũ commisisset, supra septem Romanorum millia occisa sunt; centuriones centum, & quinquaginta; Tribuni militum supra quatuor, & viginti; & Romana castra in Mithridatis potestarem peruenerunt. Lucullus Tigrani, qui a Mithridate expectabatur, statuit occurrere: sed Fimbriani milites tumultu in itinere facto ordines deseruerunr. Hæc ex Plutarcho in Lucullo. *Qui iam confectis stipendiis erant*] Explicat Manutius; Cum annos iam decem militassent. Nos explicamus; Cum annos iam triginta militassent. Legitima enim stipendia, quæ erant conficienda, fuisse triginta, inde apparet, quod lex Tullia iuniorum ætatem, quos militare coegit, triginta annis definiuit, vt alij notarunt. *Partem Glabrioni*] Cui consuli obtigisse Bithyniam cum bello Mithridatico, supra notauimus.

INTER-

IN TERTIAM PARTEM CONFIRMATIONIS, QVAE DEMONSTRATIUA EST.

VTinam, *Quirites, virorum fortium atque innocentium.*]

I.

RES GESTÆ POMPEII.

ORtus est Cn. Pompeius Cœpione, & Serrano cos. quibus etiam natus est Cicero, vt scriptum reliquit Velleius, id est, an. vr. 647. & ortus parente Cn. Pompeio Strabone, qui fuit cos. cum L. Porcio Catone an. vr. 664. & de Asculanis triumphauit. & an. 666. pulso L. Cinna cos. a Cn. Octauio collega suo, ac suffecto L. Cornelio Merula in locum Cinnæ, cum vrbs quatuor exercitibus obsideretur, quibus Marius, Cinna, Carbo, Sertorius præfuerunt, cum exercitu, quem aliquandiu inuita ciuitate obtinebat, ad eam tuendam aduocatus est; ac vtramque partem tuendo vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatum partibus auxilium tulit, ita vt vrbs veluti capta cædibus, & rapinis vastata sit: fulmineq; ictus interiit. in eo bello contra Cinnam Pompeius sub patre militauit. Mortuo patre ad exercitum Cinnæ profectus est, ex quo effugit propter falsum crimen illatum; & cum rumor esset eum interfectum fuisse a Cinna, impetus factus est in ipsum Cinnam, qui eo interemptus est an. 669. se contulit Pompeius ad partes Syllanas; missusque est a Sylla in Siciliam aduersus Carbonem, & Perpernam, huncque ex insula eiecit, illum captum interfecit an. 671. Et hoc est bellum ciuile, quod gessit Pompeius. Inde gessit bellum Africanum. Cum enim iussu Syllæ in Africam traiecisset, aduersus Cn. Domitium, & Regem Numidiæ Hiarbam, ad quos Carbonis mortui copiæ ex Sicilia confugerant, illum occidit, hunc cepit, cumque Romam reuersus esset, ei Sylla dictator obuiam prodiit, ac summo honore habito eum Magnum appellauit, ac postulanti triumphum concessit an 672. cum is natus esset annos quatuor, & viginti, adhuc eques Rom. vt legitur in Epitome 89. & apud Eutropium. Quamquam si auctoritas attendatur eorum, qui aiunt ortum esse Cœ-

pione, & Serrano cos. non annos quatuor, & viginti, sed quinque, & viginti erat natus: & hoc fuit bellum Africanum. An. autem 676. cum Q. Metellus impar aduersus Sertorium videretur, visum est senatui Pompeio priuato imperium extra ordinem in Hispaniam dare. Itaque S.C. factum est in sententiam L. Philippi, vt Cn. Pompeius, qui ad vrbem erat, aduersus Sertorium cum eodem, atq; Metellus imperio procos. iret, cum Philippus ignauiam illorum consulum insectans dixit secum non modo pro consule, sed pro consulibus mittere. Cum igitur in Hispaniam proficisceretur, bellum gessit Transalpinum cum Gallis ob iter sibi interclusum, patefactoque itinere legionibus Rom. Gallorum internecione, cum in Hispaniam peruenisset, contra Sertorium sæpe pugnauit; cumque an. 680. Sertorius a M. Antonio, & M. Perperna, aliisque coniuratis in conuiuio interfectus esset, octauo ducatus sui anno, & imperium partium ad Marium translatum esset, ipsum Marium victum, captumque interemit, Hispaniasque recepit decimo fere anno, quam cœptum est bellum. An. 681. cum ab Hispaniensi bello reuerteretur, seruile bellum cum Spartaco cœptum extinxit. An. 682. ex Hispaniis triumphauit, adhuc eques Rom. ante diem, quam consulatum iniret. An. 683. factus est consul cum M. Crasso, antequam Quæsturam gereret. Cum autem Piratarum opes nec M. Antonius pater, nec P. Seruilius, quos de iis triumphasse superius notauimus, nec deinde M. Antonius filius, qui curator oræ maritimæ periit, nec L. Metellus, qui Prætor Siciliæ aduersus eos prospere in consulatu Pompeij pugnauit, frangere potuissent, sed iam omnia maria, oræ maritimæ, insulæ, portus, latrociniis eorum infesta essent; cum exercitus Rom. Brundusio nunquam, nisi summa hyeme transmittere tuto possent, legati populi Rom. capti essent, duo Prætores Sextilius, & Belinus in prædonum potestatem venissent, portus Caietæ a prædonibus esset direptus, ex Miseno Antonij filia, qui cũ prædonibus antea ibi bellum gesserat, a prædonibus esset sublata, & ante hostium Tiberinum classis, cui consul populi Rom. præpositus erat, capta, atq; oppressa esset: an. 686. A. Gabinius Tribunus pl. legem ad populum tulit, Roscio, ac Trebellio collegis,

& Q.

& Q. Catulo summo senatore aduersantibus, qua imperium Cn. Pompeio extra ordinem aduersus piratas cum legatis quindecim tradidit, ita vt maria, insulas, oras maritimas, exercitus, classes populi Rom. quotquot essent, in potestate haberet. Itaque ad tantum bellum profectus est Pompeius, quod extrema hyeme apparatum est, ineunte vere susceptum, media æstate confectum; vtq; a Brundusio profectus est, vnde quinquagesimo die totam ad imperium populi Rom. Ciliciam adiunxit, & omnes, qui vbique prædones fuerunt, partim cepit, & interfecit, partim in deditionem accepit. Cùm autem an. 687. ageretur de imperatore aduersus Mithridatem deligendo, Cicero hæc omnia, quæ gesserat Pompeius, sibi exornanda esse existimauit, vt eum esse dignissimum ostenderet, qui bello Mithridatico præficeretur; quemadmodum huiusmodi suasione præfectus est, & re prospere gesta, ac bello Piratico, & Mithridatico confecto, an. 692. pridie Kal. Octobris die natalis sui, vt scribit Plinius, tertium triumphum duxit. An. 698. fuit cos. II. cum M. Crasso, & tunc theatrum dicauit, ludosq; magnificentissimos edidit, de quibus scribit Cic. epist. 1. lib. 7. Famil. An. 701. fuit cos. III. sine collega nouo exemplo; quo anno occisus est Clodius a Milone; & Q. Metellus Scipio socer Pompeio collega est subrogatus in quinque menses extremos, vt Pompeij inuidia tolleretur. Bellum postea gessit in Cæsarem, & ab eo victus Pharsalico prœlio, in Ægyptum delatus, iussu Ptolemæi Regis occisus est, Cæsare, & Seruilio cos. vt scripsit Velleius, id est, an. 705. cum haberet annos vndesexaginta, vt scriptum reliquit Plutarchus; tot enim anni numerantur a Cœpione, & Serrano cos. quibus est ortus, ad Cæsarem, & Seruilium cos. quibus est occisus.

II.

GENVS CAVSÆ.

HÆc pars refertur ad genus demonstratiuum, cum lumine orationis delectet auscultatores, qui audiunt vt delectentur, ac iudicent de facultate oratoris: & laudet Pompeium, quæ vna est pars generis demonstratiui: & assumat res præteritas, & a Pompeio gestas ad talem exornationem; omne enim tempus conuenit generi demon-

ſtratiuo: & propoſitum habeat honeſtum, & pulchrum, quod laudatur.

III.
STATVS.

Controuerſia eſt de quantitate; An tantus ſit Pompeius, vt in imperio Mithridatico ceteris ſit præferēdus.

IIII.
ARGVMENTA.

Dvcta ſunt argumenta a propriis propoſitionibus generis demonſtratiui, quæ probant honeſtum, & pulchrum; nimirum ab eo, quod efficit virtutem, vt a ſcientia rei militaris, quæ efficit virtutem imperatoriam: & a virtute, vt labore in negotiis, fortitudine in periculis, induſtria in agendo, celeritate in conficiendo, conſilio in prouidendo, quæ ſunt præcipuæ virtutes imperatoriæ; & iis, quæ ſunt harum adminiſtræ, & comites, innocentia, temperantia, fide, facilitate, ingenio, humanitate: & ab eo, quod efficitur a virtute, vt ab auctoritate, & a felicitate. quæ omnia probant finem generis demonſtratiui, id eſt, honeſtum, & glorioſum. Significantur quoque argumenta ducta ab aſſumptis, vt ab vtili, quod eſt proprium generis deliberatiui, & a iuſto, quod eſt proprium generis iudicialis, quoniam geſſerit Pompeius res vtiliſſimas, & iuſtiſſimas. Et ducta ſunt a propoſitionibus communibus, quæ cum omnibus generibus conueniant, propriæ tamen ſunt magis generis demonſtratiui, vt ab iis, quæ probant rei magnitudinem, quod vnus Cn. Pompeius non modo eorum hominum, qui tunc erant, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam ſuperaſſet: quod nemo eo ſcientior eſſet rei militaris; quod in eo tantæ eſſent virtutes, quantæ in omnibus reliquis imperatoribus non fuiſſent: quod Pompeij auctoritas omnium imperatorum auctoritatem ſuperaret: quod nemo tam impudens eſſet, qui a Diis immortalibus tot, & tantas res tacitus auderet optare, quot, & quantas Dij immortales ad Cn. Pompeium detuliſſent. Poſtremo a locis Topicis, non ſolum a comparatione, ſed etiam ab enumeratione eorum, quæ in ſummo debent eſſe imperatore; & ab effectibus, & rebus geſtis Pompeij.

MORES.

V.

MORES.

ACcommodatur oratio ad mores Quiritum religiosos, tanquam fortunatorum, quibus tantum boni a Diis immortalibus oblatum, & datum sit, vt bello Mithridatico imperatorem præficere possint, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna. Mores enim fortunatorum solent se bene habere ad rem diuinam, vt docet Arist. lib.2. Rhet. cap.17. ideoq; apud fortunatos recte dij commemorantur. & ad mores vtilitatis, & honestatis, qui attenduntur in bonis Rebusp. spectanturq; per totam hanc exornationem, & maxime ibi; Quod vt illi proprium, ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis, atq; imperij, tum ipsius hominis causa, sicuti facitis, velle, & optare debetis. Exprimitur vero prudentia oratoris variis in locis: vt, Ego sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. &, Varia, & diuersa genera bellorũ, & hostium non solum gesta ab hoc vno, sed etiam confecta nullam rem esse declarant in vsu militari positam, quæ huius viri scientiam fugere possit. &, Non solum bellandi virtus in summo, atq; perfecto imperatore quærenda est: sed multæ sunt artes eximiæ huius administræ, comitesq; virtutis. &, Vestra admurmuratio facit, Quirites, &c. &, Neq; potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet: neq; seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non vult. &, Reliquum est, vt de felicitate, quam præstare de se ipso nemo potest: meminisse, & commemorare de altero possumus, sicut æquum est homini de potestate deorum, timide, & pauca dicamus. &, De huius hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac vtar moderatione dicendi, non vt in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed vt præterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut inuisa diis immortalibus, oratio nostra, aut ingrata esse videatur. Exprimitur probitas, maxime vbi pluribus verbis laudatur Pompeij innocentia, temperantia, fides. Exprimitur beneuolentia in Quirites, dum eis proponitur illud, quod vtile, ac gloriosum futurum sit.

VI.

AFFECTVS.

CVm proprij affectus generis demonstratiui sint delectatio, quæ mouetur in animis auditorum, & gratia, ac desiderium benefaciendi, quod excitatur laudibus eorum, qui bene de Rep. meriti sint; in hac parte orationis mouetur delectatio ex admiratione rerum amplissimarũ, quas gessit Pompeius; & ex quinque hominibus elocutionis, quæ valde solent delectare, Breui, Dilucido, Probabili, Suaui, Illustri. Et mouetur gratia egregia laude Pompeij: laus enim virorum virtute præstantium est magnũ ad eorum imitationem, & virtutem incitamentum.

VII.

ELOCVTIO.

NOn est dubitandum, quin hac in parte elocutio exactissima sit, qualem demonstratiuam esse oportere, tanquam scriptioni accommodatam docuit Aristoteles. Ipse autem Cicero lib. 2. de oratore, vt supra quoq; notauimus, testatus est, se in exornando Pompeio temperata vsum esse oratione.

VIII.

DISPOSITIO.

COllocatæ sunt in hac exornatione quatuor partes, procœmium, propositio, confirmatio, peroratio. Nulla adhibita est narratio, quæ non est necessaria, cum laudatur aliqua persona clarissima, cuius res gestas sat est in memoriam reuocare. In confirmatione autem cum possint adhiberi quinque ordines collocandi, vsurpatus est secundus ordo, qui dicitur generum distributio. Laudatur ergo primo loco scientia rei militaris: secundo virtutes imperatoriæ, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo; & quæ comitantur virtutes imperatorias, innocentia, temperantia, facilitas, fides, ingenium, humanitas: tertio auctoritas: quarto felicitas.

IX.

IN PROOEMIVM.

CVm a quinq; locis procœmia demonstratiua ducantur, hoc sumptum est tum a vituperatione illorum, qui nõ

erant

erant fortes, & innocentes, vt Pompeius, quæ vituperatio significatur in illis verbis; Vtinam, Quirites, virorum fortium, atq; innocentium, &c. tum a laude Pompeij, quæ quidem eximia est ibi; Nunc vero, cum sit vnus Pompeius, &c.

X.

IN PROPOSITIONEM.

FActa est propositio per partitionem quatuor res exponentem, quæ in summo imperatore inesse oportet, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Cumq; narratio demonstratiua soleat fieri non continenter, sed in partibus, vt traditum est ab Arist. lib. 3. cap. 16. tunc maxime fieri debet, cum res sunt obscuriores, vt Critiæ: cum vero sunt notissimæ, vt Achillis, nulla narratione opus est. Quamobrem nec in laudibus Cæsaris pro Marcello, nec in laudibus Pompeij hoc in loco vlla narratio facta est: sed tantum res gestæ in memoriam sunt reuocatæ ad amplificandum.

XI.

IN CONFIRMATIONEM.

CVm præcipua amplificandi ratio ex doctrina Aristotelis fiat per comparationem, & collationem, egregie Pompeius cum ceteris comparatur, & ceteris præfertur. proprium enim instrumentum generis demonstratiui est amplificatio, & quidem per comparationem; de qua sic Arist. lib. 1. Rhet. cap. 9. Si ex ipso copiam non habes, cum aliis debes comparare. & paullo post; Cum illustribus vero faciẽda collatio est. nam id habet vim amplificandi: & honestum, ac pulchrum est, si bonis viris melior sit. Ac iure in laudes cadit amplificatio: consistit enim in excellentia: & excellentia est rerum honestarum. Quamobrem si non cum illustribus, at certe cum aliis est comparandum, siquidem excellẽtia indicare virtutem videtur. Adhibet igitur Cicero comparationem mirabiliter sic, primum de scientia rei militaris; Quis hoc homine scientior vnquam aut fuit, aut esse debuit? deinde de virtutibus; Quæ tanta sunt in hoc vno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt. &; Quis vnquam aut obeundi negotij, aut consequendi quæ-

stus studio, tam breui tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus nauigauit? &; Quæ breuiter qualia sint in Cn. Pompeio consideremus. summa enim sunt omnia; Quirites: sed ea magis ex aliorum contentione, quam ipsa per sese cognosci, atque intelligi possunt. &; Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris, cuius legiones sic in Asiam peruenerunt, vt non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? &; Hæ res, quæ ceteros remorari solent, non retardarunt; non auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit: non libido ad voluptatem: non amœnitas ad delectationem: non nobilitas vrbis ad cognitionem: non denique labor ipse ad quietem: postremo signa, & tabulas, ceteraque ornamenta græcorum oppidorum, quæ ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimauit. Præterea de auctoritate; Quod nomen vnquam in orbe terrarum clarius fuit: cuius res gestæ pares? de quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta, & tam præclara iudicia fecistis? Denique de felicitate; Hoc breuissime dicam, neminem vnquam tam impudentem fuisse, qui a Diis immortalibus tot, & tantas res tacitus auderet optare, quot, & quantas Dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt.

XII.

IN PERORATIONEM PARTIS DEMONSTRATIVAE.

NOn est necessaria in genere demonstratiuo peroratio, vt docet Aristoteles lib. 3. Rhetoricæ, cap. 13. tamen, si fiat, non est reprehendenda, vt tradit Cicero in partitionibus oratoriis. In hac autem parte illud valere potest loco perorationis ad memoriam renouandam, quod est vnum de quatuor muneribus perorationis; Cum ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus oblatum, & datum est, in Remp. conseruandam, atq; amplificandam conferatis?

IN

IN EANDEM PARTEM DEMONSTRATIVAM SCHOLIA.

B*Ello maximo*] Cinnano, atq; Octauiano inter consules L. Cinnam, & Cn. Octauium gesto an. vr. 666. cum vrbe pulsus esset Cinna ab Octauio, propterea quod Italicos populos in triginta quinque veteres Tribus se distributurum esse professus esset, & non in nouas alias decem, in quas illos populos transferri oportere censebat Octauius, ne nouorum ciuium multitudo, ac potētia veterum in comitiis auctoritatem, atq; opes superaret, ac labefactaret. *Atq; acerrimis hostibus*] Cinna pulsus accersiuit Marium, Carbonem, Sertorium. Itaq; quatuor exercitus, quibus illi præfuerunt, comparati sunt ad vrbem obsidendam. *Ad patris*] Cn. Pompeij Strabonis, quem proconsulem ad vrbem tuendam Octauius, & Merula in locum Cinnæ suffectus aduocarunt. quo tempore Pompeius filius viginti annos natus erat. *Miles fuit summi imperatoris*] Explicat Manutius; Patris eius, non Sullæ: dux enim, non miles ad Sullam profectus est. Puto Manutium errare, quia, cum superius Cicero commemorauerit patrem Pompeij, hoc in loco videtur per summum imperatorē intelligere Cinnam, ad quem post patrem fulmine ictum, & vnco tractum se Pompeium contulisse, scriptum reliquit Plutarchus; ex cuius exercitu effugit propter falsum crimen illatum. & tunc Cinna mortuus est, cum haberet Pompeius annos 23. *Maximi ipse exercitus*] Syllani. *Quis sæpius*] Argumentum à numero præliorum, vbi apparet hostis, & inimici differentia. *Plura bella*] Hyperbole. *Non alienis præceptis*] Correctio antequam dicatur. *Sed triumphis*] Ex Africa, & ex Hispania. *Ciuile*] Contra Cinnam: deinde pro Cinna: inde contra Carbonem pro Sylla. *Africanum*] Contra Cn. Domitium Marianum, & Hiarbam Regem Africæ. *Transalpinum*] Obiter sibi interclusum in Hispaniam. *Hispaniense*] Sertorianum. Dixit Sertorius, virga, & loris opus sibi esse ad puerum, ni vetulam extimesceret, de Pompeio loquens, & Metello. auctor Plutarchus. *Seruile*] De quo ita legitur in Epitome 96. Q. Arrius Prætor Crixum fugitiuorum ducem cum viginti millibus hominum cæcidit. C. Lentulus cos. male aduersus Spartacum pugnauit. Ab

eodem L. Gellius, & Q. Arrius Prætor acie victi sunt. & paulo post; C. Cassius Procos. Cn. Manlius Prætor male aduersus Spartacum pugnauerunt; idq; bellum M. Crasso Prætori mandatum est. & in epitoma 97. M. Crassus Prætor primum cum parte fugitiuorum, quæ ex Gallis, Germanisq; constabat, feliciter pugnauit, cæsis inimicorum triginta quinq; millibus, & duce eorum Granico. cum Spartaco deinde bellauit, cæsis cum ipso millibus quadraginta. Addit Plutarchus, his præclaris Crassi gestis fortunam, quæ Pompeium sibi adoptauerat, Pompeium abesse noluisse, cum hostiũ quinq; millia, qui à pugna euaserant, illi ab Hispaniensi bello reuertenti reseruasset, quibus absumptis Pompeium ad senatum scripsisse, Crassum in acie gladiatores fudisse, se vero bellum ab imis extirpasse. *Nauale*] Piraticum contra Cilices, quibus aurati erant rudentes, vela purpurea, remi subargentei, & alia incredibili luxu, fastuq; intolerabili execranda; qui maria omnia infestabant, naues vltra mille habebant, captas vrbes quadringentas tenebant, templa antea inuiolata vastabant, Prætores duos Sextilium, & Belinum captiuos adduxerant, filiam Antonij triumphalis viri in agrum euntem rapuerãt; cum quis è captiuis se Romanum esse dixisset, eum in contumeliam obruerant. Ad hoc bellum gerendum profectus est Pompeius cum quingentis nauibus, centum & viginti millibus peditum, quinq; millibus equitum, præfectis, legatisq; e senatu delectis quatuor & viginti, quæstoribus duobus: ac tantum bellum confecit, piratarum latrociniis vndiq; absumptis, haud longiori trium mensium spatio. *Testis est Italia*] Vbi, antequam ad Syllam perueniret, vicit Carinnum, Cœlium, Brutum, Scipionem consulem, & equites iuxta Arsum fluuium à Carbone comitatos, qui cum armis, & equis se dediderunt. *Testis est Sicilia*] Vbi vicit Perpernam, & Carbonem interfecit. *Testis est Africa*] Vbi occidit Domitium, & Hiarbã Regem cepit. *Testis est Gallia*] Vbi vicit Gallos iter in Hispaniam impedientes. *Testis est Hispania*] Vbi Sertorium, & eius duces deuicit. *Testis est iterũ, & sæpius Italia*] Vbi quinq; millia seruorũ, qui à pugna Crassi euaserant, trucidauit. *Testes vero iam omnes oræ*] Quas à piratis liberauit. *Quis enim toto mari*] Amplifi-

Amplificatur materia belli Piratici, quod omnia maria à piratis fuissent occupata: quod nauigari non posset, nisi cum mortis, aut seruitutis periculo: quod huiusmodi bellum confici non posse videretur aut ab omnibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno imperatore. *Quam prouinciam tenuistis*] Argumentum ducitur à calamitate prouinciarum, vectigalium, sociorum, & ab impedita nauigatione. *Sociis vestris*] Amplificatio per incrementum. Magnum enim est sociis mare clausum fuisse: sed longe maius exercitus Rom. Brundusio nunquã, nisi summa hyeme transmisisse. Magnum est, eos, qui ab exteris rationibus ad Romanos veniebant, captos esse: at longe maius, legatos populi Rom. redemptos esse. Magnum est mercatotibus tutum mare non fuisse: sed longe maius duos Prætores in prædonum potestatem peruenisse. Magnum est Colophonem, Samum, aliasq; vrbes captas esse: at longe maius portus, quibus vitam, & spiritum Romani ducebant, in prædonum fuisse potestatem. *Duodecim secures*] Duos Prætores, de quibus in hunc modum Plutarchus; Prætores duos, Sextilium, & Belinũ in ipsis prætextis cum ministris, lictoribusq; ac cæteris eius magistratus insignibus captiuos adduxerunt. *In prædonum fuisse potestatem*] Non potestate, de qua elocutione vide Gellium lib. 1. cap. 7. *Portum Caietæ*] Ita dictum, vel à curuitate littorum lingua Laconũ, vt scribit Strabo lib 5. vel à Caieta nutrice Æneæ, ibi sepulta, de qua Virg. Lib. 7. *Ex Miseno*] Ita dicto à Miseno tibicine Æneæ, de quo Virg. lib. 6. *Ostiense incommodum*] Dionysius scribit, Anco Martio Rege Syluam Mesiam Veientibus ademptam: vsq; ad mare imperium prolatum: in ore Tiberis Ostiam coloniam conditam. *Qui Siciliam*] Piratus in Siciliam fugauit, Siciliam, Africam, Sardiniam lustrauit spatio dierum quadraginta. auctor Plutarchus. Cum Piso consul iracundia, atq; inuidia permotus apparatũ naualem soluisset, militesq; stipendiis liberasset, Pompeius classe ad Brundusium missa Romam venit, Pisonis iracundiam frænauit, ad classem rediit, &, vt à Brundusio profectus est, vnde quinquagesimo die totam ad imperium populi Rom. Ciliciam adiunxit. Itaq; bellum confectum est, piratarum latrociniis vndiq; absumptis,

haud longiore trium mensium spatio. auctor idem Plutarchus. *Idem Cretensibus*] Plutarchus scribit, Cretam post Ciliciam alteram fuisse prædonum arcem, eaq; de re Pompeium piratas multos in Cretam esse persecutum. & Xiphilinus, Creticum bellum sibi Pompeium depoposcisse, quod lege Gabinia omnes insulę sub suo imperio essent. Addit Plutarchus. L. Octauium legatum à Pompeio in Cretam esse missum, & à Metello, qui cum Cretensibus bellum gerebat, vnde Creticus est dictus, ita irrisum, vt eo etiam præsente vrbes, quarum ditionem poscebat, per vim ceperit. *Quid cetera*] Superius commemorauit quinque virtutes bellicas. hoc in loco addit sex virtutes earum administras, & comites. *Sed ea magis ex aliorũ contentione*] Egregie: quia excellentia apparet ex comparatione, & collatione, vt supra notauimus. *Veneant centuriatus*] Quid turpe esse scriptum reliquit Aristoteles lib. 2. Politicorum cap. 9. *Ad bellum administrandum*] Maxime vt soluantur stipendia militibus, quæ solui cœperunt peditibus an. Vr. 347. Anxure Volscorum oppido capto, ac direpto: equitibus autem an. 350. bello Veienti. auctor Liuius. Ac diurnum quidem peditis Rom. stipendium fuisse dicitur denarius: centurionis vero stipendium duplex: at equitis triplex. *Itinera*] Si ciues Rom. etiam in Italia passi sunt multa detrimenta ab Imperatoribus Rom. id multo magis de exteris nationibus credendum est. A minori ad maius. *Vtrum plures*] Commiseratio. *Neq; enim potest*] Qui se ipsum non continet, multo minus ceteros continebit. A maiori ad minus. *Age vero*] De temperantia Pompeij, argumentum ducitur ab effectu temperantiæ, id est, à celeritate, & cursu, qui nullo modo impeditus est, & ab adiuncta gloria. *Iam vero ita faciles*] Omittitur ordo propositionis. *Iam quantum*] Requirit ingenium, vt non solum consilium, sed etiam grauitas, & copia dicendi adsit. *Fidem vero*] A minori. *Humanitate*] Quæ Græce dicitur φιλανθρωπία. Quandoq; autem humanitas est παιδεία. Gell. lib. 13. cap. 15. *Et quoniam auctoritas*] Qui auctoritate plurimum potest, is bello Mithridatico est præficiendus. *Certe nemini*] Pompeius auctoritate plurimum potest: ergo bello Mithridatico est præficiendus. *Vehementer autem*]

Proba-

Probatur maior, quia propter auctoritatem imperatores metuuntur, atq; amantur: quemadmodum sine auctoritate contemnuntur, atque odio habentur. *Quod igitur nomen*]Probatur minor à nomine Pompeij, à rebus gestis, à iudiciis populi Rom. & in primis, cum lata est lex Gabinia, & ab exemplis quinq;; quod statim vt Pompeius præpositus est bello maritimo, vilitas annonæ consecuta sit: quod aduentus Pompeij in Asiam post præliũ Triarij Mithridatem continuerit, & Tigranem retardauerit: quod in bello Piratico ex locis tam longinquis, tam diuersis, tam breui tempore omnes Pompeio se dediderint: quod Cretensium legati se Pompeio omnes Cretensium ciuitates dedere velle dixerint: quod Mithridates in bello Sertoriano legatum miserit ad Pompeium. *Quod igitur nomen*] Ad auctoritatem pertinet claritas nominis. *Cuius res gestæ*] Ad eandem pertinet magnitudo rerum gestarũ. *De quo homine*] In primis pertinent populi iudicia. *Quo nõ illius diei*] Cum lata est lex Gabinia, vt Pompeius in potestate haberet omnia maria, & quidquid cõtinentis à littoribus abesset stadiis quingentis, eligeretq; legatos quindecim viros senatorios, & in potestate haberet censum, & ducentas naues. Cui legi à plebe auidissime susceptæ omnes partes restitere præter Cæsarem. Alter consulum dixit, Pompeium per exempla Romuli gradientem eundem finem habiturum esse. Quare ferme discerptus est. Catulus dixit viro parcendum, neq; eum tot periculis, totq; bellis obiiciendum, & Pompeium non amittendum, in quo salus Reip. niteretur. Sed, cum plebi id haud persuasum esset, conticuit. Roscius orare cœpit; sed à nemine auditus est. digitis vero ostendit Pompeium non primum, sed secundum ducem creandum esse. ex quo plebs ita acclamauit, vt superuolans coruus oculis captus in medium forum ceciderit. Promulgata lege, operam dedit Pompeius, vt alia adderentur. Quamobrem quingẽtæ naues ei completæ, peditum centum, & viginti millia, equitum quinq; millia. Præfectos, legatosq; quatuor, & viginti ipse delegit. Quæstores duo traditi. Hæc ex Plutarcho. *Qui quo die*] Primum exemplum. *Iam vero*]Secundum exemplum. Intelligitur autem calamitas accepta propter temerita-

tem Triarij, de qua supra. *Age vero illa res*] Tertium exe plum. *Tam breui tempore*] Haud longiore trium mensium spatio, vt supra notatum est. *Omnes*] Qui fuerunt plures viginti millibus. auctor Plutarchus. *Quod Cretensium*] Quartum exemplum. *Noster imperator*] Metellus. *In vltimas prope terras*] Vsq; in Pamphiliam. *Quid?*] Quintum exemplum. *Eumq; Pompeius legatum*] Sic fieri solet, vt vicina assumantur tum ad laudandum, tum ad vituperandum. quod docet Arist. lib. 1. Rhet. cap. 9. Itaq; qui amabant Pompeium, dicebant eum, quem miserat Mithridates, fuisse legatum, non speculatorem: qui odio habebant, nominabant speculatorem, non legatum. Vicina enim quodammodo sunt, esse speculatorem, & legatum. *De potestate deorum*] Infra nominat fortunam pro potestate deorum. *Ego enim sic existimo*] Cuius magna est felicitas, ei magnum imperium est mandandum. quod probatur exemplo Q. Fabij Maximi cunctatoris quinquies consulis: M. Claudij Marcelli, qui Syracusas expugnauit, & quinquies consul fuit: Scipionis Africani, vel maioris, qui Carthaginem populo Rom. Tributariam reddidit; vel minoris, qui deleuit Carthaginē, & Numantiam: Marij, qui septies fuit cos. At Pompeij magna fuit felicitas. Ergo Pompeio magnum imperium Mithridaticum erat mandandum. *Quare cum & bellum*] Conclusio totius confirmationis per enumerationem earum rerum, quæ confirmatæ sunt. *Quod si Romæ*] A minori.

IN REFVTATIONEM PRO LEGE MANILIA.

Ciceronis suasioni aduersabatur Q. Catuli, & Q. Hortensij auctoritas, de qua Cicero duplici vsus est enthymemate. Primum sic; In hac causa, ipsa re, & ratione exquiri potest veritas: ergo hic auctoritas locum habere non debet. deinde sic; Ea omnia, quæ in confirmatione dicta sunt, aduersarij vera esse concedunt, tum necessarium bellum esse, tum magnum, tum in vno Cn. Pompeio summa inesse omnia: ergo prætermissa auctoritate aduersariorū faciendum est illud, quod suasum est. Cum autē Hortensius argumentari videretur ab iniusto, & turpi, quod iniustum, &

ftum,& turpe esset vni omnia tribuere:& Catulus ab euenturo,& impossibili, quod si in vno Pompeio omnia ponerentur,& contigisset eum mori, euenturum esset, vt in nemine spes haberi posset;& impossibile esset defendi Remp. per alium, quã per Pompeium: & ab vtili priuato viri præstantissimi, quod parcendum esset vitæ Pompeij: & à legitimo non scripto,quod nihil agendum esset contra exempla,& instituta maiorũ: Cicero primo loco iniusto, & turpi, in quo nitebatur argumentum Hortensij, opponit vtile publicum,quod attendendum esse probat exemplo belli Piratici, in quo omnia maria, portus, & oræ maritimæ vni Pompeio etiã aduersante Hortensio commissæ sunt, & argumentatur sic; Perniciosum fuisset sequi auctoritatem Hortensij in bello Piratico: ergo etiam perniciosum esset in bello Mithridatico.ornat enthymema duabus pulcherrimis amplificationibus; altera per collationem imperij, quod habebant Romani post confectum bellum Piraticum cum imperio ante victoriam Pompeij de piratis; altera per collationem, quod aliæ ciuitates potuissent se defendere, & populus Rom. ante legem Gabiniam nõ potuisset, etiam si ante bellum Piraticum alios multos superasset, & tutus fuisset cum sociis. Præterea vtitur permissione ad excusandum Hortensij animum, ita tamen, vt fuisse vtile omittere eius auctoritatem concludat. Et opponit legitimum scriptum legis Gabiniæ, quæ Romanos illa miseria, ac turpitudine liberauit. Obiterq; conqueritur de re indignissima,quod inter legatos Pompeij ille ipse electus non esset A. Gabinius, qui legem de ipso Pompeio tulerat,nec impetrare potuisset, vt post Tribunatum esset legatus, quod alij tamen impetrare potuerant, vt Falcidius,Metellus,Cœlius,Lentulus.Itaq; de eo legando, si consules non referrent, pollicetur se relaturum. Secundo loco, negat euenturum, & impossibile per aliud euenturum, & per possibile, quod, si Pompeius moreretur, euenturum esset, vt in Q. Catulo spes haberi posset; & possibile esset Remp. defendi per ipsum Catulum. Tertio loco vtili priuato Pompeij opponit vtile publicum, quod, quo minus certa esset hominum, ac minus diuturna vita, hoc magis Resp. dum per deos immortales liceret, frui deberet sum-

mi hominis vita, atq; virtute. Quarto loco legitimo noi ſcripto de exemplis, atq; institutis maiorum opponit vtile, maxime tempore belli, quod maiores ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruerint. & opponit contrariam conſuetudinem; ad quam probandam præter exemplum Scipionis, qui vnus duo bella maxima, Punicum, & Hiſpanienſe confecit, Carthaginemq; & Numantiam deleuit: & Marij, qui cum Iugurtha, cum Cimbris, cum Theutonis bellum adminiſtrauit: citat etiam quinq; exempla Pompeij de rebus nouis in ipſo Pompeio etiam Catuli voluntate conſtitutis; quod adoleſcentulus priuatus exercitum duxerit in bello Cinnano, & Africano: quod eques Rom. triumphauerit ex Africa: quod eques Rom. bellum geſſerit Sertorianum, cum L. Philippus eum tantopere laudauit: quod factus ſit conſul, antequam Quæſturam gereret, Ædilitatem, Præturam: quod rurſus eques Rom. triumphauerit ex Hiſpania. Cumq; in huiuſmodi rebus auctoritas Catuli de Pompeio a populo Rom. fuerit comprobata, colligit argumentũ à repugnantibus, quod auctoritatem Catuli fuiſſe comprobatam à populo, & auctoritatem populi non comprobari à Catulo, inter ſe repugnent. Addit enthymema, quod non facile inueniuntur, qui in Aſia, Cilicia, Syria nihil aliud, quam de hoſte, ac laude cogitent, &, ſi qui ſunt, non exiſtimantur tales: ergo deligendus eſt Pompeius, cuius non ſolum virtus militaris, ſed aliæ quoq; virtutes omnibus notiſſimæ in tanto bello requirantur. Et amplificat iniurias, quæ inferebantur ab imperatoribus Rom. vt oſtendat, aliis omiſſis vnum Pompeium deligendum eſſe; & quidem amplificat multis modis, tum ab odio, in quo erant Romani apud exteras nationes propter eiuſmodi iniurias: tum à teſtimonio aduerſariorum, qui nouerunt ſociorum vulnera: tum à contrariis, quod non pro ſociis, ſed contra ſocios imperatores mitti viderentur: tum à maiori, quod ciuitates Aſiæ vnius Tribuni militum animos, ac ſpem capere non poſſent, & multo minus vnius imperatoris, atq; legati: tum à fictione, quod ſi fingeretur aliquis eſſe idoneus, qui collatis ſignis exercitus regios ſuperaret, niſi idem ſe à rebus ſociorum cohibere poſſet, bello Mithridatico præficiendus non eſſet: tum

t: tum à conduplicatione, quod nulla ciuitas pacata es-
-t, quæ locuples esset, nulla locuples, quæ pacata. Præter-
ea sic argumentatur; Ora maritima vnum Pompeium re-
quisiuit: ergo is deligendus est, cum suis virtutibus, tum a-
lienis vitiis magnus. & sic; Plures auctoritates consentiũt,
Pompeium esse deligendum: ergo is deligendus. Itaq; con-
tra auctoritates duorum, Hortensij, & Catuli adducit au-
ctoritates quatuor virorum præclarissimorum, Seruilij,
Curionis, Lentuli, Cassij. *Q. Catulus*] Qui fuit cos. cum
M. Lepido an. vr. 675. filius Q. Catuli, qui de Cimbris tri-
umphauit. *Q. Hortensius*] Qui fuit cos. cum Q. Metello
an. 684. & cum ipsi Creta, ac bellum cum Cretensibus ge-
rendum obtigisset, vrbe, ac foro, in quo dominabatur, de-
lectatus, Metello exercitum, ac prouinciam concessit. au-
ctor Xiphilinus. *Et necessarium bellum esse*] Quæ fuit pri-
ma pars confirmationis. *Et magnum*] Quæ secunda. *Et
in vno Cn. Pompeio*] Quæ tertia. *Si vni omnia*] Argumen-
tabatur Hortensius à destructione antecedentis, quæ ta-
men argumentatio non semper valet, vt si homo est, ani-
mal est: At non est homo: ergo non animal. Sed tantum,
cum antecedens conuertitur cum consequenti, vt si est
homo, est aptus, & natus ad ridendum: At non est homo:
ergo non est aptus, & natus ad ridendum. Valet vero sem-
per argumentatio à positione antecedentis, vt si est homo,
est animal: At est homo: ergo est animal. Quemadmodum
etiam Cicero contra Hortensium argumentatur; Si vni
omnia tribuenda sunt, vnus dignissimus est Pompeius. At
ad vnum omnia deferri oportet: ergo vnus dignissimus est
Pompeius. *Quid tum per Deos*] A pernicioso. *Hoc orbis ter-
ra imperium*] Ea fuit imperij Rom. amplitudo, vt ab V. C.
vsq; ad an. 705. quo dictator Cæsar libertatem oppressit,
ab Hispania vlteriore in Occidente vsq; ad Euphratem in
Oriente pertineret; ac præter Italiã, quæ intra annos 500.
tota subacta est, quindecim prouincias complecteretur,
Siciliam, Sardiniam, Galliam Cisalpinam, Galliam Trans-
alpinam, Hispaniam citeriorem, Hispaniam vlteriorem,
Illyricum, Africam, Macedoniam, Asiam, Pontum, Cili-
ciam, Syriam, Cretam, Cyprum. Augustus deinde Romani
imperij limites constituit à Septemtrione Danubium, ab

Oriente Euphratem. Traianus vero trans Danubium Daciam, trans Euphratem Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam adiecit vsq; ad Tigridem imperij Rom. & Persarum communem limitem. *Appiaiam Via*] Ab Appio Claudio Censore munita. *Bono te animo*] Permissio. *Quo mihi etiam*] Ab indignitate. *Spero consules*] M Lepidum, & L. Tullum an. 687. *Si quid de eo factum esset*] Si contigisset eum mori. *Punicum*] Quo Carthago est deleta. *Hispaniense*] Quo Numantia est euersa. *Ab eodem Scipione*] Cum Scipio nullum adhuc in vrbe magistratum cepisset, Æditlitatem autem Curulem petiturus in campum descendisset, populus eum non Ædilem, sed consulem creauit. Itaq; fuit consul cum Liuio Druso an. 606. & fuit Pauli Æmylij filius, adoptatus a P. Cornelio Scipione Africani filio, vnde ipse Africanus minor, & Æmylianus appellatus est. An. 607. de Carthagine deleta triumphauit. Rursus factus est consul cum C. Fuluio Flacco an. 619. solutus lege, non ætatis, vt ait Appianus (erat enim tunc annos quinquaginta natus: & legitimus capiendo consulatui annus erat quadragesimus tertius) sed ea lege, quam Cato suaserat; Ne quis iterum consul fieret. An. 621. de Numantia euersa triumphum egit. *In vno C. Mario*] Qui fuit septies consul annis 646. 649. 650. 651. 652. 653. 667. Et factus est consul II. duabus legibus solutus; vna, quod absens erat: altera, quod ante tempus, quo ei per legem iterum capere consulatum liceret. Sic etiam tertium, quartum, quintum, & sextum consulatum continuauit. *Cum Iugurtha*] Numidiæ Rege, de quo triumphauit an. 649. *Cum Cimbris*] Quos ab extremis Galliæ profugos, cum terras eorum inundasset Oceanus, nouas sedes toto terrarum orbe quæsisse, narrat Florus; quosq; Germanos esse ex iis, qui ad Septemtrionalem Oceanum incolunt, Romani arbitrabantur, quod Germanorum lingua prædones Cimbri appellarentur, vt scriptum reliquit Plutarchus in Mario. de his triumphauit Marius an. 652. *Cum Teutonis*] Quibus Cimbri in Galliam reuersi se coniunxerunt. *Difficile Reip. tempore*] Explicat Manutius; Italico bello periclitante Rep. intelligens bellum Cinnanum: sed in eo bello Pompeius non duxit exercitum. Quare ego intelligo difficile tempus belli Syllani.

Syllani. *Cuius à senatorio gradu*] Ætas senatoria eadem prope fuit, ac Quæstoria, annorum 27. *Siciliam permitti*] Contra Perpernam, & Carbonem. *Atq; Africam*] Contra Domitium, & Africæ Regem Hiarbam. *Equitem Rom. triumphare*] Ex Africa. *Cum duo consules*] M. Æmylius, & D. Brutus, an. 676. *Ad bellum*] Contra Sertorium. *Vllum alium magistratum*] Quæsturam, Ædilitatem, Præturam. *Ex S. C. triumpharet*] Ex Hispania. *Hoc anno*] Quo missus est Glabrio. *P. Seruilius*] Qui fuit consul cum Appio Claudio an. 674. & triumphauit ex Cilicia, & bello Piratico an. 679. ac Isauricus appellatus est ab Isauro arce Ciliciæ euersa. *C. Curio*] Qui fuit consul cum Cn. Octauio an. 677. De his consulibus mentionem facit Cicero in Bruto sic; Cn. Sicinius cum Tribunus pl. Curionem, & Octauium consules produxisset; Curioq; multa dixisset sedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat fasciis, & multis medicamentis propter dolorē artuum delibutus; Nunquam, inquit, Octaui, collegæ tuo gratiam referes; quod nisi se suo more iactauisset, hodie te istic muscæ comēdissent. *Cn. Lentulus*] Qui fuit consul cum L. Gellio an. 681. *C. Cassius*] Qui fuit consul cum M. Lucullo an. 680.

XII.

IN PERORATIONEM ORATIONIS PRO LEGE MANILIA.

QVatuor sunt munera perorationis; tum vt orator pararet auditorē erga se bene, in aduersariū male; quemadmodum Cicero bene erga se constituit C. Manilium, laudans eius legem, voluntatem, & sententiam: tum vt impellat animum auditoris ad affectum; quemadmodū Cicero mouet spem in Manilio, qui cum auctorē populum Rom. haberet, poterat manere in sentētia, nec cuiusquam vim, aut minas pertimescere: tum vt amplificet; quemadmodum idem amplificat commoda huius causæ, quod Manilius non solum ipse habeat satis animi, & constantiæ, verum etiam magnam multitudinem cum magno studio fauentem, & præterea ipsius Ciceronis studiū, concilium, laborem, ingenium, potestatem: tum, vt renouet memoriam; quod ipse hoc in loco non facit, quia pluribus huius

orationis in locis id fecit; vt in prima parte confirmationis; Quare videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum Rep. defenduntur. & in fine secundæ partis; Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset, genere ipso necessarium, magnitudine periculosum, & in fine tertiæ partis; Quare, cum & bellum ita necessariũ sit, vt negligi non possit, ita magnum, vt accuratissime sit administrandum, & cum ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna; dubitabitis Quirites, & C. *Qui omnium mentes*] Pie loquitur de diis, quod pertinet ad probitatem moratæ orationis; quæ etiam exprimitur ibi; Innocentia tecti pellemus.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS VIGESIMVS SECVNDVS.

IN ORATIONEM CICERONIS PRO P. SEXTIO.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



LIBI notaui erratũ Pauli Manutij, qui scribit accusatum Sextium hoc nomine, quod, cum ageretur de reuocando Cicerone ab exilio, inter eos, qui Ciceroni fauebant, & Clodianos magna pugna armatis vtrinque hominibus commissa esset. At non apparet eo nomine accusatum. Immo ponitur pro confesso, eo die nõ pugnasse Sextium, & aperte legitur in narratione; Nihil criminationis esse in Sextiũ

de eo

eo die:& Sextium sine vlla controuersia eo die quietum fuisse: nec dicere accusatorem, eo die Sextium cum multitudine, & cum præsidio fuisse. Præterea scribit, cum in hac causa sit absolutus, eum exulasse, quod à Pompeio aduersus Cæsarem stetisset. At constat eum à diuersis iudicibus fuisse condemnatum eo crimine, quo exulauit, ex epistola decima septima lib.5.Fam. vbi legitur, iniquitatem totius iudicij, multaq; alia Reip. vitia plus, quam causam ipsam, veritatemq; valuisse. Qui vero exularunt, quod à Pompeio stetissent, non multorum iudicum sententia condemnati, sed vnius Cæsaris voluntate exclusi fuerunt. Diligentius igitur colligenda est res, qua de agitur, in hũc modum, quod post illud tempus, quo Clodiani impetum fecerunt in Ciceronianos, cum in templo Castoris obnunciasset, & aduersatus esset Sextius consuli Metello legem quandam ferenti, inermis, & imparatus à manu Clodiana vulneratus fuit. Post vulnera vero accepta necessario se præsidio muniuit, & fuit in publico cum multitudine hominum armatorum contra legem Lutatiam. Itaq; accusatus fuit à M. Tullio Albinouano apud M. Æmyliũ Scaurum Prætorem, & ab Hortensio, ac Cicerone defensus, atque omnibus sententiis absolutus, an. vr. 697. postea vero exulauit crimine de ambitu condemnatus, de quo eum fuisse postulatum, apparet ad Q.Fr.

II.
GENVS CAVSÆ.

Quidam notant tantum genus iudiciale propter Sextij accusationem atque defensionem. Alij cum iudiciali coniungunt demonstratiuum, cum in narratione laudetur Sextius, vituperetur Clodius. Nos addimus deliberatiuum de optimatum ratione retinenda, ita tamen, vt præcipuum statuamus iudiciale.

III.
STATVS CAVSÆ.

Quidam notant statum definitiuum. Alii vero etiam obseruant iuridicialem. Nos tres alios addimus, statum quantitatis, definitiuum & negotialem. Fuisti cum multitudine hominum armatorum, & de vi teneris. Fui

cum multitudine, sed non teneor de vi; est status definitiuus parum tractatus in hac oratione, quia eum Hortensius pertractauerat. Iniuste egisti, qui cum hominibus armatis fuisti contra legem Lutatiam. Non iniuste egi, qui vitam meam necessario præsidio muniui secundum legem communem, & naturalem. Status est iuridicialis. Magnæ sunt res gestæ Sextij, magna scelera Clodij. est quantitatis status. Cum autem Cicero, qui erat de numero optimatum, contenderet se magis popularem esse quam Clodium. erat status definitiuus. Cumque quæreretur, an vtile esset tenere optimatum viam, erat status negotialis.

IIII.

ARGVMENTA.

IN statu iuridiciali perlustrandi erãt loci proprii generis iudicialis: inuestigandi loci assumpti: indagãdi loci communes: excurrendi loci communissimi, & topici. Loci proprii generis iudicialis sunt a iusto, vbi tria spectanda sunt: Qui faciant iniuriam; Quibus faciant; Quas ob causas faciant. Cum autem homines iniuste non agant ob tres caussas, fortunam, necessitatem naturæ, necessitatem violẽtiæ, & iniuste agant ob quatuor caussas, rationem commodi, consuetudinem, iram, cupiditatem: ostendi poterat Clodianos esse ex illis, qui faciant iniuriam, vt fecerant in Fabricium, Cispium, Sextium, Milonem: & Sextium esse ex illis, quibus factæ sint iniuriæ: & illos ob tales caussas fecisse iniuriam: hunc nõ fecisse. Quibus defensionibus non vtitur Cicero, fortasse, quia vsus esset Hortensius. Loci assumpti sunt illi, qui in aliquo præcipuo genere sumpti sunt ab aliis generibus: vt in genere iudiciali locus assumptus est ab honesto, & turpi proprio fine generis demonstratiui, qui tractatur in narratione huius orationis. Loci communes sunt tum a facto, vel non facto, tum a possibili, vel impossibili, tum a futuro, vel non futuro, tum a magno, vel paruo. Iam accusator argumentatus fuerat a magno, dum amplificauerat factum iniustum Sextij, qui egerat contra legem Lutatiam. Quare defensor debebat argumentari à paruo, & diminuere tale factum, quod non egisset contra legem Lutatiam, nisi necessario. Sed huiusmodi argumen-

m fortasse fuerat ab Hortensio pertractatus. Quare Cicero in primis adhibet locos quosdam Topicos, vt ab enumeratione; Fuit cum hominibus armatis Sextius, vel vt vim faceret bonis: vel malis: vel vt se defenderet. Non primum, nec secundum: ergo tertium. & à pari, & simili; Tam laudandus est Sextius, quam Milo: & eadem est vniusquè ratio. & ab adiunctis, si mali bonis, boni malis afficiuntur, adiungitur, vt non facile boni possint inueniri. In statu definitiuo optimatum vtitur loco definitionis. In statu negotiali argumentatur ab honesto, & vtili, quod honestum, & vtile sit, optimatem esse, & à minori, quod si apud alios longe à Romanorum grauitate disiunctos erant optimates, qui Remp. contra populi temeritatem defenderent, multo magis apud Romanos esse debebant.

V.

MORES.

EXprimit probitatem cum alibi, tum ibi egregie; Si qui occulte à salute nostra dissentiunt, lateant: si qui fecerunt aliquid aliquando, atq; iidem nunc tacent, & quiescunt, nos quoq; simus obliti: si qui se efferunt insolenter, & insectantur, quoad ferri poterunt, perferemus; neque quenquam offendet oratio mea, nisi qui se ita obtulerit, vt in eum non inuasisse, sed incurrisse videamur. Exprimit prudentiam maxime in distinguendis optimatibus à popularibus. Exprimit beneuolentiam, & se accommodat ad mores nobiliorum, vt ibi; Hæc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis: hæc ampla sunt, hæc diuina, hæc immortalia: hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur.

VI.

AFFECTVS.

MOuet in Clodium, & Clodianos iram, odium, stomachationem, inuidiam: in Sextium lenitatē, amorem, misericordiam: inter nobiles æmulationem.

VII.

ELOCVTIO.

IN genere iudiciali adhibetur elocutio minus exacta, quam demonstratiua, exactior vero, quam deliberatiua.

item grauis, vehemens, & incitata, qualis elocutio huius orationis videri potest.

VIII.

DISPOSITIO.

Quatuor in hac oratione partes sunt collocatæ, procœmium, narratio, confirmatio, peroratio.

IX.

IN PROOEMIVM ORATIONIS PRO P. SEXTIO.

Dvo sunt munera procœmiorum iudicialium, parare animos auditorum, & indicare finem orationis. Parandorum animorum sunt quinq; loci. Nam primo loco intuendum est in ea, quæ valent ad criminationem depellendam à reo, qui locus est à reo. Secundo, quæ valent ad criminationem obiiciendam, qui locus est ab aduersario. Tertio examinanda res, an crudelis, an infanda, an præter opinionem, an immerito, an misera, an ingrata, an noua, an quæ restitui, sanariq; non possit, qui locus dicitur a re. Quarto cogitandum, quomodo auditor possit reddi beneuolus, aut iratus, aut attentus, aut docilis, prout causa postulabit; qui locus est ab auditore. Quinto videndum, an etiam aliquid obiiciatur oratori, qui locus est ab oratore. Finis vero orationis debet indicari ita, vt seruetur breuitas, absolutio, paucitas. Debebat igitur Cicero ex primo loco parandorum animorum quærere occasionem, qua Sextium laudaret, quod pertinet ad depellendā criminationem: & ex secundo indagare, an aliquid obiicere aduersariis posset: & ex tertio inuestigare, ea, quæ ad rem pertinebant: & ex quarto exquirere, quæ ad auditorem: & ex quinto videre, an sibi aliquid obiiceretur, illudq; depellere. Postremo debebat indicare finem orationis.

Si quis antea] Ex primo loco laudat reum mouens in eum misericordiam, & dicit non esse mirandum, si pauci defendant Remp. sed potius, si quis bonus, & fortis appareat, in tanta insectatione bonorum. Exorditur autem à cretico insigni pede in principiis clausularum. *Quam Reip. consulentem*] Dichoreus est, qui in fine clausularum à Cice-

rone

tone præfertur pæani vltimo tantopere apud Aristotelem celebrato. *Mæstos, sordidatos, reos*] Vox sordidatos referenda est ad Sextium, & Milonem, non etiam ad Lentulum, vt refert Manutius, vel patrem, vel filium. Non ad patrem, quia qui sordidati appellantur, fuisse videntur in iudicio, quos vno aspectu iudices intueri poterant. Lentulus autem erat in Cilicia procos. cui vt imperium abrogaretur, legem promulgauerat C. Cato Tribunus pl. vt scribit Cicero ad ipsum Lentulum, & ad Q. Fr. Nec ad Lentulum F. qui erat in squalore, & sordibus propter eam legem, vt apparet ex epilogo orationis; quoniam iidem sordidati nominantur, qui patriam liberarint; idq; intelligi de adolescente Lentulo non potest.

Eos autem, qui omnia diuina, & humana] Ex secundo loco criminatur aduersarios, mouens in eos odium, & stomachationem. *Non solum alacres, lætosq; volitare*] De quibus alibi sic; Omitto iam Numerium, Serranum, Ælium, quisquilias seditionis Clodianæ. Sed tamen hi quoq; etiam nunc volitant, vt videtis: nec, dum vos de vobis aliquid timebitis, illi vnquam de se pertimescent. Nam quid ego de Ædile ipso loquar, qui etiam diem dixit, & accusauit de vi Milonem? *De se nihil timere*] Dichoreus.

In quo cum multa sint indigna] Ex tertio loco ostendit rei indignitatem. *Cum nihil minus est ferendum*] Dichoreus. *Per vos nobis*] Per iudices sorte eductos, vt iudicarent hanc causam cum M. Æmylio Scauro, Prætore, qui præerat iudicio de vi. Prætores enim vrbani iurati optimum quemq; in selectos iudices referebant; ex quibus sorte educebatur certus numerus iudicum, qui iudicabant cum Prætore illo, qui quæstionem exercebat. Verba Ciceronis sunt; Permanent illi soli, atq; omnia Reip. causa perferunt, qui sunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure. &, In qua ciuitate meminissem, patrem huius M. Crassi, fortissimum virum, ne videret victorem viuus inimicum, eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem sæpe hostibus obtulisset. Is fuit M. Crassus, qui postea periit in Parthis.

Et quos lapidibus] Ex quarto loco laudat auditores. *Vestra auctoritate*] Maximam præstantiam, & quidem triplicem requirit Aristoteles in iudicibus, lib. 1. Rhet. cap. 1. *Se*

oppressuros arbitrantur] Dichoreus. *Ego autem Iud.*] E. quinto loco laudat personam suam, & depellit criminationem duplicem. *Et quamquam a Q. Hortensio*] Depulsio primæ criminationis, quod videretur iniuriā facere Hortensio. *Atq; ego sic statuo, iudices*] Depulsio secundæ criminationis, quod acrius esset acturus. *In hac causa, atq; hoc extreme dicendi loco*] In Oratore ad Brutum testatur, sibi relinqui solitum esse in causis extremum dicendi locum, quod excelleret in miserationibus.

Sed quoniam singulis criminibus ceteri responderunt] Alterum munus procemij, vt indicet finem, cuius gratia oratio instituta est. *Prætermissum esse videatur*] Trochæus, & pæan tertius.

X.

IN NARRATIONEM ORATIONIS PRO P. SEXTIO.

NArratio demonstratiua est, continens laudem Sextij, & vituperationem Clodij; quæ non fit continenter, vt fieri solet in genere iudiciali, sed in partibus, ita vt singulæ res non simpliciter narrentur, sed suis amplificationibus exornentur: amplificatio enim proprium est instrumentum generis demonstratiui. Nec mirandum est, orationem esse iudicialem, & narrationem demonstratiuam. Præcipuo enim generi orationis solent alia genera seruire. Quatuor autem sunt præcipuæ partes huius narrationis; primo loco narratur præclaro parente natum Sextium: duxisse vxorem filiam C. Albini: inde L. Scipionis. Secundo loco fuisse Tribunum militarem, Quæstorem Romæ, Quæstorem Macedoniæ, Tribunum pl. Tertio loco Clodium ad plebem traductum: Tribunum pl. factum: tulisse multas perniciosas leges. Quarto loco Kal. Ian. cœptum esse agi de salute Ciceronis: 8. Kal. Febr. ingentem factam esse cædem: ex eo tempore Sextium vulneratum esse, vt postea ei necesse fuerit aliquo se præsidio munire. Proprius vero locus generis demonstratiui, ad quod hæc pars refertur, est ab honesto, quod celebratur in Sextio, & a turpi, quod in Clodio, & Clodianis. & ex communibus magis proprius est locus a magno, cum in hoc genere potissimū

res am-

res amplificentur. Quamobrem operæpretium est obseruare, quomodo Cicero singulas res, quas narrat, amplificet.

Parente P. Sextius natus est, Iud.] PRIMA PARS NARRATIONIS amplificat laudem parentis P. Sextij ab epithetis, quod esset homo & sapiens, & sanctus, & seuerus. & amplificat honorem eiusdem, qui cum Tribunus pl. primus inter homines nobilissimos temporibus optimis factus esset, reliquis honoribus non tam vti noluit, quam dignus videri. & amplificat beneuolentiam patris, & soceri Albini in Sextium, quod duobus his grauissimis antiquitatis viris sic probatus fuerit, vt vtriq; eorum & charus maxime, & iucundus esset: atque ademerit Albino soceri nomen mors filiæ, sed charitatem illius necessitudinis, & beneuolentiam non ademerit. quæ amplificatio est per ratiocinationem. Potuit is Albinus originem trahere a Sp. Albino cos. an. vr. 643. & A. eius fratre; qui minus recte se gesserunt cum Iugurtha. Sp. enim cos. a Rege corruptus bellum traxit. A. vero eius frater pro Præt. castris a consule præfectus prælio aduersus Iugurtham infeliciter gesto, pacem turpem fecit, quam seruandam non esse senatus censuit. & ab A. qui in bello Marsico, an. vr. 664. ab exercitu suo est interfectus. Amplificat præterea pietatem Sextij in socerum L. Scipionem, qui fuit cos. an. 670. & dictus est Asiaticus, & victus a Sylla cum collega Norbano. Cum enim Sylla Norbanum vicisset, ad Scipionem se conuertit, & ante prælium totum eius exercitum in deditionem accepit, vt scriptum reliquit Eutropius lib. 5. Amplificat igitur tum expressione prælectionis, quod & Massiliam statim profectus est, vt socerũ videre, consolariq; posset: tum commotione misericordiæ in ipsum Scipionem fluctibus Reip. expulsum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum suorum vestigiis stare oportebat. *Possum multa dicere*] SECVNDA PARS NARRATIONIS amplificat per congeriem, & per incrementum a minoribus ad maiora. Qua vero in prouincia fuerit Tribunus mil. Sextius, non constat, & amplificat materiam Quæsturæ, quam gessit Romæ, a multis, quæ detulit Ciceroni de coniuratione Catilinaria, cuius esse particeps Antonius cos. collega Ci-

ceronis putabatur. & per comparationem a pari, quod si in collega sustinendo, atq; moderando Ciceronis in illum indulgentiam cōiunctam cum summa custodia Reip. laudare vere solebant, par prope laus P. Sextij esse debebat, qui suum ita consulem obseruauit, vt & illi Quæstor bonus, & omnibus optimus ciuis videretur. & per enumerationem rerum gestarum P. Sextij; qui egregiam operam nauauit Capuæ: accersitus Romam Q. Metelli Nepotis, atque aliorum Tribunorum pl. reliquosq; coniurationis impetus, & conatus retardauit: ad excitandum, cohortandum, impellendum Antonium Petreio adiutor fuit contra Catilinam. & amplificat materiam Quæsturæ, cum fuit Quæstor eiusdem Antonij in Macedonia, qui male ibi rem gessit, reuersus an. *694*. & quidem amplificat per incrementum, quod ipse Cicero viderit in Macedonia prouincialis illius integritatis vestigia non pressa leuiter ad exigui prædicationem temporis, sed fixa ad memoriam illius prouinciæ sempiternam, & amplificat materiam Tribunatus, quem gessit Sextius eo anno, quo Cicero est restitutus, a metaphora mollita, dum dicit eum quodammodo absorbere orationem suam: & a digna tractatione Q. Hortensij: & a necessitate, quam ipse habet dicendi de tali Tribunatu, quod totus nihil aliud, nisi ipsius nomen, causamq; sustinuerit. Vbi adhibita morata oratione præclare exprimit modestiam, quod de illo Tribunatu sibi esset si non subtilius, quam Hortensius fecisset, disputandum, ac certe dolentius deplorandum: & probitatem tum de illis, qui occulte a salute eius dissentiebant, tum de illis, qui fecerant aliquid aliquando, atq; iidem tacebant, & quiescebant; tum de illis, qui se offerrent insolentius, & insectarentur: & prudentiam, vt antequam de Tribunatu P. Sextij dicere inciperet, totum superioris anni Reip. naufragium exponeret, in quo colligendo, ac reficienda salute communi omnia reperirentur P. Sextij dicta, facta, consilia versata. *Fuerat ille annus in Reip. magno motu*] IN TERTIA PARTE NARRATIONIS primo loco amplificat traductionem Clodij ad plebem per incrementum, quod ille annus, cum illa traductio facta est, fuisset tanquam intentus arcus in vnum Ciceronē, sicuti vulgo ignari rerum loque-

loquebantur, re quidem vera in vniuersam Remp. propter furibundum hominem, ac perditum traductũ ad plebem, Ciceroni iratum, sed multo acrius otij, & communis salutis inimicum. illi traductioni fauit Cæsar, quem offenderat Cicero in iudicio Antonij de repetundis. & amplificat pollicitationẽ Clodij etiam per incrementum, quod eum Pompeius omni cautione, fœdere, execratione deuinxisset, nihil in Tribunatu contra Ciceronem esse facturum, & amplificat violationem eius, quod promissum fuerat, quoniam ille nefarius ex omnium scelerũ colluuione natus parum se fœdus violaturum arbitratus esset, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis propriis periculis terruisset. & amplificat impedimenta, quibus solutus est a Cæsare, quod illam tetram, immanemq; belluam vinctam auspiciis, alligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum catenis, soluerit subito legum vinculis consul Cæsar, vel exoratus, vel Ciceroni iratus, ignarus quidem certe, & imprudens imprudentium tantorum scelerum, ac malorum. Itaque caute loquitur de Cæsare, quod pertinet ad prudentiam moratæ orationis. & diminuit opes Clodij, quod fuerit Tribunus pl. felix in euertenda Rep. nullis suis neruis, homo fraternis flagitiis, sororiis stupris, omni inaudita libidine infamis: sed Reip. fortuna fatali, & diminuit dignitatem consulum, quibus Clodius fuit Tribunus pl. cæcus, atq; amens, quod nomine consulum non essent appellandi euersores imperij, proditores publicæ dignitatis, hostes bonorum omnium, qui ad delendum senatum, affligendum equestrem ordinem, extinguenda omnia iura, atq; instituta maiorum se illis fascibus, ceterisq; insignibus summi honoris, atq; imperij ornatos esse arbitrarentur. *Quorum per Deos immortales*] Secundo loco amplificat scelera illorum consulum a vultu, atq; incessu ipsorum, quod facilius facta talium hominum possent occurrere mentibus, si ora ipsa oculis proposita fuissent. Quandoq; enim oratores argumentantur ab habitudine corporis, vt Cicero pro Q. Roscio Comœdo de C. Fannij moribus ad hunc modum; Oro, atq; obsecro vos, faciem huius considerate. nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem

videntur? nonne ab imis vnguibus vsque ad verticem summum, si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, dolis, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? qui idcirco capite, & superciliis semper est rasis, nevllum pilum viri boni habere dicatur. Sic hoc in loco argumentatur ab habitudine corporis Gabinij, & Pisonis. & primum ponit descriptionem personæ Gabinij, in quo notat sex. 1. Quod esset vnguentis affluens. 2. Quod calamistrata coma. 3. Quod despiceret conscios stuprorum, ac veteres vexatores ætatulæ suæ. 4. Quod puteali, id est, basilica a Scribonio Libone facta, vbi causæ funebres agebantur, & eorum iudiciorum ministris, vt scribis, viatoribus, rabulis, & fœneratorum gregibus, inflatus esset, id est, tali comitatu maxime sibi placeret. alij legunt inflammatus. alij infractus. alij infrictus, cum præsertim addatur, atq; perculsus. 5. Quod olim, ne Scyllæo æris alieni in freto ad columnam adhæresceret, in Tribunatus portum profugisset. 6. Quod in consulatu cõtemneret equites Rom. minitaretur senatui, venditaret se operis, atq; ab iis se ereptum, ne de ambitu causam diceret, prædicaret; ab iisdemq; se, etiam inuito senatu, prouinciam sperare diceret; eamq; nisi adeptus esset, se incolumem nullo modo fore arbitraretur. Deinde ponit descriptionem personæ Pisonis; in quo notat septem. 1. Quod esset teter, & obscurus, cum Gabinius esset nitenti vultu, & cerussatis buccis. 2. Quod truculentus, & horridus, cum Gabinius iucundus. 3. Quod terribili aspectu, cum Gabinius aspectu benigno. 4. Quod videretur vnus e barbatis illis, id est, veteribus Rom. qui barbam aluerunt vsque ad annum 454. quo tempore primum tonsores Romæ adhibiti sunt. auctor Plinius lib. 7. cap. 59. Africanus radebatur quotidie. Postea institutum est, vt tantum senes raderentur, barbam alerent iuuenes. 5. Quod esset vestitu aspero. 6. Quod capillo ita horrido vt odisse vnguenta videretur, ideoque sublaturus putaretur seplasiam plateam Capuæ, in qua ipsa vnguenta venibant. 7. Quod supercilio, tanquam pignore Reip. quo ipsa Resp. tãquam Atlante cœlum niti videretur. Addit præterea Prosopopœiam. *Atque eorum alter fefellit neminem*] Tertio loco amplificat factum Gabinij

binij per allegoriam, quod nemo clauum tanti imperij tenere, & gubernacula Reip. tractare in maximo cursu, ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum, ac stuprorum, vino, ganeis, lenociniis, adulteriisq; confectum; cum is præter spem in altissimo gradu alienis opibus positus esset, qui non modo tempestatem intueri impendentem temulentus, sed ne lucem quidem insolitam aspicere posset. & amplificat factum Pisonis, qui multos fefellit propter nobilitatem suam; adhibita pulcherrima sententia cum epilogo, de nobilitate; & adhibita notatione, atq; animaduersione nominis, quod essent de familia Pisonum, qui dicebātur Frugi; & expressa opinione sua, quam superauit Piso, etiam si nequam existimaretur, & coniecturæ fierent de eius nequitia primum ex genere vitæ, desidia, inertia: deinde ex obseruatis eius libidinibus: deniq; ex sermone; dum laudaret Epicureos, quamuis eos nominare nesciret, ceteros vero philosophos sperneret. Ac Epicurei quidem omnia reuocabant ad voluptatem, quam Cleanthes pingere solebat in tabella, ita vt ipsa pulcherrimo vestitu, ac ornatu regali in solio sederet, eiq; præsto essent virtutes, vt ancillulæ, quę nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi vt voluptati ministrarent. Dicebant sapientes omnia sua causa facere: definiebant enim sapientiam cognitionem eorum, quæ ad propriam voluptatem vtilia essent. Putabant Rempub. capessere hominem bene sanum non oportere: quia, qui capessunt Remp. eis multi labores, & vigiliæ suscipiendæ sunt, & mors etiam quandoq; oppetenda est; quod videtur esse contra voluptatem. Denique affirmabant, nihil esse præstabilius ociosa vita, & plena, & conferta voluptatibus: nam duplex est vita, vna ociosa, altera negociosa. Vel triplex est vita, quæ maxime excellit, vt tradit Arist. lib. 1. Ethic. vna voluptaria: altera ciuilis: tertia in contemplatione posita. Contra vero senserunt Academici veteres, Peripatetici, & Stoici, qui felicitatem posuerunt non in voluptate, quæ communis est homini cum bestiis, sed vel in bonis animi, corporis, & externis, vel in sola virtute: & dixerunt, tum officij rationem in omni vita, non commodi esse, ducendam; quod alioqui tolleretur

vera amicitia, cum duplex sit amicitia, vna vera, altera adumbrata, vt docet Arist. lib. 8. Eth. tum Reip. consulendum; nam prima diis immortalibus, secunda patriæ, tertia parentibus, deinde gradatim reliqua reliquis debentur, vt tradit Cicero in fine lib. 1. Offic. tum subeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam; nihil enim turpius est nimio ocio, maxime cum patriæ aliquod adiumentum afferri potest. *Sedita est, Iud.*] Quarto loco amplificandi causa vtitur hac parabola, non oportere armari eneruatos, & exangues homines imperio consulatus: simile enim esse, ac si detur gladius paruo puero, aut imbecillo seni, aut debili, qui cum impetu suo nemini nocere possit, tamen si ad nudum corpus etiam fortissimi viri accesserit, poterit acie ipsa, & ferri viribus vulnerare. Parabola autem est exemplum fictum ex verisimilitudine: & differt ab exemplo rei factæ, quia illud continet rem veram: hæc rem fictá: ac differt a logo, seu apologo, quia ille continet rem non verisimilem: hæc verisimilem. auctor Arist. lib. 2. Rhet. & amplificat factum consulum a malis conditionibus facti fœderis cum Tribuno pl. Clodio in eos, qui sine iudicio populi Rom. ciuem Rom. necassent, vt Gabinio Syria, Pisoni Macedonia committeretur, & ipsis consulibus daretur, quantum exercitum, quantamq; pecuniam vellent. & a persona Ciceronis, in quem potissimum fœdus factum erat propter coniuratos Catilinæ in consulatu eius indicta causa necatos. & a tempore, quo promulgatæ sunt rogationes, & leges a Clodio Tribuno pl. de pernicie Ciceronis, & prouinciis consulum. Ac leges quidem Clodij fuerunt. 1. Vt frumentum gratis daretur. 2. Ne auspicia valerent per eos dies, quibus cum populo agi liceret; quod erat contra legem Æliam Fusiam. 3. Vt collegia restituerentur, quę senatus sustulerat, id est, infimorum hominum conuentus, qui idcirco sublati sunt præter paucos, quia hominum humilium coitiones in ciuitate satis tutæ non videbantur. 4. Vt potentia censorum infirmaretur. 5. Vt Cyprus insula in prouinciæ formam redigeretur, ac bona Regis Ptolemæi publicarentur, idq; negociũ M. Catoni mandaretur. 6. De Ciceronis exilio. 7. De prouinciis consulum, Syria Gabinij, Macedonia Pisonis.

Hic

Hic tum senatus solicitus] Quinto loco amplificat a partibus ad totum, quod tunc senatus solicitus, equites excitati, Italia cuncta permota, omnes deniq; omnium generum, atq; ordinum ciues summæ Reip. a consulibus, atq; a summo imperio petendum esse auxilium arbitrarentur. & per metaphoram, & incrementum, quod duo Reip. turbines non modo præcipitanti patriæ non subuenirent, sed etiam nimium tarde concidere mœrerent. & a nouitate rei, quod pro salute Ciceronis boni omnes priuato consensu putarunt vestem mutandam, & vniuersus senatus publico consilio per L. Mummium. *Hac mutatione vestis facta*] Sexto loco amplificat orationem Gabinij per comparationem, quod talem orationem habuerit, qualem nunquam Catilina victor habuisset, & amplificat factum eiusdem per incrementum, quod cętera fuerint ei cum collega immani, impuroq; coniuncta, atq; communia, hoc vnum habuerit proprium, quod edixit, vt L. Lamia ab vrbe abesset millia passuum ducenta, quia esset ausus pro Cicerone deprecari. & per comparationem, quod si nihil acerbius socij Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perraro accidit, ex vrbe exire a consulibus iuberi, etiamsi illis tunc esset reditus in suas ciuitates, ad suos lares familiares, & in illo communi incommodo nulla in quenquam propria ignominia nominatim caderet: multo acerbius debuit esse, exterminari ciues Rom. edicto consulis a suis diis penatibus, expelli a patria, deligi eius arbitrio, damnari, atq; eiici nominatim. & per ratiocinationem a cõsequenti, quod si iudicia, aut omnino imaginem, aut simulacrum vllum iudiciorum fore credidisset, in Remp. non tam nefarie peccasset: At peccauit: Ergo illa non credidit. *Etsi me attentissimis animis*] Septimo loco, se excusat, quod vtatur longa, & alte repetita oratione: affert causam, quod sibi sit propositum explicatis Reip. temporibus explicare consilia Sextij, vt mederetur ipsi Reip. in Tribunatu: se excusat, quod de se ipso plura dicturus sit: affert causam, quod necesse sit id facere: amplificat factum consulum, qui maxima cum indignitate edixerunt, vt senatores ad suum vestitum redirent. *Iidem consules (si appellandi sunt consules*] Octauo loco amplificat mala inuecta in Remp. per nota-

tionem, quod non fuerint veri consules: & per enumerationem eorũ, quæ facta sunt, quod in circo Flaminio consules comprobauerint, quæ dixerant contra Ciceronem: quod lex lata sit, Ne auspicia valerent: quod delectus seruorum habitus sit: quod in templum Castoris arma comportata sint. *Quæ cum essent eiusmodi, Iud.*] Nono loco amplificat mala ipsius Reip. subiiciens ea ante oculos breui repetitione: atq; incipit exponere rationem consilij sui, cur furori cesserit Clodiano. *Quid enim simile fuit in Q. Metello?*] Decimo loco amplificat per collarionẽ sui cum Q. Metello, ratiocinando a differentia, & dissimilitudine, quod non erat discedendum Ciceroni, vt fuerat Q. Metello an. vr. *662.* nam Metelli causam senatus publice non susceperat: at Ciceronis causam senatus, equester ordo, cuncta Italia publice susceperat. illi res erat cum exercitu C. Marij inuicto, cum ipso Mario, conseruatore patriæ, sextum consule, cum L. Saturnino iterum Tribuno pl. homine vigilante: huic res erat, non cum C. Mario, sed cum duobus contemptissimis consulibus, non cum L. Saturnino, sed cum Tribuno pl. Clodio, omnium hominum nequissimo, atq; turpissimo. ille, si pugnare voluisset, aut ipsius interitum ex inimicorum victoria, aut, si ipse vinceret, magnam Reip. calamitatem e fortissimorum virorum cæde prospexisset: hic, si contemptissimos consules, & nequissimum, atque turpissimum Tribunum pl. occidisset, nemo neq; eius factum reprehendisset, neq; illorum morte mœreret. *Sed me illa mouerunt*] Vndecimo loco amplificat Cicero mirabiliter rationem facti, & consilij sui, cur sibi discedendum putarit; primum, quod desertus esset a Cæsare, Crasso, Pompeio. *Contenderem contra Tribunum pl. priuatis armis?*] Deinde, quod nihil profecturus esset, si contendere voluisset. *Vnum enim mihi restabat illud*] Præterea, quod ei pro patria fugienda fuisset dimicatio. *At mihi ipsi, vt quidam putant, fuit mors*] Tum quia non fugisset mortem, sed secutus esset publicam vtilitatem. *Memineram, Iud. diuinum illum virum*] Inde, quia secutus esset exemplum C. Marij, quocum pulcherrime confertur. *Quare moneo vos*] Postremo quia ipsi euenisset illud, quod nunquam amplius euenire posse videretur. *Sed vt reuertar ad*

ar ad illud, quod mihi in hac omni est oratione propositum] Duodecimo loco, cum eo ipso die, quo abiit Cicero, lata sit lex de consulum prouinciis, amplificat a tempore, quod ne noctem quidem consules inter eius discrimen, & ipsorum prædam interesse passi essent. *Omitto gratulationes*] Per Præteritionem. *Vexabatur vxor mea*] Per enumerationem incommodorum ipsius Ciceronis. *Legum multitudinem cum earum*] Per enumerationem incommodorum publicorum. *Etiam exteras nationes illius anni*] Per enumerationem incommodorum, quæ exteris nationibus euenerunt. Vbi de Ptolomæo adhibetur amplificatio per comparationem, non vt falso notat Paulus Manutius, a maiori ad minus, sed a minori ad maius, quod si Antiocho, & Tigrani, qui hostes fuerunt populi Rom. regnum conseruatum est a Romanis, multo magis Ptolomæo, qui semper socius, semper amicus fuit, debuit conseruari. *At etiam eo negotio*] Decimo tertio loco, cum Regiæ gazæ vendendæ, & pecuniæ deportandæ M. Catonem lege lata Clodius præfecisset; non vt Catonem ornaret; sed partim vt virum fortissimum, & improbis ciuibus infensum a Rep. remoueret, partim vt si quis deinde legem illam de Cypro publicata vellet accusare, socium, ac defensorem haberet M. Catonem, vtpote qui eius negotij particeps fuisset: dicit nunc Clodium eo negotio maculare voluisse M. Catonis splendorem; idq; amplificat a sententia de virtute, quam Clodius, & Clodiani ignorauerunt: & ab opinione illorum qui curarunt Catonem in Ægyptum mittendum: & a dicto: & a ratiocinatione de libertate Catonis: & ab altera ratiocinatione, quod Cato noluerit se offerre illis temeritatibus, cuius tamen in sententiam facto S.C. coniurati Catilinæ sunt necati. *His de tot, tantisq; iniuriis*] Decimo quarto loco amplificat silentium consulum in illis plurimis, maximisq; iniuriis, ab amplitudine consulum, in cuius magistratus tutela Reges, atq; exteræ nationes semper fuerunt: & a maiori, quod si Romani questi non sunt de Cicerone, multo minus queri debebant de Cyprio Rege: & a toto ad partes ibi; Quæ vero promulgata illo anno fuerunt, quæ promissa multis, quæ conscripta, quæ sperata, quæ cogitata, & cetera. *Hæc gemebant boni*] Decimo

quinto loco amplificat per congeriem. *Hic aliquando*] Excusat Pompeium. *Non est passus ille vir*] Enumerat res gestas Pompeij. *Referente L. Mummio*] Laudat L. Mummium a fide, & virtute. *Intercessit Ligus*] Diminuit intercessionem. *Res erat, & causa nostra*] Ratiocinatur rem meliori loco esse cœpisse. *Cum hac non possent iam diutius sustineri*] Amplificat consilium initum de interitu Cn. Pompeij. *Nam ex nouem Tribunis*] Vituperat Ælium Ligurem. *Princeps P. Lentulus*] Laudat Lentulum. *Hoc interim tempore*] Laudat Sextium. *Abiit ille annus*] IN QVARTA PARTE NARRATIONIS vituperat consules, qui appellantur per translationem duo vulturij paludati. *Ex his primus emitur*] Vituperat Num. Quinctium, & Serranum. *Quæ virtus, actio, grauitas*] Laudat Lentulum, Metellum, Cottam, Pompeium. *Surrexit, vt scitis*] Vituperat Atilium Gauianum. *Quietus eo die Sextius*] Paulo post; Nihilq; neque ante hoc tempus, neque hoc ipso turbulentissimo die criminationis esse in Sextium. & inferius; Hic iam de ipso accusatore quæro, qui P. Sextium queritur cum multitudine in Tribunatu, & cum præsidio magno fuisse, num illo die fuerit? certe non fuit. Quæ loca si obseruasset Paulus Manutius, non scripsisset in argumento accusatum fuisse Sextium eo nomine, quod 8. Kal. Febr. inter eos, qui Ciceroni fauebant, & Clodianos magna pugna armatis vtrinque hominibus commissa esset: quietus enim fuit eo die Sextius: nihilq; criminationis est in Sextium de eo die: nec cum multitudine, seu præsidio magno fuit eo die. *Quid illi, quorum consilio*] Amplificat crudelitatem Clodianorum. *Atqui vis in foro*] Amplificat cædem comparans cum aliis. *Nullo vero verbo facto*] A nouitate. *An verisimile est*] A parum verisimili. *Et victa non auspiciis*] A diuisione: lex enim vel auspiciis, & intercessione impeditur: vel suffragiis antiquatur: vel vi, manu, ferro oppugnatur. Et impediendæ legis duo genera sunt legitima, obnunciatio, & intercessio. Vis enim non est genus legitimum. *Gladiatores in nouitios*] Criminantem recriminatur. *Et causam dicit Sextius de vi?*] Mouet misericordiam. *Hic quæro, Iud.*] Ab animaduersione rei fictæ. *Cuius igitur mortem*] A minori. *At vero ipsi parricidæ*] Amplificat scelus Clodianorum.

XI.

XI.

IN PRIMAM PARTEM CONFIRMATIONIS PRO P. SEXTIO, & in ſtatum iuridicialem.

CVm aduerſarij accuſarent Sextium, quod fuiſſet cum multitudine hominum armatorum, defendebatur Sextius, quod neceſſario ſe præſidio muniuiſſet; & erat ſtatus iuridicialis; in quo ſtatu argumentatur Cicero ab enumeratione, quod fuit Sextius cum hominibus armatis vel vt vim faceret bonis, vel vt vim faceret malis, vel vt ſe defenderet; Homines, inquit, emiſti, coegiſti, paraſti. *Quid vti faceret?*] Prima pars aſſumptionis, Non vt vim faceret bonis, vt fecerat Clodius, cuius octo iniuſtiſſima facta ſignificantur. *1. Senatum obſideret?*] Vt Clodius in conſulatu Piſonis, & Gabinij cum armatis ſatellitibus curiam circumſtans omnia metu repleuerat. auctor Plutarchus in Cicerone. *2. Ciues indemnatos expelleret?*] Vt Clodius expulerat Ciceronem. *Bona diriperet*] Vt Clodius diripuerat bona Ciceronis. *Ædes intenderet*] Vt Clodius domum Ciceronis in Palatio incenderat. *Tecta diſturbaret?*] Vt Clodius diſturbauerat tecta Ciceronis. *3. Templa Deorum immortalium inflammaret?*] Vt Clodius templum Nympharum incenderat, vt publicæ recenſionis memoriam tolleret. vt conſtat pro Mil. & pro Cæl. *4. Tribunos pl. ferro ex roſtris expelleret?*] Vt Clodius Q. Fabricium expulerat. *5. Prouincias, quas vellet, quibus vellet, venderet?*] Vt Clodius vendiderat Macedoniam Piſoni, Syriam Gabinio. *6. Reges appellaret?*] Vt feciſſe Clodium ſupra dictum eſt. *7. Rerum capitalium condemnatos in liberas ciuitates per legatos noſtros reduceret?*] Vt Byzantios exules reſtituerat Clodius. *8. Principem ciuitatis ferro obſeſſum teneret?*] Vt Pompeium Damio Clodij libertus obſederat. *At nondum erat maturum*] Altera pars aſſumptionis; Non, vt vim faceret malis, etiam ſi multæ occaſiones oblatæ eſſent. *Pulſi nos eramus*] Prima occaſio. *Captum erat forum*] Secunda. *Omnia hominum*] Tertia. *Magiſtratus templis*] Quarta de Fabricio, & Ciſpio, vt in narratione dictum eſt. *Gladiatores ex pratoris comitatu*] Ap. Claudij pulchri. & fuit quinta occaſio. *Forum corpora-*

bus] Sexta, cum impetus factus est in Fabricium. *Tribunus pl. plus viginti vulneribus*] Septima, cum ipse Sextius est vulneratus. *Alterius Tribuni pl.*] Octaua, cum Milonis domus est oppugnata. *Et tu hoc loco laudas Milonem*] Altera argumentatio est a simili, vel a pari, vt laudandus fuit Milo, ita etiam Sextius. Vel tam vnus, quam alter. Laudandus enim fuit Milo, qui se defendit, & propter domũ suam oppugnatam de vi Clodium accusauit. Clodius tamen illud iudicium vitauit petitione Ædilitatis, & creatus Ædilis ipsum Milonem accusauit de vi, an. vr. 697. *Quomodo igitur in hoc genere præsidij comparati accusas Sextiũ, cum idem laudas Milonem?*] Hæc repugnant inter se laudare Milonem, & accusare Sextium in eodem genere præsidij comparati. *O dij immortales*] Tertia argumentatio est ab adiunctis, Si mali bonis, boni malis afficiuntur, adiungitur, vt non facile boni possint inueniri. Ponitur prima conclusio, Non facile bonos inueniri posse. *Cum sciat illa duo Reip. pene fata Gabinium, & Pisonem*] Ponitur deinde assumptio, quod mali bonis, & boni malis afficiuntur: nempe bonis, Gabinius, qui præerat Syriæ, cuiusq; tria facta commemorantur: & Piso, qui præerat Macedoniæ, cuiusq; sex facta enumerantur: & Numerius, & Serranus, & Ælius: & Clodius. malis vero Milo, & Sextius, qui accusabantur.

IN SECVNDAM PARTEM CONFIRMATIONIS PRO P. SEXTIO, ET in statum definitiuum.

CVm accusator arrepta occasione ex eo, quod Miloni per Senatus & optimatum auctoritatem nõ licuisset Clodium accusare, quæsisset de Cicerone, quænam esset optimatium natio; & Cicero, qui erat de numero optimatum, contenderet, se esse magis popularem, quam Clodium: status erat definitiuus. dum quæreretur, qui essent vere optimates, & qui populares, per definitionem. *Duo genera semper*] Diuidebantur ciues Rom. tribus modis; aut ex ordinibus, vt alii essent ordinis Senatorii, alii ordinis equestris, alii ordinis plebeii: aut ex magistratuũ imaginibus, vt alii essent nobiles, alii ignobiles, alii noui: aut ex factio-

factionibus, vt alii haberentur optimates, alii populares. *Qui ea, quæ faciebant, quæq; dicebant*] Declarantur primo loco optimates, & populares ab etymologia, seu notatione, vt illi dicti sint ab optimo quoque, cui sua consilia probari volebant: hi a multitudine populari, cui sua facta, suaque dicta accommodabant. *Quis ergo iste optimus?*] Secundo loco declarantur optimates a partibus; vt partim sint principes concilii publici, quales erant consules: partim, qui eorum sectam sequuntur, vt nobiles: partim maximorum ordinum homines, quibus pateret curia, vt senatores, & equites: partim municipales, vt homines ex municipiis: partim rustici Romani, qui agros tenerent, aut colerent: partim negotia gerentes, vt mercatores in prouinciis: partim libertini, qui essent ciues Romani. *Omnes optimates sunt*] Tertio loco declarantur optimates a repugnantibus, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi: nec furiosi: nec malis domesticis impediti: quique horum voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Rep. seruiunt. *Quid est igitur propositum?*] Quarto loco declarantur optimates a caussa, quæ dicitur finis, nimirũ quibus est propositum id, quod est præstantissimum, maximeque optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate otiũ. *Huius autem ociosæ dignitatis*] Ociosa dignitas tuenda est, cuius membra enumerantur quatuordecim. 1. religiones. 2. auspicia. 3. potestates magistratuum. 4. senatus auctoritas. 5. leges. 6. mos maiorum. 7. iudicia. 8. iurisdictio. 9. fides. 10. prouinciæ. 11. socii. 12. imperii laus. 13. res militaris. 14. ærarium. *Harum rerum tot, atque tantarum*] Esse optimatem declarat magnum animum, magnum ingenium, magnam constantiam. *Etenim in tanto ciuium numero*] Enumerantur illi, qui optimatibus opponuntur. *Qui, aut propter metum pœnæ*] Qui nocentes sunt, naturaque improbi. *Aut qui propter insitum quendam animi furorem*] Qui furiosi sunt. *Aut qui propter implicationem rei familiaris*] Qui sunt malis domesticis impediti. *Qui cum auctores*] Adhibentur pulcherrimæ metaphoræ, fluctus, gubernacula, fundamenta, membra, tenere cursum, capere portum. *Hanc viam, Iud.*] Ostenditur esse difficile tenere viam optimatium. *Maioribus præsidiis, & copiis*] Argu-

mentum ducitur a differentia, quod non sit eadem ratio Reipub. oppugnandæ, ac defendendæ: maiora enim præsidia, maioresque copiæ adhibentur ad oppugnandã Rempublicam, quam ad defendendam. *Propterea quod audaces homines*] Mali sunt promptiores, quam boni. *Permanent illi soli*] Morata oratio accommodata ad M. Scaurum iudicem, cuius pater laudatur, & cognatus Q. Metellus, & ad omnes Romanos, quorũ maiores dicuntur posse afferre magnam copiam exemplorum dignam imperii gloria. *Hæc imitamini per deos immortales*] Cohortatio ad viam optimatium. *Est labor, non nego*] Sententia ex Accio poeta: vt etiam illa; Oderint, dum metuant. *Sed tamen hæc via, hæc ratio Reipub. capessendæ*] Est etiam argumentum a differentia, quod olim via optimatium magis pertimescenda fuerit, quam postea: olim enim multis in rebus multitudinis studium ad populi commodum ab vtilitate Reipubl. discrepabat. Vt in Tabellaria lege, quam ferebat Cassius de sententia non, vt antea, voce, sed per tabellas ferenda in iudicio, quemadmodum antea Gabinius tulerat de magistratibus per tabellas creandis. Vt in lege Agraria T. Gracchi de quingentis iugeribus. Vt in lege frumentaria C. Gracchi de frumento populari multitudini dando, vt in aliis multis. Postea vero non ita discrepabat præter operas quasdam hominum conductorum. *Num vos existimatis Gracchos, aut Saturninum, aut quenquam illorum veterum, qui populares habebantur*] Describuntur populares a consequentibus, non quos operæ conductorum sequuntur, sed quibus integer populus fauet sine mercede. Quo sensu contendit Cicero se magis popularem esse, quam Clodium. Quod profecto non fecisset, si populares illos esse intellexisset, quos Sigonius libr. 2. de antiquo iure ciuium Rom. cap. 21. descripsit his verbis, vt Tribunos pl. & qui eorum sectam sequuntur, id est humiles, & nullorum maiorum homines, & turbam forensem, cæterosque eiusmodi, si nocentes, improbi, furiosi, egentes, atque ære alieno obstricti sint: quibus in Rep. propositum sit nihil aliud, quam vis, & seditio: quibus nihil turpius, nihil ad tranquillitatem Reipubl. disturbandam potest esse accommodatius. *Etenim tribus locis*] Enumerantur res

tur res illæ, quibus significatur populi iudicium, & voluntas: & sunt tres, concio, comitia, consessus: vel quinque, concio, comitia legum, comitia magistratuum, consessus ludorum, consessus gladiatorum. Probatur igitur non esse populares illos, quos operæ conductorum sequantur, sed illos, quibus integer populus faueat. & quidem probatur quinque argumentis, primo ducto a concionibus: altero a comitiis legum: tertio a comitiis magistratuum: quarto a consessu ludorum: quinto a consessu gladiatorum. *Quæ concio fuit per hos annos*] Primo loco agitur de concionibus, quod conciones habitæ a Clodio de Cicerone fuerũt conductæ, & turbulentæ: concio vero habita a Lentulo de eodem Cicerone non fuit conducta, nec turbulenta: & concioni fuit pergrauis, & grata oratio Cn. Pompeii, & magno silentio sunt auditi cæteri principes ciuitatis, cum P. Seruilius dixit, opera Ciceronis Rempubl. incolumem magistratibus fuisse traditam: & L. Gellius, si Cicero Consul cum fuit, non fuisset, Rempublicam funditus interituram, & alij consulares, ac prætorij idem affirmarunt. Ergo Cicero fuit magis popularis, quam Clodius. *Venio ad comitia*] Agitur secundo loco de comitiis legum, quod minus popularis est caussa, cui faueant pauci conducti, vt cum Clodius tulit legem contra Ciceronem comitiis tributis: magis vero popularis, cui omnes, vt cum lata est lex de reuocando Cicerone ex S.C. comitiis centuriatis. Additur vituperatio Gellii, vnius de conductis a Clodio, hominis & fratre indigni, viro clarissimo, atque optimo, L. Gellio Cos. cum Cn. Lentulo an. vr. 681. & Censore an. 683. & ordine equestri, cuius ille ordinis nomen retinebat, ornamenta confecerat, & summo viro L. Philippo Vitrico, Cos. cum Sex. Iulio an. 662. tunc cum seditio Drusi commota est. Quod autem dicitur Gellium ornamenta ordinis equestris confecisse, significatur census talis ordinis, qui fuit sestertium quadringentorum millium. Quare Horatius in prima epistola scripsit:

Si quadringentis sex, septem millia desunt,
Plebs eris.

Census vero Senatorius fuit equestri maior, nimirum sestertium octingentorum millium. Ac quadringenta qui-

dem millia ſeſtertium, ſi reducantur ad numos ſcutatos Venetos, libris ſeptem ęſtimatos, valebunt vndecim millia quadringentos viginti octo ſcutatos, & libras quatuor: octingenta vero millia ſeſtertium valebunt duplum, id eſt, viginti duo millia octingentos quinquaginta ſeptem ſcutatos, & libram vnā. Apud Latinos enim omnis fere ſumma ſeſtertiis numis maſculinis expenditur. Et, vt denarius Romanus valebat duos quinarios, & quinarius ſeſtertios duos: ita ſeſtertius quadrantes Venetos duodecim, & ſeſtertium mille ſeſtertios, vel libras Romanas duas, ac dimidiam, & libra, vel mina, vel pondo denarios centum, vel ſeſtertios quadringentos. Quod vt obiter notatum eſt: ſic etiam obiter notari poteſt ratio ſeſtertiorum ad noſtratis pecuniæ æſtimationem, & ad numos ſcutatos, qui valent libras ſeptem, redactorum, & adiungi ad rationem drachmarum, quam notauimus in orationem Demoſthenis contra Aphobum.

RATIO SESTERTIORVM.

H S 10. valent Lib.	2.	
Decem. libras.	Duas.	
20.	4.	
Viginti.	Quatuor.	
30.	6.	
Triginta.	Sex.	
40. A	1.	Lib. 1.
Quadraginta ſcutatū	Vnum.	Librā vnam.
50.	1.	3.
Quinquaginta.	Vnum.	Tres.
100.	2.	6.
Centum.	Duos.	Sex.
200.	5.	5.
Ducenti.	Quinque.	Quinque.
300.	8.	4.
Trecenti.	Octo.	Quatuor.
400.	11.	3.
Quadringenti.	Vndecim.	Tres.
500.	14.	2.
Quingenti.	Quatuordecim.	Duas.

1000.

1000. Mille.	28. Viginti octo.	4. Quatuor.
2000. Duo millia.	57. Quinquaginta septem.	1. Vnam.
3000. Tria millia.	85. Octoginta quinque.	5. Quinque.
4000. Quatuor millia.	114. Centum quatuordecim.	2. Duas.
5000. Quinque millia.	142. Centum quadraginta duos.	6. Sex.
10000. Decem millia.	285. Ducentos octoginta quinque.	5. Quinque.
20000. Viginti millia.	571. Quingentos septuaginta vnum.	3. Tres.
30000. Triginta millia.	857. Octingentos quinquaginta septem.	1. Vnam.
40000. Quadraginta millia.	1142. Mille centũ quadraginta duos.	6. Sex.
50000. Quinquaginta mil.	1428. Mille quadringentos viginti octo.	4. Quatuor.
100000. Centum millia.	2857. Duo millia octingentos quinquaginta septem.	1. Vnam.
200000. Ducenta millia.	5714. Quinq; millia septingentos quatuordecim.	2. Duas.

300000. Trecenta millia.	8571. Octo millia quingētos septuaginta vnū.	3. Tres.
400000. Quadringēta millia.	11428. Vndecim millia quadringentos viginti octo.	4. Quatuor.
500000. Quingenta millia.	14285. Quatuordecim mil. ducentos octoginta quinque.	5. Quinque.
1000000. Decies centena mil.	28571. 28. mil. quingētos septuaginta vnum.	3. Tres.
2000000. Vicies centena mil.	57142. 57. mil. centum quadraginta duos.	6. Sex.
3000000. Tricies centena mil.	85714. 85. mil. septingentos quatuordecim.	2. Duas.
4000000. Quadragies centena millia.	114285. 114. mil. ducentos octoginta quinque.	5. Quinque.
5000000. Quinquagies centena millia.	142857. 142. mil. octingentos quinquaginta septē.	1. Vnam.
10000000. Centies centena mil.	285714. 285. mil. septingentos quatuordecim.	2. Duas.
20000000. Ducenties centena millia.	571428. 571. mil. quadringentos, viginti octo.	4. Quatuor.
30000000. Trecenties centena millia.	857142. 857. mil. centum quadraginta duos.	6. Sex.
40000000. Quadringenties centena millia.	1142857. 1. millionē. 142. mill. 857.	1. Vnam.

50000000.	1428571.	3.
Quingenties centena millia.	1. millionem 428. mil. 571.	Tres.
100000000.	2857142.	6.
Millies centena mil.	2. milliones 857. mil. 142.	Sex.
200000000.	5714285.	5.
Bis millies centena mil.	5. milliones 714. millia 285.	Quinque.
300000000.	8571428.	4.
Ter millies centena mil.	8. milliones 571. millia 428.	Quatuor.
400000000.	11428571.	3.
Quater millies centena mil.	11. milliones 428. millia 571.	Tres.
500000000.	14285714.	2.
Quinquies millies centena millia.	14. milliones 285. millia 714.	Duas.
1000000000.	28571428.	4.
Decies millies centena mil.	28. milliones 571. millia 428.	Quatuor.
2000000000.	57142857.	1.
Vicies millies centena millia.	57. milliones 142. millia 857.	Vnam.
3000000000.	85514285.	5.
Tricies millies centena millia.	85. milliones 514. millia 285.	Quinque.
4000000000.	114285714.	2.
Quadragies millies centena millia.	114. milliones 285. mil. 714.	Duas.
5000000000.	142857442.	6.
Quinquagies millies centena millia.	142. milliones 857. mil. 442.	Sex.
10000000000.	285714285.	5.
Centies millies centena millia.	285. milliones 714. mil. 285.	Quinque.
20000000000.	571428571.	3.
Ducenties millies centena millia.	571. milliones 428. millia 571.	Tres.

30000000000. Trecenties millies centena millia.	857142857. 857. milliones 142. millia 857.		1. Vnam.
40000000000. Quadringenties millies centena millia.	1142857142. 1142. milliones 857. millia 142.		6. Sex.
50000000000. Quingenties millies centena millia.	1428571428. 1428. milliones 571. millia 428.		4. Quatuor.

Iam ad Ciceronem reuertamur, qui præter vituperationem Gellij, etiam Firmidium, Titium, eiusmodi furias dicit mercenariis gregibus duces, & auctores fuisse.

Videamus nunc comitia magistratuum] Tertio loco agitur de comitiis magistratuum, & videtur sic argumentum duci; Si illi qui populares habentur, vehementer respuuntur a populo, illi vero, qui ei generi aduersantur, honore dignissimi iudicantur, populus ipse non erit popularis appellatione communi. At quod primum est. nam ex iis, qui populares non habebantur, an. vr. 694. Facti sunt prætores Domitius & Ancharius, & C. Fannius erat gratiosus: ex iis vero, qui erant populares, repulsi sunt alius quidam Tribunus pl. & Vatinius. Quod sequitur igitur. *Veniamus ad ludos*] Quarto loco agitur de consessu ludorum. Probatur autem a differentia, ex ludorum, gladiatorumque consessu cognosci, qui sint vere populares, cum comitiorum, & concionum significationes interdum veræ sint, nonnunquam vitiatæ, atque corruptæ. *Quid ego nunc dicam*] Rursus a differẽtia. *Ex te igitur Scaure, potissimum quæro*] Apostrophe ad M. Scaurum prætorẽ. *Qui ludos apparatissimos, magnificentissimosq́; fecisti*] Quem Plinius lib. 36. cap. 15. scriptum reliquit fecisse in Ædilitate opus maximum omnium, quæ vnquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione; theatrumque hoc fuisse, quod ipse describit. *Ipse ille maxime ludius*] Affertur hoc argumentum, quod Clodius cum suis non audebat aspicere ludos, nec ei histriones parcebant: Ciceroni autem fauebant. ergo ille fuit minus popularis, quam hic. Ludius autem erat, qui in scena psal-

na psallebat. & sic appellatur Clodius, quod ludis valde delectaretur. Additur iocose, non solum spectator, sed actor, & acroama, id est, recitator. cum alibi acroama significet rem ipsam, quæ recitetur. qui omnia sororis embolia nouit, id est, reconditos ingressus, cum embolium sit ingressus, argumentumque scenicum, & significetur Clodium cum sorore sua rem habuisse, qui in cœtu mulierum pro psaltria adducitur, cum indutus psaltriæ veste, vt Pompeiæ Cæsaris vxori stuprum inferret, ingressus sit eo, vbi sacra Bonæ deæ mulieres faciebant. quod scribit Plutarchus in vita Ciceronis. *Nec tuos ludos*] M. Scauri. *Nisi eos*] Lentuli. *Cum in templo virtutis honos habitus esset virtuti*] Cum S.C. factum esset de Ciceronis reditu, quod tamen factum esse in templo Iouis alibi legitur, vt dicendum esse videatur, templum virtutis fuisse cum templo Iouis coniunctum. *C. q. Marii, conseruatoris huius imperii monumentum*] Extructum de manubiis Cimbricis, & Teutonicis. *Municipi eius*] Ciceroni, orto Arpini, vt etiam Marius ortus fuerat. *Primo, cum audito S.C.*] Amor est declaratus in Senatum, & Ciceronem. *At, cum ille furibundus*] Odium est declaratum in Clodium. *Cui tum petenti iam ædilitatem, ne histriones quidem coram sedenti pepercerunt*] Ex Togata Comœdia duo relata ad Clodium. *Huic vita tua*] Primum. *Principia, atque exitus*] Secundum. *Et, quoniam facta est mentio ludorum*] Vult etiam Cicero exprimere, quæ ad se ipsum relata fuerint. *Et, quæso, hoc loco, Iud.*] Se excusat, quod loquatur de poetis, & histrionibus, & ludis, tanquam de rebus minus grauibus. *Summi enim poetæ ingenium*] Relata ad Ciceronem ex Accii Andromacha, vbi Telamon Aiacis, & Teucri pater, suam calamitatem misere conquerebatur. Andromacha autem fuit Hectoris vxor. *Quam enim certo animo*] Primum relatum ad Ciceronem. *Summum amicum*] Secundum. *O pater*] Tertium. *O ingratifici Argiui*] Quartum. *Exulare sinitis*] Quintum. *Hæc Æsopum potius pro me*] Celebratus est Æsopus in tragœdiis: Roscius in comœdiis. *Nominatim sum appellatus in Bruto Tullius*] Brutus fuit tragœdia Accii: & ab Æsopo pro Bruto, qui Tarquinium regem expulerat, nominatus est Cicero, qui coniurationem Catilinariam oppresserat.

Maximum vero populi Rom. iudicium] Quinto loco agitur de consessu gladiatorum. *Erat enim munus Scipionis*] In consessu gladiatorum, qui factus est in munere Scipionis dato memoriæ Q. Metelli Pii, a quo fuerat adoptatus, P. Sextius plausu exceptus est: Attilius non est conspectus: ergo ille magis popularis, quam hic. *Tu mihi etiam M. Attilium Regulum*] Argumentum ducitur a repugnantibus sic; Non & vim desiderauit Cicero: &, dum vis fuit, nihil egit, & ab ipsa vi labefactatus fuit. *De me vno, P.C.*] Ab adiunctis, quæ ante reditum, & in ipso reditu Ciceroni euenerunt. & hoc fuit primum adiunctum. *In mea vna caussa*] Secundum. *Vel quid in templo Iouis*] Tertium. *Vel quod est postridie*] Quartum. *Decreuit eodem tempore*] Quintum. *Vt etiam Q. Metellus*] Sextum. *Reditus vero meus*] Septimum. *Habes igitur, quod ex me quæsisti*] Vatinius sub nomine nationis optimates contempserat. Iam ab adiunctis ei obiicitur, quod semper optimatium factioni restiterit. *A quo vno*] Primum adiunctum. *Qui hanc nationem*] Secundum. *Qui C. Cæsarem*] Tertium. *Me oppugnauit*] Quartum. *Ille ad eos*] Quintum. *Ille hominem*] Sextum. *Ille se sic*] Septimum. *Ille vnus*] Octauum. *Acta mea*] Nonum. *Quem non tam admiror*] Decimum.

IN TERTIAM PARTEM CONFIRMATIONIS PRO P. SEXTIO, ET IN statum negotialem.

S*Ed vt extremum habeat aliquid oratio mea*] Hæc pars, quæ continet cohortationem ad viam optimatium retinendam, deliberatiua est: & habet statum negotialem proprium deliberationum, quid faciendum sit, vtrum retinenda via optimatium, nec ne. *Hæc est vna via*] Primum argumentum est ab honesto, quod etiam vtili anteferendum esse apud hominum genus humanum, & expolitum traditum est in Partitionibus Oratoriis, cum genus indoctum, & agreste anteferat honestatem vtilitati. *Qui cum regum potestatem non tulissent*] Cum Tarquinios exegissent. *Ita magistratus annuos creauerunt*] Consules. *Vt consilium senatus Reip. præponerent sempiternum*] Tradit Dionysius Romulum legisse senatores ducentos: Priscum alios centum

centum adiunxisse: Brutum primum c nsulem deficientem trecentorum numerum expleuisse .'radit Liuius, Romulum legisse centum: Priscum cent n: Brutum alios centum. Auctus postea est senatorum numerus a C. Graccho Tribuno pl. vsque ad sexcentos. A Sulla supra quadringentos. A Cæsare vsque ad nongentos. Suetonius tamen scribit, Augustum Senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba (erant enim supra mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam, & præmium allecti, quos orcinos vulgus vocabat) ad modum, & splendorem pristinum redegisse. Dio vero scribit, Augustum Senatum legisse, &, cum videret non semper frequentes senatores conuenire, senatusconsulta vt etiam a paucioribus, quam quadringentis fierent, cum hic ante numerus, vt rata essent, quæreretur, statuisse. quod obseruauit Sigonius lib. 2. de antiquo iure ciuium Rom. cap. 2. *Deligerentur autem in id consilium ab vniuerso populo*] Consule nominante. idque ante creatos Censores. nam post non a populo, sed a Censoribus Senatores lecti sunt. vt notauit Paullus Manutius. Alii interpretantur, ab vniuerso populo, id est, ex vniuerso populo. nam in Romuli lectione ex patriciis lecti sunt. quæ interpretatio respondet magis sequentibus verbis Ciceronis. *Senatum Reipub. custodem*] A Senatu tamen neque magistratus creabantur: neque leges ferebantur: neque bellum, aut pax decernebatur. *Hæc qui pro virili parte defendunt*] Declaratur, qui sint optimates, & optimatium principes. *Huic hominum generi*] Tametsi labores sunt suscipiendi: tamen non est relinquenda via optimatium. *Hæc audiuimus de clarissimorum virorum consiliis*] Probatio est ab exemplo, quod est proprium instrumentum deliberationum. *Ac ne quis ex nostro*] Alterum argumentum est ab vtili, quod sit vtile optimatem esse. nam præter vnum L. Opimium, qui indignissime concidit, condemnatus, quod legatus ad Iugurtham pecunia corruptus sit, vt scribit Plutarchus in vita Gracchorum; cæteri per populum aut recreati sunt, atque reuocati, aut omnino inuulnerati, inuiolatique vixerunt. Inutile vero est, popularem esse, cum omnes fere, qui senatus consilium neglexerunt, Reipub. pœnas aut præsenti

morte, aut turpi exilio pependerint. *Quod si apud Athenienses*] Tertium argumentum est a minori. nam si apud homines minus graues retenta est via optimatium, vt apud Athenienses, & Carthaginienses: multo magis debet retineri apud homines grauiores, vt apud Romanos. Ac apud Athenienses quidem Miltiades ad Marathonem Darium vicerat: & Aristides vnus omnium iustissimus fuerat, ille tamen in carcere, & vinculis mortuus est: hic vero ostracismo pulsus; de quo ostracismo scribit Aristoteles lib. 3. Politicorum. Themistocles quoque, qui ad Artemisium, & Salaminem Xerxem vicerat, ostraco pulsus est. Carthaginienses vero Annibalem e ciuitate eiecerunt; de cuius exilio Liuius, Plutarchus, Valerius, alij. *Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Æmylios, innumerabiles alios*] Brutus Reges exegit, Camillus vicit Veientes: Gallos: Volscos, Æquos, Etruscos, Gallos. Ahala obtruncauit Sp. Mæliũ. Decius P. in bello Latino mortuus est: F. in Samnites, Gallos, Etruscos: N. in Pyrrhũ. Curius primum triumphauit de Samnitibus: inde de Sabinis: postea introiuit vrbẽ ouans de Lucanis: deniq; triumphauit de Pyrrho. Fallitur enim Manutius, qui scribit eũ triumphasse de Lucanis. quæ oratio si inter triumphos numeretur, non ter, vt ipse notat, sed quater triumphauerit Curius. Fabricius triumphum duxit de Etruscis, & Gallis, de Samnitibus, & Lucanis, & bellum gessit cum Tarentinis, & Pyrrho. Inter Fabios cum alii celebrantur, tum in primis Q. Fabius Max. proauus Cunctatoris: & Gurges: & ipse Cunctator. L. Lentulus Cos. cum M. Curio de Samnitibus, ac Lucanis triumphauit. De Catonibus autem videtur Manutius somniare. Paullus pater eius, qui vicit Ligures, & Perseum, in prœlio Cannensi cæsus est. *Si in illo sanctissime Hercule*] De quo notæ sunt fabulæ.

XII.

IN PERORATIONEM ORATIONIS PRO P. SEXTIO.

SEd *me repente, Iud.*] Bene constituit auditores erga se, tanquam commotum aspectu fortissimorum, & clarissimo-


rissimorum ciuium; quod est primum munus peroratio-nis. *Video P. Sextium*] Impellit auditorum animos ad misericordiam in P. Sextium, in P. Sextii filium, in Milonem, in P. Lentulum filium. quod est alterum munus perorationis. *Atque hic tot, & talium ciuium squalor*] Amplificat mala suscepta propter vnum Ciceronem; quod est aliud munus perorationis. *Quod tantum est in me scelus*] Amplificat factum suum Cicero, non sine magna misericordiæ concitatione vsque in finem. Non vtitur quarto munere perorationis, quod est renouare memoriam per repetitionem eorum, quæ fuerint confirmata: quia talis memoriæ renouatio non semper est necessaria.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS VIGESIMVS TERTIVS.

IN PRIMAM PHILIPPICAM CICERONIS.

I.

RES, QVA DE AGITVR.



Cciso Cæsare an. ab V. C. 709. Cicero in Senatu persuadere conatus est obliuionem talis cædis, & vt Bruto, ac Cassio interfectoribus prouinciæ decernerentur: cumq; nihil profecisset propter potentiā Antonij, nauigauit Athenas versus: sed, cum in itinere audiuisset Antonium mire mutatū, reuersus est: quoniamq;, cogente Senatū Antonio, accitus non paruit, simulans se ex pelagi laboribus, & incommoda valetudine impediri, missi sunt, qui aut eum adducerent, aut eius domum incenderent. nonnullorum tamen precibus quieuit Antonius; cuius odio is se cum Octauio coniunxit, ex Apollonia in patriā reuerso, & hereditatē Cæsaris con-

secuto, vnde exortæ sunt magnæ cōtentiones inter Octauium, & Antoniū propter multa erepta ex Cæsaris bonis. maxime vero amauit Octauium, quod eum per quietē vidisset rerum Romanarum esse potiturum. tandemq; contra Antonium relinquere Romam coactum, & hostem a senatu iudicatum orationes habuit Philippicas inscriptas, quod ad imitationem Philippicarum Demosthenis sint conscriptæ; quarum prima habita postridie kalen. Septembris primo loco narrat, cur Cicero discesserit, & cur reuersus sit: secundo conqueritur de iniuria Antonii: tertio ostendit acta Cæsaris esse seruanda concordiæ caussa: quarto hortatur Antonium, & Dolabellam ad veram gloriam; interfecto enim Cæsare Antonius Dolabellam sibi collegam adiunxerat in consulatu.

II.

GENVS CAVSÆ.

Bartholomæus Latomus tradit genus huius orationis esse deliberatiuum: tamen, quatenus vituperatur Antonius, est demonstratiuum: quatenus conquestio fit de iniuria illata Ciceroni, est iudiciale. Christophorus Hegendorphinus scribit Ciceronem vti in hac oratione demonstratiuo, & iudiciali, & deliberatiuo: sed non docet, quod sit præcipuum genus. Paulus Manutius notat demonstratiuum, & probat iudiciale, satis perplexe sic; Genus orationis demonstratiuum est: nam in accusando Antonio potissimum versatur. Nos dicimus præcipuum genus esse deliberatiuum ex quatuor proprietatibus talis generis traditis ab Aristotele, tum auditoribus, qui sunt disceptatores rerum futurarum, &, P.C. tum partibus hortatione, & dehortatione, dum hortatur Antonium, & Dolabellam ad acta Cæsaris retinenda; & veram gloriam comparandam, & dehortatur a tyrannide exercenda: tum tempore futuro de actis Cæsaris seruandis, de tyrannide auertenda: tum fine posito in vtilitate Reip. quem, quantum potest, procurat Cicero.

III.

STATVS CAVSÆ.

Adhibetur status quantitatis, dum amplificantur facta Antonii. Et coniecturalis, an fuerit sic cogendus Cicero,

Cicero, & quam ſententiam dixiſſet. Tum definitiuus, quę ſint appellanda acta Cæſaris. Tum qualitatis legitimus ex contrariis legibus, quod Antonii leges pugnent cum Cæſaris legibus. Denique qualitatis rationalis negotialis, quid fieri oporteat pacis, & otii cauſſa de actis Cæſaris, & quomodo Dolabella, & Antonius veram poſſint gloriam comparare.

IIII.

ARGVMENTA.

DVcuntur argumenta in genere demonſtratiuo potiſſimum ab honeſto, vel turpi: a magno, vel paruo: a locis, qui amplificant. Itaque in laudibus Antonii commemorantur tanquam honeſta eius oratio, voluntas, & facta: oſtenduntur magna: enumerantur ad amplificandum. In vituperatione Antonii commemoratur turpis omnium mutatio: oſtenditur magna mutatio: enumerantur res, quibus adductus Cicero & abierit, & reuerſus ſit. In genere iudiciali præcipue a iuſto, vel iniuſto: a facto, vel non facto: a locis, qui probant iniuriam. Itaque in conqueſtione de iniuria Antonij probatur iniuſtum fuiſſe tam acerbe vocari in ſenatum: probatur nihil factum eſſe, cur tam acerbe deberet cogi: probatur Ciceronem non fuiſſe cogendum, a loco ſimilitudinis, quod ne alii quidem ciues coacti eſſent, a loco maioris, quod Cicero ne propter Brutum quidem ſupplicationes decreuiſſet, ergo multo minus propter Cæſarem; & ab aliis locis, qui inferius apparebunt. In genere deliberatiuo maxime ab vtili, vel inutili: a poſſibili, vel impoſſibili: a futuro, vel non futuro: a locis, qui probant vtile, vel inutile. Itaque probatur vtile eſſe, vt ſeruentur acta Cæſaris: probatur impoſſibile eſſe, vt concordia, & pax retineatur, niſi acta Cæſaris ſeruentur: probatur futuram concordiam, & pacem, ſi ſeruentur: probatur leges Antonii non eſſe ſeruandas a loco contrariorum, quia ſint contrariæ legibus Cæſaris. In hoc autem genere ſæpe coniungitur honeſtum cum vtili, turpe cum inutili. Itaque in hortatione Dolabellæ, & Antonii argumentum ducitur ſimul ab honeſto, & vtili, a turpi, & inutili.

V.

MORES.

CVm tres mores ſint exprimendi in perſona oratoris, exprimitur prudentia in purganda profectione, & reuerſione Ciceronis, ne videatur inconſtans, & in eligendo minori malo de actis Cæſaris: & probitas in reprehendendo vitio, in collaudanda virtute: & beneuolentia in procurando eo, quod publice bonum ſit, & in hortando amice Dolabella, & Antonio ad veram gloriam. Cumque oratio accommodanda ſit ad mores auditorum, & in primis ad mores Reipublicæ, & in paucorum dominatu, qui bonus ſit, referantur mores ad diſciplinam legum, in hac oratione pro ea maxime diſputatur.

VI.

AFFECTVS.

AFfectus proprius generis demonſtratiui eſt delectatio, quæ adhibetur in narranda cauſſa profectionis, & reuerſionis. Affectus proprii generis iudicialis ſunt ira, lenitas, amor, odium, quæque hos conſequuntur. Quare mouetur ira, & odium in Antonium. Affectus proprii generis deliberatiui ſunt ſpes, metus, pudor, impudentia. Quamobrem mouetur pudor in animis ſenatorum, quod non eſſent aſſenſi L. Piſoni reuocanti omnia ad auctoritatem ſenatus. Mouetur ſpes pacis, & otii, ſi leges Cæſaris ſeruentur: & metus multorum malorum, ſi promulgatæ leges Antonii ferantur. Et pudor in Dolabella, quod mutatus ſit in peius cum Antonio: & ſpes veræ gloriæ, & metus cædis. Itidemque mouetur lenitas, & ſedatur ira in Dolabella, &, quantum fieri poteſt, in Antonio.

VII.

ELOCVTIO.

IN mixta oratione mixta eſt elocutio; nimirum mediocris in parte demonſtratiua: grauis, vehemens, & incitata in iudiciali: habẽs magis grauitatem ſententiarum, quam verborum in deliberatiua.

VIII.

DISPOSITIO.

IN hac oratione hæ partes ſunt collocatæ; procemium: narratio cum propoſitione: cõfirmatio: peroratio. Narrationis

rationis autem duæ ſunt præcipuæ partes, vna, quæ exponit conſilium Ciceronianæ profectionis: altera, quæ reuerſionis. Confirmationis vero tres ſunt partes; vna, quæ probat iniuriam Antonii:altera,quæ oſtendit acta Cæſaris eſſe ſeruanda:tertia,quæ habet hortationem.

I X.
IN PROOEMIVM.

CVm loci procemiorum deliberatiuorum ſint quinque,poterat procemium huius orationis duci a criminatione ad hunc modum;Si recte conſideremus, P.C. non recte ſentiunt illi, qui acta Cæſaris prorſus contemnenda eſſe arbitrantur. id enim eſſe contra concordiam, pacem, ocium, breuiter demonſtrabo, poſteaquam cauſam profectionis,& reuerſionis meæ attulero. Et a depulſione criminis ſic;Tametſi,P.C.a nonnullis reprehendor,quod acta Cæſaris ſeruanda cenſeam: tamen intelligendum eſt, me id facere,non tam,quod ea probem, quam quia rationem habendam maxime arbitror pacis, & ocii. Spectandam enim eſſe in primis concordiam demonſtrabo, poſteaquam cauſam profectionis, & reuerſionis meæ dixero. Et ab amplificatione hoc modo; Non agitur res parua, P.C. ſed omnium maxima, vt acta Cæſaris ſeruentur, & non leges Antonij. quod breuiter oſtendam, ſi prius cauſam profectionis, & reuerſionis meæ declarauero. Et a diminutione ita;Etſi profitetur Antonius, P. C. ſe acta Cæſaris defendere:ego tamen oſtendam eum ſolum verbo,non etiam re ipſa id facere, ſi prius declarata fuerit cauſa profectionis,& reuerſionis meæ.Quintus locus procemiorum deliberatiuorum eſt ab ornatu, a quo exorſus eſt Cicero. Cum autem duo ſint munera procemiorum, vnum maxime neceſſarium,& proprium, vt indicetur finis, cuius gratia oratio inſtituta eſt: alterum poſitum in formis quibuſdam,quas appellat Ariſtoteles ἰατρεύματα,ϗ κοινά,medicamenta, & communia, vt parentur animi ad audiendum; adhibitum eſt primum munus,dum oſtenditur inſtitutam eſſe hanc orationem duarum rerum gratia ; primum vt exponeretur conſilium profectionis,& reuerſionis, quam fecerat Cicero:deinde vt ageretur de Rep.ab Antonio per-

turbata. Deniq;, cum ex tribus, quæ præstare debet orator, vt persuadeat, quorum primum valet ad conciliandũ & est suauitatis, ac spectatur in moribus oratoris: alterum ad probandum, & est necessitatis, ac cernitur in argumentis: tertium ad permouendum, & est victoriæ, ac positũ est in affectibus; primum videtur maxime procemiis conuenire, complectiturq; tres amabiles mores, prudentiam, probitatem, beneuolentiam. Quamobrem in hoc procemio probitas exprimitur Ciceronis, dum vult dicere, quæ dicenda esse arbitratur: & prudentia, dum vult exponere breuiter consilium profectionis, & reuersionis suæ: & beneuolentia, dum ea vult exponere, tanquam amicus amicis. *Antequam*] Creticus est incipiendis clausulis maxime congruens. *Et profectionis, & reuersionis meæ*] Trochæus, & dichoræus tantopere a Cicerone celebratus, & pæan etiam vltimo præpositus; & alter trochæus, alterq; dichoræus, cum minus intersit, extrema illa longa sit, an breuis, & iambus, cum magnam partem ex iambis nostram constare orationem tradiderit Cicero.

X.

IN NARRATIONEM, ET PROPOSITIONEM.

E*Go cum sperarem*] Solet coniungi procemium delibratiuum cum narratione demonstratiua, vel iudiciali, vt pro lege Manilia, & hic. Adhibetur autem narratio demonstratiua, in partibus, coniuncta cum amplificationibus; quæ primo loco exponit, cur Cicero vellet manere Romæ. *Aliquando*] Denotat difficultatem. Sic 2. Catilinaria; Tandem aliquando, Quirites. significat post interfectum Cæsarem. *Quasi in vigilia quadam*] Metaphora similitudine mollita, valet ad amplificandum. *In æde Telluris*] Quo fuerat conuocatus senatus. *Ieci fundamenta pacis*] Cum coniuratis Bruto, & Cassio, qui Capitolium occupauerant. *Atheniensiumq; renouaui vetus exemplum*] Cum constituta est ἀμνησία, triginta tyrannis Thrasybulo expulsis, qui etiam illud verbum vsurpauit μὴ μνησικακεῖν, non esse memorem iniuriarum. *Præclara tum oratio M. Antonij*] Secundo loco laudat Antonium

lla autem valent ad amplificandũ, præclara oratio, egregia voluntas, pax deniq;, &c. *Per liberos*] Per filium obsidem datum, vt Cassius, & Brutus ex Capitolio descenderent. *Ad deliberationes eas*] Sic enim melius dignoscitur, quid agendum, cum multi adhibentur in consilium. nam vnus omnia scire non potest: sed omnes omnia, & multi multa. *Vnum agebat*] Sext. Clodium scribã, quo duce populus corpus P. Clodij in curiam intulit, cremauitq; subselliis, & tribunalibus, & mensis, & codicibus librariorum, quo igne ipsa quoq; curia flagrauit. *Assentiri etiam nos*] Rhetoricæ præceptum est, narrationes amputandas esse, cum sunt molestæ. Sic amputatur hæc narratio de factis Antonij. Omittitur enim, quod Antonius laudauit Cæsarem in funere, populumq; sic dolore, & iracundia incendit, vt ad domos Bruti, & Cassij cum facibus accurrerit. *Post Id. Martias*] Cum interfectus est Cæsar. *Dictaturam, quæ vim iam regiæ potestatis obsederat*] Sulla primus dictator perpetuus factus est: quadriennio tamen post dictaturam sponte deposuit, seq; in apertum capitis discrimen objecit. Cæsar semel acceptam mordicus retinuit, secutus Dionysij dictum, qui non nisi pedibus tracto tyrannidem relinquendam esse dicebat. Sed dum vel lenitatis, ac clementiæ famam aucupatur, vel, quod magis credo, naturæ suæ in conseruanda etiam inimicissimorum salute obsequitur, in custodienda sua parum cautus, ac diligens fuit, ita vt perierit. Antonius dictaturæ nomen in perpetuum sustulit. *Non modo regno, quod pertuleramus*] Significat tyrannidem. *Liberatus cædis periculo*] Quæ impendebat ab eo, qui se C. Marij septies consulis filium simulabat, & seditionem excitabat. *Alia porro propria Dolabellæ*] Tertio loco laudat Dolabellam collegam Antonij, quod animaduerterit in sceleratos seruos, & liberos, ac euerterit execratam columnam. *Ecce enim Kal. Iun.*] Quarto loco vituperat Antonium, vt ostendat causam mutationis. *Nihil per senatum*] Antea omnia. *Consules designati*] Hirtius, & Pansa. *Patriæ liberatores*] Brutus, & Cassius. *Veterani*] Incitabantur ad nouas prædas. *Nunc reuersionis*] Quinto loco narrat, quibus rebus adductus reuersus sit; nimirum. 1. Quod accepisset M. Antonij concionem de Sex.

Pompeio Magni F. reuocando. 2. Quod intellexiss. t ed. ctum Bruti, & Cassij vrbanorum Prætorum, ne cui minc ri viginti annis prouincia mandaretur. 3. Quod audiui set rem conuenturam, senatum Kalendis Sextilib. s fre quentem fore, Antonium repudiatis malis suasoribus, re missis Galliis prouinciis, ad auctoritatem senatus esse re diturum. 4. Quod ex Bruto cognouisset orationem I Pisonis soceri Cæsaris ad senatus auctoritatẽ omnia reuo cantis. *Præter naturam etiam, præterq; fatum*] Vide Gel lib.13.cap.1. citantem versum Virg.lib.4. Æneidos de Elis & obseruantem hoc sumptum esse a Demosthene ex ora tione de corona. *Quoniam vtriusq; consilij causam, P. C* Propositio rerum confirmandarum, de iniuria Antoni de Rep.

XI.

IN PRIMAM PARTEM CONFIRMATIONIS.

1. QVid tandem erat causa] Probat Antonium fuiss iniuriosum, & argumentatur ab iniusto, quod Ci cero non erat tam acerbe in senatum cogendus. *Solusn aberam?*] A simili. Quemadmodum alij absentes nõ fuer coacti: sic Cicero non erat cogendus. *An non sæpe*] Ab ex emplo aliorum temporũ, quibus senatus minus fiequen fuerat. *An ea res agebatur*] A paruo. *Annibal credo*] A differentia. *Quod idem sit*] A simili.

2. *Qui cum mihi mos*] A non facto, quod non paru fecit.

3. *Cuius enim maleficij*] A non facto, quod nihil mal fecit: ergo non erat dignus tanta pœna; quæ quidem am plificatur ab audacia Antonij, a magnitudine damni, a n insolita.

4. *Qui si sciisset*] A consequenti. Non remisit: ergo ne sciuit.

5. *An me censetis*] A maiori. Non decreuisset supplica tiones ne propter Brutum quidem: ergò multo minu propter Cæsarem. *Ego vero eam sententiam dixissem*] Ex primitur probitas. *Quæ partim iam sunt*] Exprimitur pru dentia. *Sed hoc ignoscant*] Exprimitur beneuolentia. *Qui de reliquis Reip. malis*] Accommodatur oratio ad finem

Demo-

Democratiæ, & Politiæ, id est, ad libertatem. *Quæ quidem ex re*] Mouet pudorem ex officio deserto a senatoribus, quemadmodum supra excitatum est odium in Antonium.

IN SECVNDAM PARTEM CONFIRMATIONIS.

PRimum igitur acta Cæsaris] Ostendit acta Cæsaris seruanda esse, non tam, quod essent prorsus probanda, quam quod ita requireret pax, & ocium. Atq; est argumétum ab vtili, fine generis deliberatiui, vbi sæpenumero alia dimittuntur, solaq; vtilitas spectatur. *Vellem adesset Antonius*] Qui aberat incommodæ valetudinis causa. *Modo sine aduocatis*] Per ironiam, id est, sine armatis militibus. *Quod mihi heri per illum non licebat*] Cuius tamen debebat esse par ratio. Reducitur autem argumentatio ad hunc syllogismum; Qui acta Cæsaris non seruat, agit contra pacem, & ocium: Antonius acta Cæsaris non seruat: ergo agit contra pacem, & ocium. Probatur minor altero syllogismo; Qui leges Cæsaris non seruat, is acta Cæsaris non seruat: Antonius leges Cæsaris non seruat: ergo acta Cæsaris non seruat. *An in commentariolis*] Probatur maior a definitione: & est status definitiuus; Quænam intelligantur acta Cæsaris, an quæ in commentariolis, & chirographis, & libellis Antonio vno auctore prolatis, immo vero non prolatis, sed tantummodo dictis; an etiam quæ ille in æs incidit, & leges ipsius Cæsaris. *An si cui quid ille promisit*] Non omnia, quæ in illius scriptis promissa sunt, quæ ne ipse quidem præstare potuit omnia: quæ plurima ab Antonio ficta sunt: in quibus etiam erat, vt pecunia ex bonis Pompeianorum redacta, & ad ædem Opis posita, restitueretur, quam tamen Antonius interuerterat. Septies millies H S. Id est, ducenties decies centena millia scutatorum. *Ecquid est, quod tam proprie dici possit*] Probatur definitio actorum comprehendere leges ab exemplis: nam per acta Gracchi intelliguntur leges Semproniæ: per acta Syllæ leges Corneliæ: sic Pompeij: sic Cæsaris.

1. *Quæ lex melior*] Probatur minor, Antonium leges Cæsaris non seruare: & est status contrariarum legum: & argumentum a contrariis. Ac lex quidem erat Cæsaris, ne

prætoriæ prouinciæ, &c. Antonius vero a Tribunis pl. ferri voluit legem, vt consulares prouinciæ sexennium obtinerentur.

2. *Quid? ea lege, quæ promulgata est de tertia decuria iudicum*] Cæsar duas decurias iudicum ordinauerat, equestris, & senatorij ordinis, sublatis Tribunis ærariis: Antonius per legem suam promulgatam addebat tertiam decuriam ex centurionibus, siue essent equites, siue plebeij. *Nisi forte*] A minori. *Ex legione Alaudarum*] Gallorum Transalpinorum, quibus Cæsar dederat ciuitatem Rom.

3. *Altera promulgata lex est*] Leges Cæsaris iubebant, ei, qui de vi, itemq; ei, qui maiestatis damnatus esset, aqua, & igni interdiceretur. Antonius legem promulgauerat, vt de vi, & de maiestate damnati ad populum prouocarent, si vellent. *Quis enim est hodie*] Ab inutili. *At res popularis*] A definitione rei popularis. *Quæ est igitur ea cupiditas*] A turpi. *Sed quid plura?*] A fine legis. *De exilio reductis*] A minori. *Ac de iis tamen legibus*] A differentia. *Quærunt, quid sit*] Tollit obiectionem a repugnantibus ibi; Forum sepietur: & ibi; Qui populus.

IN TERTIAM PARTEM CONFIRMATIONIS.

1. *Irasci vos quidem mihi, Dolabella*] Iram Dolabellæ sedat, quod non contemnat, sed pro Rep. dicat. *Mihi ne grauius quippiam dicam*] Quæritur de Antonio, quod nõ imitetur consulatum auorum suorum, tum paterni M. Antonij, hominis eloquentissimi, qui fuit consul cum A. Posthumio Albino an. vr. 654. cum Romæ pugnasse elephantos Fenestella tradit primum omnium in circo, Claudij Pulchri ædilitate curuli apud Plinium lib. 8. tum materni L. Cæsaris, qui fuit consul cum P. Rutilio Lupo an. vr. 663. cum pugnatum est contra socios. *Auunculi sui*] L. Cæsaris. *Ego si quid in vitam eius*] Ostendit, quæ dicturus est, se pro Rep. dicturum sine vlla contumelia. quod valet ad sedandam iram Antonij. *Non idem tibi aduersario*] Si licet socero Cæsaris libere loqui in Cæsarẽ, & Antonium, multo magis debet licere aduersario Cæsaris Pompeium bello ciuili secuto: & est argumentum a minori. *Nec erit iustior*] Si mor-

Si morbi causa iusta est Antonio non veniendi in senatum, multo iustior debet videri causa non veniendi itidem in senatum metus mortis.

2. *Sed per Deos immortales*] Reprehendit Dolabellam, quod dignitatis suæ sit oblitus: & est impulsio animi ad pudorem: & cohortatio ad veram gloriam. *Dicerem Dolabella*] Exemplum veræ gloriæ. *Recordare, quæso*] Significat Tribunatum Dolabellæ, cum promulgata est lex nouarum tabularum: quæ res valde offenderat populũ Rom. tamen ei plausum est in theatro propter discussam multitudinem in foro.

3. *Te autem, M. Antoni*] Hortatur M. Antonium absentem ad veram gloriam, commemorans recte facta eius. *Oblitus auspiciorum*] Quæ ante opposuerat propter inimicitiam, quam cum eo exercebat ob suspicionem vxoris suæ ab eo corruptæ. *Vt enim propter vnius M. Manlij scelus*] Exemplum, & argumentum a simili. Vide Florum, epitoma 6. *Vnde igitur subito tanta ista mutatio?*] Reprehendit mutatam voluntatem, & ita improbat, vt ei periculosam ostendat. Itaq; est impulsio animi ad metum. *Non possum adduci*] Artificiose prius defendit. *Ipsis illis*] Corrigit Manutius; Ipsi illi: prior tamen lectio non mutanda. *Vtinam, Antoni, auum tuum meminisses*] M. Antonium oratorem. *Si enim exitus C. Cæsaris*] Aliud exemplum. *Quare flecte te, quæso*] Hortatio.

4. *Et populi quidem*] Simul hortatur & Antonium, & Dolabellam, vt malint diligi, quam metui, & Remp. esse liberam, quam oppressam. *Quid enim gladiatorij clamores*] Propter Cæsarem Regem salutatum. *Quid populi versus? Quid Pompeij*] Propter virtutem ipsius Pompeij. *Quid Tribuni pl*] Hi laudabantur. *Quid Apollinarium ludorum*] Propter liberatam Remp. vt liberata fuerat a Bruto. *Et sexagesimo post anno*] Quam obierat. *Palmam dari*] Manutius; Plausum dari. *Equidem is sum*] A differentia ostendit plausum iudicij loco habendum. *Vitam A. Hirtij*] Consulis designati, ob cuius ægrotantis sanitatem populus vita fecerat. *Quid eos de nostra vita*] Coniectura.


XII.

IN PERORATIONEM.

1. *Cepi, P. C.*] Bene constituit erga se auditores.
2. *Et sum a vobis benigne*] Mouet amorem.
3. *Si minus*] Amplificat.
4. Non renouat memoriam propter breuitatem orationis.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS VIGESIMVS QVARTVS EXPLICANS RATIONEM Orationum Ecclesiasticarum.

AN ORATORIBVS ECCLESIASTICIS ARTE RHETORICA vtendum sit, & quid sit Rhetorica Ecclesiastica.



VM ex doctissimorum hominum sententia eos, qui excellere cupiunt in concionando, artem Rhetoricam discere oporteat: nonnulli tamen existimăt eam concionatoribus esse indecoram, nedum parum necessariam, qui quidem profiteri debere non eloquentiam, sed solum IESVM CHRISTVM videntur; vt se fecisse D. Paulus scripsit ad Corinthios in
" hunc modum; Ego, cum venissem ad vos, Fratres, non veni
" in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis
" testimonium Christi: non enim iudicaui me scire aliquid
" inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum: & ego
" in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: &
" sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus hu-
" manæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtu-
" tis. Atque hæc quidem, quæ vir sanctissimus, & modestissi-

mus

mus conſcripſit, magnam de Rhetorica in viro Eccleſiaſti-
co faciunt dubitationem: ſed ad eam eximendam primum
reſponderi poſſe arbitramur, tametſi omnis ſcientia, om-
niſque dicendi facultas teneretur: omnem tamen gloriam
Deo Opt. Max. tribuendam eſſe; nullamque artem in con-
cionando oſtentandam, non ob eam cauſam, quæ de hu-
manis oratoribus afferri ſolet, quia omnis ars, tanquam
ſuſpecta, occultanda ſit: ſed quia homines pios, & religio-
ſos maxime decet, quidquid ſciunt, id diuinæ beneficentiæ
acceptum referre, ac modeſtiæ cauſa nullam doctrinam
profiteri, tantumque id præ ſe ferre, quod diuino concedi-
tur beneficio: hancque cauſam fortaſſe fuiſſe, quamob-
rem, cum D. Paulus ſapientiſſimus, atque eloquentiſſimus
eſſet, nullam tamen ſapientiam, nullamque eloquentiam
profeſſus ſit. Deinde reſpondemus, D. Pauli verba hoc mo-
do interpretanda eſſe; Non in perſuaſibilibus humanæ
ſapientiæ verbis, id eſt, in humana eloquentia, ſed in oſten-
ſione ſpiritus, & virtutis, id eſt, in perſuaſibilibus diuinæ
ſapientiæ verbis, quæ oſtendant ſpiritum, & virtutem; vt
reiecerit tantum humanam perſuaſionem, & eloquētiam,
non diuinam, & de rebus diuinis, atque ad diuinum cul-
tum pertinentibus, ad quas accommodari Rhetorica po-
teſt. Atque addimus, dicendi artem ne ſanctos quidem de-
decere, per quam ea melius apparere, quæ vera, & iuſta
ſunt, teſtatus eſt Ariſtoteles: quemadmodum nec ſcripto-
res Græcos Chryſoſtomum, Baſylium, Gregorium Nazi-
anzenum, nec Latinos Hieronymum, Cyprianum, eum-
que, qui etiam de eloquentia multa præcepta tradidit,
Auguſtinum dedecuit. Quamobrem ars Rhetorica con-
cionatoribus prætermittenda non eſt; valdeque laudandi
ſunt illi, qui munus Oratorium in concionando egregie
exequuntur; in quibus quidem, qui cupiunt elucere, non
debent a Rhetorum libris abhortere, vt ex arte poſſint in
concionibus ſuis de meliori vita cum auditoribus delibe-
rare, eoſque ad probitatem adhortari, ab improbitate de-
hortari, & ad Chriſtianæ pietatis ſtudium incitare. Quem-
admodum enim alibi probaui, Rhetorica Eccleſiaſtica
præcipue, & proprie deliberatiua eſt, vt ea meo quidem iu-
dicio definienda ſit, facultas videndi, quod valet ad perſua-

dendum in materia deliberatiua melioris vitæ.Itaque pl
cet definitionem colligere ex lib.1. artis Rhetoricæ Arist
telis; cum alii aliquantisper varient, scribentes Rhetor
cam Ecclesiasticam esse artem, seu facultatem inueniend
disponendi, & eloquendi ea, quæ ad salutem animaru
pertinent. Quæ meo quidem iudicio est potius explicati
verborum Aristotelis, quam noua definitio; vel, vt nonnu
lis videtur, correctio quædam; cum tamen apud Aristot
lem facultas videndi, quod valet ad persuadendum, om
nem inuentionem, dispositionem, elocutionem comple
ctatur, vt alibi probare conatus sum. Addo in materia de
liberatiua melioris vitæ, vt significem hanc Rhetorican
non esse vniuersalem illam, quæ in omni materia vers
tur, sed singularē, quæ in deliberatiua; & quidem ea, quę i
Ecclesiis tractatur, vbi melior vita suadetur, peior dissua
detur, occasione rei alicuius, quæ in Euangelio, vel in ali
qua alia parte diuinæ scripturæ agatur. Non enim com
muniter considero materiam Rhetoricæ, quod faciunt a
lij, tum eam, ex qua ipsa colligit adiumenta, & ornamen
ta, quam remotam appellant, tum eam, in qua ipsa versa
tur, sed tantum hanc præcipuam, & propriam. Neq; ean
dilato ad omnia genera caussarum, vt facere illi videntur
sed ad deliberatiuam restringo. Vixque assentior illis, qu
iudiciale quidem genus reiecerunt, tanquam alienum al
instituto concionatoris: sed demonstratiuum cum delibe
ratiuo receperunt, quod solet ad celebrandas diuorū lau
des adhiberi. Nam, si, quæcunque res seruit concionali
bus orationibus in Rhetorica Ecclesiastica, complectend
est, profecto vniuersa Rhetorica est cognoscenda, atqu
hoc modo non solum demonstratiuum, sed etiam iudicia
le genus recipiendum, quod eius generis præceptis ali
quando oratori Ecclesiastico vtendum sit ad impios cri
minandos, & pios oratione protegendos. Si propria mate
ria Rhetoricæ Ecclesiasticæ quæritur, quæ cognoscitur e
fine, quoniam concionator propositum habet tanquam
finem id, quod vtile est, quod nihil aliud est ex sententia D
Ambrosii, nisi quod confert ad vitam æternam, & vtile, a
perniciosum est finis generis deliberatiui: idcirco, cum
prosit concionatoribus aliorum quoque generum præce
pta co

pta cognoscere, deliberatiuum tamen, tanquam illorum proprium, in hac Rhetorica est præcipue perpendendum. At sæpe laudantur sancti viri in Ecclesiis, & peruersi homines vituperantur. Quid ni? Sed huiusmodi orationes, cum probationem habeant demonstratiuam, ratione tamen conclusionis, & inspecto fine, qui semper spectari debet in generibus nominandis, deliberatiuæ sunt. Intentio enim est per huiusmodi laudationem sanctorum virorum, vel vituperationem consceleratorum hominum hortari auditores ad illorum imitationem, vel ab horum moribus dehortari; quod munus est proprium generis deliberatiui; etiam si alia genera ad ipsum assumãtur, vt docuit Aristoteles. Quod si quandoque in Ecclesiis funebres habentur orationes, id videtur magis ad alios oratores, quam ad concionatores pertinere; quemadmodum etiam in foro Ecclesiastico, si illi accusentur, qui a recta religione sunt alieni. Recte igitur illi ipsi, qui cum deliberatiuo etiam demõstratiuum recipere visi sunt, in hunc modum scriptum reliquerunt; Semper Rhetorica Ecclesiastica (quamuis aliud prima fronte videatur) suadere, & dissuadere intendit, dum auditores aut ab improbitate deducit, aut ad virtutis, & pietatis studium incitat. Recteque faciunt illi, qui, cum alii sæpe aut memoriam, aut doctrinam ostentent, & alia omnia agant, quam illud, quod in concionandi munere est præcipuum, nihil ipsi aliud præ se ferunt, nisi vt consilium dant auditoribus de meliori vita, & insectando vitia, extollendoque virtutes Christianos perducant ad Christianas actiones, atque incitent omnes, qui ipsos audiunt, ad pietatem Christianam. Quamobrem, quemadmodum, si in genere iudiciali, quoniam aliquando laudantur rei, & vituperantur accusatores, idcirco præcepta generis demonstratiui traderentur: & in demonstratiuo, quoniam quandoque suadentur auditores ad eos imitandos, qui laudantur, ideo, quomodo suadendum est, præciperetur, id potius esset permiscere omnia, quam artem tradere: sic in Rhetorica Ecclesiastica, quę deliberatiua est, conformare genus demonstratiuum, & iudiciale, nihil esse aliud mihi videtur, quam deliberatiuum confundere. Aliud enim est, cum pars aliqua Rhetoricæ exponitur: aliud, cum Rhe-

torica vniuersalis explicatur. Illa profecto est singularis Rhetorica. Itaque secundum partem tractanda est: cætera vero, quæ ad vniuersalem Rhetoricam pertinent, & illi singulari quodammodo seruire queūt, vel ab aliqua Rhetorica vniuersali petenda sunt, vt Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani, aliorumque eiusmodi, vel certe cum Rhetorica singulari non confundenda, qualis est deliberatiua, & Ecclesiastica, nec tractanda tanquam Ecclesiastica, sed vt ad orationes Ecclesiasticas, κατὰ συμβεβηκός, non per se, nec proprie pertinentia. Quæ quidem non idcirco noto, vt viros grauissimos, eosdemque eruditissimos, qui sub materia Ecclesiastica comprehendi plura caussarum genera censuerunt, refellam, sed tantum vt opinionem meam qualemcunque aperiam.

RATIO ECCLESIASTICARVM ORATIONVM CONFICIENDARVM AD DVODECIM CAPITA REDIGITVR.

EAdem autem spectanda sunt in orationibus, quæ in Rhetorica exquiruntur; eaque ex Aristotelis sententia tria existunt; quæ proposita sunt ad dicendum, ex quibus dicitur, quomodo dicitur. Iam quæ proposita sunt ad dicendum, tria videntur esse; res, qua de agitur, de qua tenenda sunt, quæ in ea insunt: genus caussæ, cuius obseruandæ proprietates: controuersia, seu status, quo artificia omnia dirigenda. Ex quibus dicitur, tria traduntur, argumenta, mores, affectus: debent enim oratores docere, conciliare, permouere. Modus vero dicendi sex comprehendit, elocutionem, partium dispositionem, procemium, propositionem, fidem, epilogum; ita vt omne artificium Oratorium ad duodecim capita redigatur, vt initio horum commētariorum obseruabamus; quæ singula in concionibus quoque sunt perpendenda.

PRIMVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.

PRimum igitur tenenda sunt ea, quæ in re insunt, qua de agendum est; magisque propria, quam communia.

Quod

Quod præcipit Aristoteles in vnaquaque quæstione diligentissime obseruandum. Neminem enim posse de ea re, quam non nouit; non turpissime dicere, Cicero quoque affirmat. Quamobrem, vt laudare non possum illorum factum, qui cum minus docti sint sacrarum literarum, Theologiæ, earumque rerum omnium, quas tractant, tamen audent concionari, quorum quidam in vna, vel duabus, omninoq; paucis concionibus mutuo acceptis, vel surreptis, memoriterq; recitatis valere nonnihil videtur, in cæteris vero plane ineptos, ac prope infantes se præbent; digni quidem qui audiantur propter verbum Dei, quod in ore habent, sed propter ignorantiam, atque arrogantiam admonendi, vt se contineant, donec ad concionandum aptiores fiant; vt, inquam, illos minus laudandos existimo, qui summa rerum ignoratione laborantes audacter sola memoria fidunt. &, cum aliquid per se dicunt, longe minus videntur excellere, putanturque scire alia omnia, quam quæ sunt propria Ecclesiastici Oratoris: sic illos summis laudibus efferēdos esse arbitror, qui vt propria dicant, in præclaro studio sacræ Scripturæ, ac Theologiæ diutius laborant; nec audent in suggestum ascendere concionandi caussa, nisi doctissimi sint, & quidem in primis eius disciplinæ doctissimi, quæ eorum propria est. Non enim magis curare debent in suggestis, vt subtilissimi Theologi, vel acutissimi Philosophi videantur, quam vt oratores, id est, vt omnia accommodent ad populi intelligentiam, nihilque dicant, quod non ab omnibus intelligi queat. Qua de re alio loco. Hic enim satis sit obseruare, propria rerum argumenta adhibenda esse; quoniamque id fieri nequaquam potest sine magna doctrina, idcirco concionatorē doctum esse oportere, & quidem cum aliarum rerum doctum, tum artis Rhetoricæ; quales qui se præbēt, omnibus profecto amabiles, atque adeo etiam admirabiles existunt, nihilque dicunt in concionibus, nisi proprie, atq; ad res propositas accommodate; ac, tametsi alta quædam, sublimiaque quandoque attingunt, ex penetralibus Theologiæ, & Philosophiæ deprompta: tamen omnia ad communem accommodant intelligentiam; & adeo propriis sacræ Scripturæ, Theologiæque argumentis dele-

ctantur, vt raro alia adhibeant, & quidem summa moderatione, prudentissimoque iudicio. Contra quam faciunt multi, qui a munere suo alienissima consectantur. Res igitur insitæ sunt dicendæ, id est, propriæ illius materiæ, qua de agitur, & non longe, vel vndecunque petitæ; propriæq; muneris oratorii, quæ ab hominum multitudine intelligi queant; ac propriæ Oratoris Ecclesiastici, nimirum quę leuiores non sint, quam quæ tam graui muneri congruere videantur. Quæritur autem, de quibus præcipue sint Ecclesiasticæ orationes. Ac quemadmodum quidem apud Aristotelem dicuntur esse quinque res præcipuæ, de quibus publice consultatur: sic apud quosdam Ecclesiasticos Rhetoras, qui satis feliciter professi sunt se Aristotelem imitari, ad quinque præcipua omnem Ecclesiasticam materiam redegerunt, vt sit de credendis: de sperandis: de timendis: de vitandis: de agendis. Satis tamen fortasse fuerit tria generatim spectare, quæ pertinent ad fidem, nempe de credendis: quæ ad spem, videlicet de sperandis; quo referri potest suum contrarium, scilicet de timendis: quæ ad charitatem, & ad opera Christiana, id est, de vitandis, seu non agendis, & de agendis. Iam vero de fide tenendi sunt duodecim articuli Apostolorum, & Apostolicorum hominum traditiones: tota Scriptura sacra: sanctarum synodorum constitutiones: sanctorum Ecclesiæ doctorum explicationes. De spe parati debent esse loci proponendæ veniæ peccatorum, & fruitionis regni cælestis: ac simul ostendendi; timendum esse peccatum, quo anima dicitur mori, timendum vltimum Dei iudicium, timendas inferorum pœnas, vt, quod speratur, cœleste bonum possit obtineri. De charitate habenda ratio est, vt agatur ex virtute, non ex vitio: vt seruetur lex non scripta, & lex scripta, tum vetus Mosi data, tum noua Euangelica, tum canonica, tum ciuilis, dummodo a lege diuina non sit aliena: vt vitentur vitia, & maxime septem illa capitalia, quæ omnibus notissima sunt, ad quæ exagitanda vtilissimum erit apparatum facere argumentorum, & amplificationum ex sacra Scriptura, & ex omnibus locis, vt, cum opus fuerit, adhibeantur. De quibus omnibus plura tradiderunt alii dicendi magistri.

SECVN-

SECVNDVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.

COgnitis penitus, diligenterque perspectis rebus illis, quæ propositæ sint ad dicendum, obseruandæ sunt proprietates generis deliberatiui, in quo tales orationes versantur. Auditor enim est rei futuræ disceptator, & concio, quæ ad meliorem vitam est traducenda. Partes vero, duæ hortatio, & dehortatio. quo referuntur etiam consilium, & admonitio. Ac consilium quidem ostendit aliquid esse agendum. admonitio vero non solum demonstrat aliquid esse agendum, verum etiam modum exponit actionum: adhortatio autem impellit ad res ipsas suscipiendas iam consilio expressas, & admonitas. Ita enim distinguuntur apud Græcos hęc tria, συμβουλὴ, παραίνεσις, προτροπὴ, vt Vlpianus Demosthenis explicator obseruauit. Quare amantissima consilia sunt danda concioni: prudentissimeque ipsa est admonenda: atque ad eam viam adhortanda, quæ ducit in cœlum. Tertia proprietas huius generis est tempus futurum, quod sæpe ante oculos est ponendum non solum huius vitæ: verum etiam eius, quæ post mortem viuitur. Quarta est vtile, & perniciosum, qui est proprius finis deliberationum, vt illud suadeatur, hoc dissuadeatur.

TERTIVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.

STatum alii in tradenda arte Rhetorica Ecclesiastica omiserunt: nos omittendum non censemus; immo necessario in qualibet quæstione pertractanda cognoscendum arbitramur. Quanquam autem omnes status, qui ab Aristotele commemorantur, An sit, Quid sit, Quale sit, Quantum sit: & ab Hermogene recensentur, vnus de facto, alter de nomine facti, tertius de qualitate rei partim in ratione, partim in scripto, & quidem in ratione vel rei præteritæ, qui dicitur iuridicialis, vel rei futuræ, qui vocatur negotialis, Oratori Christiano conuenire aliquo modo queunt: tamen proprius status, & propria constitutio

deliberationum, & concionalium orationum est negotialis, Quid fieri oporteat, vel non fieri, vt veri Christiani, non adumbrati existamus; & actionibus Christianis perpetuam beatitudinem adipiscamur. Status autem negotialis ex doctrina Hermogenis sex potissimum locis pertractatur; Legitimo, Iusto, Vtili, Possibili, Glorioso, Euenturo. Ex quibus vnus quidem est proprius omnium deliberationum, scilicet vtile: duo vero cum communes sint omnibus generibus causarum, tamen generi deliberatiuo magis, quam cæteris, sunt accommodati, videlicet Possibile, & Euenturum; tres autem sunt assumpti; nimirum duo a genere iudiciali, Legitimum, & Iustum, ac tertius a demonstratiuo, Gloriosum. Iam vtile apud eundem Hermogenem duplex est; Quod conducit. Quod necessarium est. Vt ad vitam æternam conducit hoc: necessarium est hoc: Omne autem vtile spectatur ex duplici inspectione, Quid nobis ita facientibus continget, Quid nobis ita non facientibus etiam continget. Exempli gratia nobis hoc facientibus.

1.	2.	3.	4.
Quę adsunt bona permanebunt.	Quæ non adsunt, bona aduenient.	Quę adsunt mala, non permanebunt.	Quæ non adsunt mala, non aduenient.

At nobis hoc non facientibus,

1.	2.	3.	4.
Quę adsunt bona, perdentur.	Quæ non adsunt bona, sed erant euētura, nō aduenient.	Quę adsunt mala, permanebunt.	Quæ non adsunt mala, aduenient.

Possibile autem duplex est; vnum non difficile, vel simpliciter, vel quamuis difficile, tamen necessarium, ne in difficiliora incidamus: alterum facile, quod breui temporis spatio fit, & sine molestia. Euenturum vero ex suppositione cernitur, vt siue hominibus probemur, siue non probemur, vtile tamen erit Christianam vitam degere. Siue vincamus hostes fidei Christianæ; siue non vincamus, vtile tamen erit pro vera fide pugnare, si non in hac vita, at certe

post mortem. Legitimum duplex est, vnum secundum legem scriptam: alterum secundum consuetudinem, cum mos tanquam quid legitimum spectatur. Iustum intelligitur, quod præter legem ciuilem iustum est, & quod est ex iure naturali, vel gentium. Gloriosum duplicem habet inspectionem, nimirum si fecerimus, quæ laus consequetur: si non fecerimus, quod probrum itidem consequetur. In promptu igitur in omnibus concionibus illa sex habenda sunt; Hoc vtile, illud inutile: Hoc possibile, illud impossibile: Hoc euenturum, illud minime: Hoc legitimum, illud non ita: Hoc iustum, illud iniustum: Hoc gloriosum, illud nequaquã. Ac primo quidem loco vsus est D. Paulus epist. 1. ad Corinthios, cap. 6. in hunc modum; An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt: Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et paulo post; Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. Secundo loco sic in epist. ad Romanos cap. 8. Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus in filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Et inferius; Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Tertio loco in epist. ad Romanos cap. 2. sic; Deus reddet vnicuique secundum opera eius; iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira erit, & indignatio. Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci: gloria autem, & honos, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum. Quarto, & quinto loco

« in eodem capite ita; Qui sine lege peccauerunt, sine lege & « peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iu- « dicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud « Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gen- « tes, quæ leges non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, « faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, « qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testi- « monium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se in- « uicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendēti- « bus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum secun- « dum Euangelium meum per Iesum Christum. Si autem tu « Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in « Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus « per legem, confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen « eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, ma- « gistrum infantium, habentem formam scientiæ, & verita- « tis in lege. Sexto loco in eadem epist. cap. 1. ita; Quia, cum « cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut « gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & « obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse « sapientes stulti facti sunt: & mutauerunt gloriam incorru- « ptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis ho- « minis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. prop- « ter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in « immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in se- « metipsis. qui commutauerunt veritatem Dei in menda- « cium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quam « Creatori, qui est benedictus in secula, Amen. Nam fœmi- « næ eorum, &c. Non est igitur dubitandum, quin tales loci « plurimum valeant in omnibus deliberationibus.

QVARTVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.

OMne argumentum ducitur ex quatuor quasi fontibus, partim ex propriis eius generis, in quo præcipue versatur oratio: partim ex assumptis ab aliis generibus: partim ex communibus: partim ex cōmunissimis, & Topicis. Quod attinet ad propria generis deliberatiui, in quo esse

esse Ecclesiasticas orationes putamus, tradit Aristoteles, omnem suasionem, & dissuasionem, omnem hortationem, & dehortationem, omnem consultationem existere ex iis, quæ pertinent ad felicitatem, vel ad partem aliquam felicitatis. Cum autem ipse definiat terrenam hominis felicitatem, eiusque partes diligenter enumeret; in materia Ecclesiastica spectari magis debet felicitas cœlestis, quam is non cognouit. Et, tametsi propositiones, quas idem recenset tum bonorum confessorum, tum controuersorum, tum comparatorum non sunt inutiles ei; qui sit concionaturus, in suadendis bonis actionibus, malisque dissuadendis, vt bona humana parentur ad Christiana opera exercenda: tamen illæ in primis concionales propositiones sunt obseruandæ a Iesu Christo, vero omnium magistro, traditæ apud Matthæum cap. 5. vnde colligitur, nihil aliud esse felicitatem, ac beatitudinem Christianam, nisi possessionem omnium bonorum, cuius septem præcipuæ recensentur partes; quarum prima est regnum cœleste: altera possessio terræ: tertia consolatio: quarta saturatio: quinta misericordia Dei: sexta visio Dei: septima vocari filiū Dei; quæ quidem omnia rebus octo comparantur; tum paupertate spiritus, cum homines non se efferunt insolentius, sed submisse omnia bona, quæ habent, Deo Opt. Max. accepta referunt, diuitias autem luxuriæ administras contemnunt: tum mansuetudine, cum se omnibus præbent non asperiores, ac duriores, sed mites, ac lenes: tum luctu, cum lugent huius vitæ miserias, & calamitates, in qua tot errata contingunt, tot mala animos nostros a Deo abalienant: tum desiderio iustitiæ, cum ita appetunt id, quod iustum est, vt suum vnicuique tribuatur, id est, vt Deus omnium rerum creator, & omnium bonorum præbitor agnoscatur, superioribus obedientia, paribus beneuolentia, inferioribus auxilium præstetur, suum ab vnoquoque cor expurgetur, os frænetur, corpus castum, atq; integrū conseruetur: tum misericordia erga pauperes, cum debent propter mala, quibus ii sunt indigni: tum munditia cordis, cum sibi nullius sceleris sunt conscii: tum studio pacis, cum ipsam pacem modis omnibus complectuntur: tum perpessione malorum propter iustitiam, cum omnem corpo-

ris cruciatum, dolorem, mendicitatem, vincula, exilium perpetiuntur, vt æquum, & bonum defendatur. Sic enim fiunt cœlestis regni participes: fiunt terræ possessores: omni consolatione permulcentur; in omnibus appetitionibus suis explentur, & saturantur: apud Deum misericordiam inueniunt: Dei visione perfruuntur: Dei filii nuncupantur: regnare cum Deo in cœlo existimantur. Cum autem multa Theologi tradiderint de natura, & essentia beatitudinis, ac de partibus eius; ad illa confugiendum est, vt adhortationes habeantur ad beatam vitam adipiscendam omninoque statuendum, præcipuum argumentum in genere Ecclesiastico esse ab vtili, & vtile esse, quod parat cœlestem beatitudinem, & vitam æternam. quod spectabat Apostolus, cum scribebat ad Romanos cap. 6. Quem ergo
« fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis
« nam finis illorum mors est. nunc vero liberati a peccato,
« serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctifi-
« cationem, finem vero vitam æternam: stipendia enim pec-
« cati mors: gratia autem dei vita æterna in Christo Iesu do-
« mino nostro & 2. ad Corinthios cap. 8. Scitis gratiam do-
« mini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus fa-
« ctus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis
« & consilium in hoc do: hoc enim vobis vtile est &c. & 2. ad
« Timotheum cap. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata
« vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum
« ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo dei ad o-
« mne opus bonum instructus. & ad Titum cap. 3. Fidelis
« sermo est: & de his volo te confirmare; vt curent bonis ope-
« ribus præesse, qui credunt Deo. Hæc enim sunt bona, &
« vtilia hominibus. stultas autem quæstiones, & genealo-
gias, & contentiones, & pugnas legis deuita. sunt enim inutiles, & vanæ.

Præter propria attendenda sunt assumpta, vt in genere deliberatiuo assumuntur argumenta, si assumi possint, tum ex demonstratiuo ea, quæ sunt ab honesto, vel turpi, tum ex iudiciali ea, quæ sunt a iusto, vel iniusto. Vt argumentatur Paulus a turpibus actionibus peccatorum, vt ostendat illorum exemplum vitandum esse, ad Romanos
» cap. 1. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. na-

niæ. nam fœminæ eorum immutauerũt naturalem vſum, ” in eum vſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & ” maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſide- ” riis ſuis inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem ope- ” rantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemet- ” ipſos recipientes. Et ſicut non probauerunt Deum habere ” in noticia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt fa- ” ciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, ” malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, ” homicidio, contentione, odio, malignitate, ſuſurrones, ” detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, ela- ” tos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, in- ” ſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſq; fœdere, ſine ” miſericordia. Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non ” intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte; ” non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt fa- ” cientibus. Idem argumentatur a iuſto, & iniuſto, vt oſten- ” dat illud ſequendum, hoc fugiendum, ad Romanos eo- dem capite; Iuſtus ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de ” cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum ” eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. ”

Obſeruatis propriis, & aſſumptis obſeruanda ſunt quoque communia, quæ apud Ariſtotelem quatuor ſunt, tum factum, vel non factum: tum magnum, vel paruum: tum poſſibile, vel impoſſibile: tum futurum, vel non futurum; quorum quidem quemadmodũ primum magis congruit generi iudiciali, & ſecundum demonſtratiuo: ſic tertium, & quartum deliberatiuo, vt doctiſſime docuit Ariſtoteles. Itaq; in orationibus eccleſiaſticis, quæ ad genus deliberatiuum referuntur, attendenda ſunt illa potiſſimum, quæ probant poſſibile, vel impoſſibile, futurum, vel non futurum; vt oſtendatur viam Ieſu Chriſti eſſe facilem illis, qui inflammata fide ducuntur: vel eſſe quidem difficilem, atq; arduam, ſed neceſſariam ad æternam beatitudinem conſequendam, & ne incidamus in maiores difficultates perpetuæ damnationis: ac poſt miſerias, & calamitates huius vitæ, quæ potius mors eſt, futurum eſſe omne gaudium, & ſolatium iis, qui bene vixerint, cum talibus mors ſit potius vita. Ab impoſſibili argumentabatur Paulus ad Hebræos

" cap. 11. sic. Sine fide impossibile est placere Deo: credere
" enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquiren-
" tibus se remunerator sit. A futuro ad Romanos cap. 5. Si,
" cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem
" filij eius: multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsi-
" us. propositiones vero, quæ probant possibile, & futurum,
" ex Aristotele petendæ sunt.

Neq; vero ad faciendam copiam argumentorum concionatoribus loci Topici inutiles sunt, ad quamlibet quæstionem probandā maxime accommodati; qui cum apud Aristotelem partim sint verorum argumentorum, partim adumbratorum, partim dissoluendorum: omnes tamen reducuntur ad eos, quos enumerauit Cicero in Topicis, & Partitionibus Oratoriis; vt alij sint assumpti, qualia sunt testimonia diuina, & testimonia humana: alij insiti, cuiusmodi sunt definitio, enumeratio partium, notatio, affecta, seu relata ad aliud. Ac quod attinet quidem ad locos assumptos, qui sunt duo, vnus a testimonio diuino, alter a testimonio humano, quemadmodum veteres habuerūt oracula Iouis Hammonis, Iouis Dodonæi, Apollinis: sic nos habemus oracula Iesu Christi domini nostri. illi auspicia: nos cœli signa. illi responsa sacerdotum: nos dicta sanctorum hominum. illi responsa haruspicum: nos dicta religiosorum, qui statis sacrificiis spiritu sancto afflati de rebus agendis consulunt, vel non agendis. illi responsa coniectorum, qui somnia interpretabantur: nos dicta eorum, qui sacris visionibus illustrantur. Et hæc omnia vocantur testimonia diuina. Humanum autem testimonium spectatur ex auctoritate grauissimorum virorum, vt Platonis, Aristotelis, aliorum Philosophorum, quorum sententiæ sæpe ad aliquid confirmandum adhibentur, & historicorum, quibus tamquam vera narrantibus solet maxima fides adhiberi. Quod vero attinet ad locos insitos, qui sunt octodecim, illorum affertur ratio a S. Seuerino Boetho, quod quilibet eorum terminorum, qui in quæstione positi sunt, habet suam definitionem, qui est primus locus a definitione: suas partes, qui est secundus ab enumeratione partium: suam notationē, qui est tertius a notatione: & aliquam affectionem, seu relationem ad res alias, quæ relatio com-

tio complectitur quindecim locos. Etenim ex locis, qui inter se referuntur, quidam sunt amici, quidam inimici. Ac amici quidem in essentia, seu, vt barbari loquuntur, in substantia sunt sex, vnus a genere, alter a specie, tertius ab antecedenti, quartus a consequenti, quintus a causa, sextus ab effectu: in qualitate tres, vnus a coniugatis, alter a similibus, tertius ab adiunctis: in quantitate vnus a paribus. Inimici vero tribus modis sunt tales, aut quomodolibet, vt est locus a differentia: aut in qualitate, vt locus a contrariis, & locus a repugnantibus: aut in quantitate, vt locus a maiori, & locus a minori. Itaq; loci Topici sunt viginti, ad quos ceteri omnes reducuntur.

1. Testimonium diuinum est, quod ab auctoritate diuina sumitur ad faciendam fidem. vt ad Romanos cap. 1. Testis mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio, &c. & cap. 3. Est Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris. & cap. 4. Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus; Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatũ. & ad Titum, cap. 1. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est; quod fuit Epimenidis.

2. Testimonium humanum est, quod ab auctoritate humana sumitur ad faciendam fidem. de quo ita Apostolus 2. ad Corinthios, cap. 13. In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. quo idem Apostolus vsus est, dum Atheniensibus Christum annunciaret, vt apparet in Actis Apostolorum cap. 17. vbi leguntur hæc eius verba de Deo; In ipso viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. Sunt verba Arati Poetæ, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, priori quoq; ad Corinthios, cap. 15. citatur illud; Corrumpunt mores bonos colloquia mala; quod fuit Menandri.

3. Definitio est oratio, quæ explicat naturam rei. Vt ad Hebræos cap. 11. Fides est sperandarum substantia rerum,

argumentum non apparentium. & 1. ad Timotheum cap 3. Domus Dei est ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. & cap. 6. Cupiditas est radix omnium malorum, quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.

4. Enumeratio partium est, oratio, quæ vel enumerat diuersas significationes, vt 1. ad Corinthios cap. 15. Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, alia autem volucrium, alia piscium. Vel enumerat diuersas species, vt ibidem; Et corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. & cap. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. maior autem horum est charitas. Vel enumerat diuersa membra, vt in eadem epist. cap. 12. Diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt: idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt: idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alij fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij Prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atq; idem spiritus, diuidens singulis, prout vult. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus.

5. Notatio est oratio, quæ explicat originem vocis, vt apud Matthæum cap. 15. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

6. Genus est, quod complectitur multas species inter se differentes, vt, quod bonum est, & acceptum coram Deo, complectitur multas species bonorum operum, in quibus est facere orationes pro iis, qui potestatem habent. At posito genere in vniuersum etiam ponitur species; vt omne, quod bonum, & acceptum est coram Deo, faciendum est. Orationes autem pro regibus sunt bonæ, & acceptæ coram Deo: ergo faciendæ. Sic enim argumentabatur Apostolu

stolus 1. ad Timotheum cap. 2. cum scribebat; Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

7. Species est, quæ supponitur generi. vt D. Paulus Episcopatum facit speciem boni operis. Posita autem specie ponitur genus. Quare Epist. 1. ad Timotheum cap. 3. scribit; Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

8. Antecedens est, quod ita antecedit, vt eo posito, necessario ponatur consequens. vt ad Romanos cap. 8. Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Et, si Deus pro nobis, quis contra nos? & 1. ad Corinthios cap. 7. Si non se continent, nubant: melius est enim nubere, quam vri. & 1. ad Timotheum cap. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nocua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.

9. Consequens est, quod ita consequitur, vt eo destructo necessario destruatur antecedens. vt ad Romanos cap. 4. Si qui ex lege heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio: At exinanita non est fides, nec abolita promissio: ergo nulli ex lege heredes sunt. & 1. ad Corinthios cap. 15. Si Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: At inanis non est prædicatio nostra, nec inanis fides vestra: ergo Christus resurrexit. & ad Galatas cap. 2. Si per legem iustitia, gratis Christus mortuus est: At gratis Christus non est mortuus: ergo non per legem iustitia.

10. Caussa est, a qua manat effectus. vt ad Romanos cap. 4. Lex iram operatur. vbi enim non est lex, nec præuaricatio. & cap. 5. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obedientiam

iusti constituti sunt multi. Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum. & 1. ad Corinthios cap. 11. Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. & ad Galatas cap. 2. Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu credidimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod ex operibus legis nō iustificabitur omnis caro.

11. Effectus sunt, qui manant a causa. ad Galatas cap. 5. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus talia non est lex.

12. Coniugata sunt, quæ habent aliquam similitudinem, & dissimilitudinem vocis, itidemque aliquam similitudinem, & dissimilitudinem significati, vt sapiens, sapienter, sapientia: iustus iuste, iustitia: creator, creatura, ad Romanos, cap. 1. seruierunt creaturæ potius, quam creatori.

13. Similia sunt, quæ in qualitate conueniunt. 1. ad Corinthios, cap. 15. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni: portemus & imaginem cœlestis. & 2. ad Corinthios cap. 11. Timeo autem, ne, sicut serpens Heuam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo.

14. Adiuncta sunt vnicuique rei finitima, & probabiliter adhærentia. 1. ad Corinthios cap. 13. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas nūquam excidit, siue prophetiæ euacuentur, siue linguæ cessent, siue scientia destruatur,

15 Paria

15. Paria ſunt, quæ conueniunt in quantitate. Paulus in epiſtola ad Romanos cap. 4. citat illud; Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris.

16. Differentia eſt qualibet diſſimilitudo, & differre intelliguntur, quæ quomodolibet diſſimilia videntur. ad Romanos cap. 4. Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei vero, qui non operatur; credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. & cap. 5. Non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. & cap. 8. Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt. nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus vita, & pax. 2. ad Corinthios c. 4. Quæ videntur, temporalia ſunt: quæ non videntur, æterna ſunt. 1. ad Timotheum cap. 4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

17. Contraria ſunt, quæ longiſſime a ſe inuicem diſtant, & plurimum inter ſe diſcrepant. ad Galatas cap. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem. hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. ad Coloſſenſes cap. 3. Quæ ſurſum ſunt, ſapite: non quæ ſuper terram. ad Titum cap. 1. omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed coinquinatæ ſunt eorum & mens, & conſcientia.

18. Repugnantia ſunt vnum contrarium, & conſequens alterius contrarii.

Esse Iudæum CONTRARIA Esse gentilem

CONSEQVENS REPVGNANTIA REPVGNANTIA CONSEQVENS

Iudaizare CONTRARIA Gentiliter viuere.

Ad Galatas cap. 2. Si tu cum Iudæus sis, gentiliter viuis, & non iudaice: quomodo gentiles cogis iudaizare?

19. Comparatio a maiori ad minus est a verisimiliori ad minus verisimile, vel ab eo, quod magis videtur inesse ad id, quod minus videtur inesse. Affert enim Aristoteles hanc regulam; Si quod magis videtur inesse, non inest, nec quod minus. 1. ad Timotheum. cap. 3. Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit?

20. Comparatio a minori ad maius est a minus verisimili ad verisimilius, vel ab eo, quod minus videtur inesse ad id, quod magis videtur inesse. Nam Philosophi regula est; Si quod minus videtur inesse, inest etiam quod magis. ad Romanos cap. 5. Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Quidam afferunt hoc exemplum argumenti a maiori ad minus ex B. Hieronymo ad Heliodorum; Filius hominis non habet, vbi caput reclinet: & tu amplas porticus, & ingentia tectorum spatia metiris. quod tamen ex regula Aristotelis est a minori ad maius; Si filius hominis non habet, vbi caput reclinet, quod minus verisimile est: quanto magis tu amplas porticus, & ingentia tectorum spatia non deberes metiri, quod est verisimilius. Atq; si tu amplas porticus, & ingentia tectorum spatia metiris, quod minus videtur inesse, quanto magis fi-

lius

lius hominis deberet habere, vbi caput reclinet, quod magis videtur inesse. Et illud a maiori, quod est etiã a minori; Dominus noster Iesus Christus nobis maxima, & grauissima peccata, quæ quotidie committimus, dimittit, quod est minus verisimile, & minus videtur inesse; & nos leuissimas fratrum nostrorum iniurias ferre non possumus, quod tamen deberet magis inesse, & est verisimilius, vt fiat?

QVINTVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.

POst argumenta adhibenda est cura moratæ orationis, quæ tametsi conciliationi procemiorum maxime congruit: tamen per totam orationem tanquam sanguis per animatum corpus diffundi debet. Spectantur igitur mores partim in oratore, partim in auditore, partim in elocutione. Ac in oratore quidem tres ex doctrina Aristotelis, vt appareat primum prudens, ne de rebus agendis malum consilium dare videatur: deinde probus, ne vitium aliquod indicet inesse moribus suis: denique beneuolus iis, qui audiunt, ne asperrimis reprehensionibus, & acerbioribus obiurgationibus, quam vt tolerari posse videantur, se inimicum esse audienti populo profiteatur. Exprimit prudentiam D. Paulus cum aliis omnibus in locis, tum ad Titum cap. 1. in Episcopi qualitatibus exprimendis, Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, iustum, sanctum, continentem: amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Pertinet quoque ex doctrina Aristotelis ad prudentiam moratæ orationis, vt, si maledicendum sit aliquibus, in eo nitetur conuicium, & rusticitas, vt alter dicens inducatur. quod facit ibidem Apostolus de Cretensibus in hunc modum, Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestię, ventres pigri. Exprimit probitatem vbi-

que.vt 2. ad Corinthios cap. 3. Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti, non litteræ, sed spiritus: littera enim occidit: spiritus autem viuificat. Et cap. 7. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circunuenimus. Exprimit beneuolentiam, dum profitetur se esse fidelem seruum Corinthiorũ in eadem epist. ca. 4. Non nosmet ipsos prædicamus, sed Iesum Christum dominum nostrum: nos autem seruos vestros per Iesum. & dum procurat bonum ipsorum, cap. 8. Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem etiam vestræ charitatis ingenuũ bonum comprobans. &, consilium hoc do: hoc enim vobis vtile est, &c. Quam primam partem moratæ oratinois alii Rhetoricæ Ecclesiasticæ magistri vel non attigerunt, vel cum tertia permiscuerunt, vt inferius apparebit. In auditore autem ex doctrina eiusdem Aristotelis, quatuor morum genera considerantur, ad quos oratio videtur esse accommodanda, ex affectibus, ex habitibus, ex ætatibus, ex prospera aduersaque fortuna; primum vt oratio accommodetur ad affectus, exempli gratia ad cupiditatem regni cœlestis, ad metum mali, quod apud inferos habetur, ad gaudiũ bene agendi, ad dolorem male agendi, amplificando ea, in quibus huiusmodi affectus versantur: deinde ad habitus, quales sunt virtutes, & vitia, illas sine adulatione laudando, hæc sine asperitate infamiæ reprehendendo: præterea ad ætates, iuuentutem, vigorem, senectutem, omnium ætatum homines amanter instituendo: postremo ad prosperam, aduersamque fortunam, ad nobilitatem, ignobilitatem, diuitias, paupertatem, potentiam, impotentiam, omnino prosperitatem, aduersitatemque fortunæ, omnium hominum conditiones vtilissimis consiliis adiuuando. In qua secunda parte moratæ orationis se excelluisse ostendit Apostolus, 1. ad Corinthios cap. 9. Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, (cum ipse non essem sub lege) vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: iis, qui si-

qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Et ad Romanos, cap. 12. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Hanc ſecundam partem alii Rhetoricæ Eccleſiaſticæ magiſtri ita tractant, vt magis conſiderent genera auditorum, quatenus commoueantur, quam quatenus ad ipſorum mores accommodetur oratio, & diſtinctionem Ariſtotelis non ſequuntur, niſi quatenus ad numerum quaternarium, vt alii ſint natura, alii diſciplina, ſiue arte: alii electione: alii occulto quodam Dei iudicio. Nos tamen eo modo tractatam, quo præcipit Ariſtoteles, vtiliſſimam eſſe concionatoribus arbitramur, vt, quamuis quidam affectus ab animis auditorum eſſent amouendi, & quidam habitus in eis reprehendendi, & quidam mores ætatum vituperandi, & quædam actiones ſecundum proſperam, aduerſamque fortunam moderandæ: tamẽ ad huiuſmodi affectus, habitus, mores, actiones ita oratio initio accommodetur, vt multũ poſſit proficere, nec tam aſpera, & acerba exiſtat, vt magis fugare auditores, quam allicere videatur; ſed facilis ſit, amica, ſuauis, & cum quadam laudabili inſinuatione amabilis, & iucunda. Quo quidem mirabili artificio qui valent, dici non poteſt, quam fructuoſi ſint in Republ. Chriſtiana, quam omnium ora in ſe conuertant, quantoſque habeant hominum concurſus, dum concionantur.

In elocutione vero duplices mores cernuntur, alteri ſecundum genus: alteri ſecundum habitum; vt oratio reſpondeat tum generi, id eſt nationi, ſexui, ætati eorum, de quibus agitur: tum habitui animi, corporis, fortunæ, omninoque hominum conditioni. de ſanctis enim debet eſſe elocutio eiuſmodi, vt res exprimat ſanctas: de diabolicis diabolicas: de omnibus congruenter. Quam tertiam partem moratæ orationis notum eſt ad decorum elocutionis pertinere, poſitum non ſolum in hoc, vt oratio ſit affecta, & morata, quemadmodum notant alii Rhetoricæ Eccleſiaſticæ magiſtri, verum etiam in eo, vt proportione reſpondeat ſubiectis rebus, nec de amplis ſummiſſe dicatur,

neç de tenuibus grauiter, nec tenue nomen ornatus con-
ſequatur, cuius rei exemplum affert Ariſtoteles, veneranc
ficus. Nec ſpectatur hæc tertia pars in eo, vt ſancti mor
exprimantur in perſona oratoris, quemadmodum illi no
tant, obſeruantes maximam apud omnes vim habere illo
rum patrum, qui Capucini dicuntur, hortationes ad pau
pertatem amandam, ad ſobrietatem, ad contemptum
mundi, quoniam cum oratione non diſcrepet vita: & ad
moratam orationem, atque ad comparandam auctorita-
tem in dicendo hæc neceſſaria eſſe, vt orator Eccleſiaſticus
vitæ ſanctimonia oſtendat, ſe a ſpiritu ſancto edoctum,
ſanctis moribus ornatum, atque inprimis ad illud munus
dicendi vocatum, & miſſum eſſe. quæ tam vera quidem
ſunt, quam quæ veriſſima: ſed pertinent magis ad primam
partem moratæ orationis, cuius munus eſt exprimere a-
mabiles mores oratoris, quam ad tertiam, quæ debet ex-
primere mores conuenientes illis perſonis, de quibus a-
gitur.

SEXTVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Eccleſiaſticis.

SOlet illa quæſtio diſputari, An liceat non ſolum Eccle-
ſiaſticis, verum etiam cæteris oratoribus affectus mo-
uere. Dubitatur enim ex eo, quod ſcriptum reliquit Ariſto-
teles, Non oportere auditorem diſtorquere ad iram im-
pellendo, aut inuidiam, aut miſericordiam: id enim perin-
de eſſe, ac ſi quis, qua vſurus ſit, regulam torqueat. Quam
dubitationem alibi ita exemimus, vt dixerimus, aut per
affectus trahi auditores ad id, quod falſum, & malum ſit, &
tunc non licere: aut ad id, quod verum, & bonum; & tunc
licere. Cum enim finis bonus, & ſanctus propoſitus eſt, in
quem qui loquuntur, tanquam ſagittarii in ſcopum intu-
entur, ſi affectus moueantur, id noſtra quidem ſententia
diſtorquere animos non eſt, ſed potius dirigere. Quamob-
rem minime dubitamus, quin oratoribus iis, qui iuſta, &
vera perſuadere conantur, liceat afferre motum animis
auditorum: cum præſertim agatur apud auditores, qui
non ſunt, tanquam Areopagitæ illi, de quibus loquebatur
Ariſt.

Arist. sanctissimi, & sapientissimi, nullis affectibus indigentes, sed plerunque perturbationibus subiecti: tantumque abest, vt Ecclesiasticis oratoribus, quibus sine dubio sanctissimus, atque optimus propositus est finis, mouendos non esse affectus arbitremur, vt potius magnam laudem iis tribuamus, qui huiusmodi in artificio excellunt. Iam vero cum multi affectus ab Aristotele enumerentur, eorum tamen quidam huic generi in primis conueniunt, vt metus, & fidentia, pudor, & impudentia. Itaque tum metus, & opinio malorum malis hominibus impendentium: tum fidentia, & opinio bonorum bonis viris expectandorum: tum pudor ex turpibus actionibus: tum quædam laudabilis impudentia in frequentandis operibus Christianis videtur excitanda vt D. Paulus affert fidentiam bonis, & metum malis in epist. ad Colossenses cap. 3. Quodcunq; facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo seruite: qui enim iniuriā facit, recipiet id, quod inique gessit. Sic moueri potest pudor, ostendendo, quam turpe sit a vera fide recedere: & honesta quædam impudentia, vt non curetur offensio existimationis ex actionibus Christianis; quemadmodum etiam D. Paulus ad Romanos cap. 1. scribebat se non erubescere Euangelium. Solet autem amplificatio adhiberi, vt impellantur animi ad affectum, quæ licet dicatur esse propria perorationis: tamen congruere etiam aliis partibus potest, & maxime confirmationi, & refutationi, cum aliquid est confirmatum, vel refutatum. Ad quam non magis consuetudinis, quam necessitatis causa est accedendum. quod fit ab illis, qui rerum tractandarum naturam parum nouerunt, vt etiam tragœdias excitent, vbi non oportet. Neque ita accedendum, vt per vocis elationem omne artificium aperiatur, magisque fiat amplificatio vocis, quam rei, qua de agitur. Sed, vt tantum amplificandum est, vbi amplificationem res ipsa postulat, plerunque in fine confirmationis, quandoque etiam in media confirmatione, & principio eius, ac in aliis partibus orationis: sic sensim, & occulte ad ipsam amplificationem veniendum, vt magis momenta rerum videantur eam intulisse, quam apertum

artificium inuexisse: ea enim tantummodo ars censenda est, quæ ita occultatur, vt proxime ad naturam accedere videatur.

SEPTIMVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.

SEquitur, vt de elocutione agamus, quam etiã superius attigimus, vbi de morata oratione disputauimus. Cum autem Aristoteles in genere deliberatiuo magis requirat amplitudinem orationis, quam studium exquisitum; & Cicero magis grauitatem sententiarum, quam verborum: orator Ecclesiasticus in eo potissimum debet laborare, ne orationem nimis comptam, & politam affectare videatur: & ei quidem emendate loquendum est, sed non ad verba ornata, tanquam ad Sirenios scopulos adhærescendum: denique eum grauissimis sententiis delectari oportet, easque in sermonibus suis frequentes adhibere. Quanquam autem nimium studium in elocutione deliberatiua parum probatur: tamen non nocuerit concionatoribus ab Aristotele discere, de verbis simplicibus adhibenda esse illa potissimum, quæ sunt propria, quæ vsitata, quæ translata: vitanda illa, quæ frigidam reddunt elocutionem, duplicia vocabula, peregrina, epitheta longa, intempestiua, frequentia, quo vitio frigidæ orationis plurimi laborãt concionatores: de verbis autem coniunctis, quæ sit emendata elocutio; quæ amplificata, quæ numerosa, quæ decora, quæ fusa, & versa, quæ vrbana, quæ conueniens. Hæc enim omnia existimo magis petenda esse ab Aristotele, quam ab ecclesiasticis dicendi magistris; quorum quidam nimij sunt in hac parte, quæ nimium studium non requirit; integros enim libros de ea conscribunt: alij vero etiam ipsam appellant formam eloquentiæ ecclesiasticæ, & pra cipuam partem Rhetoricæ, cum Aristoteles primum locum tribuat enthymemati.

OCTAVVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.

QVemadmodum in aliis orationibus quatuor præcipuæ partes solent collocari: sic etiam in ecclesiasticis sunt

ſunt collocandæ, videlicet procemium, propoſitio, fides, epilogus.

NONVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Eccleſiaſticis.

QVi de procemiis eccleſiaſticis conſcripſerunt, nihil magis obſeruarunt, quam illud ore omnium contritum, & peruulgatum, ſumi illa trium rerum cauſa, vt beneuolos, vt attētos, vt dociles auditores habeamus. Quod quidem præceptum eſt communius, quam vt a nobis, qui proprietatem quærimus eccleſiaſticarum orationum, debeat pluribus verbis explicari. Quamobrem conuerſi ad auctorem omnium grauiſſimum Ariſtotelē, primum notamus, quod ille ſcriptum reliquit, duo eſſe procemij munera, vnum maxime neceſſarium, & proprium, nempe indicare finem, cuius cauſa oratio inſtituta eſt; itaq;, ſi manifeſta, & parua res ſit, non eſſe vtendum procemio: alterum minus neceſſarium, & proprium, quod parat animos auditorum, & conciliationes continet animorum, tanquam medicamenta quædam, & communia, quia conueniunt etiam ceteris partibus orationis. Ac primum quidem munus parum conuenit deliberatiuis orationibus: propterea quod, quemadmodum obſeruat Ariſtoteles, auditores id, de quo agitur, ſciunt. Nam, vt teſtatur Vlpianus in primā Philippicam Demoſthenis, tabellas quaſdam conſcribere ſolebant, quibus res, de qua conſultabatur, & propter quā indicta erat concio, continebatur; easq; ante concionem proponebant, vt cognoſcerent omnes, qua de re indicta eſſet concio. ſic noſtris temporibus non videtur neceſſe indicare, de quo Euangelio, & de qua parte diuinæ ſcripturæ agendū ſit, cum Euangelia, & epiſtolæ ſingulis diebus accommodatæ, quæ in eccleſiis celebrantur, in promptu ſint, & plerunq; ante concionalem orationem audiantur, dum ſanctiſſimum, quo mors Chriſti commemoratur, ſacrificium in Chriſtianorum corona peragitur. Hac igitur de cauſa, vt indicetur res illa, ſacris literis comprehenſa, de qua eſt concionandum, non videtur procemium admodum neceſſarium, cum minimo negotio ea ſciri poſſit, vel in eccleſiis, dum ſtata ſacrificia fiunt, vel et-

iam extra ecclesias in libris Euangeliorum, & Epistolarū, qui quidem in omniū fere manibus versantur. Sumi tamē potest procemium alterius muneris causa, vt parentur animi auditorum. Itaq; recte Aristoteles in hanc sententiam; Res nulla alia de causa procemio indiget, nisi propter ipsum, aut contradicentes, aut si non, quantam velis, rem existiment, sed vel maiorem, vel minorem. Quamobrem aut criminari, aut criminationem depellere necesse est, & aut augere, aut extenuare. Horum autem causa procemio indiget, aut ornatus gratia, quod abrupta videantur, nisi illud habeant. Ducendum igitur est procemium aut ab ornatu, ne oratio sit abrupta, & sine capite: aut ab amplificatione, si minorem rem existiment auditores, quam velis: aut ab extenuatione, & diminutione, si maiorem: aut a criminatione propter contradicentes: aut a depulsione criminis propter oratorem. Itaq; quinque sunt loci procemiorum deliberatiuorum, depulsio criminis, criminatio, extenuatio, amplificatio, ornatus.

1. Ac amplissimus quidem locus procemiorum concionalium est ab ornatu, qui sumi consueuit ab aliqua similitudine, vel historia sacræ scripturæ, plerunq; per insinuationem, cum id, de quo agitur, in ipso procemio statim nō intelligitur, sed in eius fine declaratur. Nam, cum tria sint tempora insinuationis, vt docuit Cicero, cum aut inest in ipsa causa quædam turpitudo, aut illi, quos audire oportet, defessi sunt audiendo, aut illis contrarium persuasum videtur, propter hanc vltimam causam videtur insinuatio concionatoribus conuenire, quod agi videatur apud auditores a communi aduersario, & cacodæmone ad peccandum inductos.

2. Potest quoq; principium sumi ab amplificatione cœlestis beatitudinis, vel malorum, in quæ incurrunt peccatores, vel aliarum huiusmodi rerum.

3. Et a diminutione potentiæ diabolicæ in Christianos, & hæreticorum, atq; infidelium, si ipsi Christiani diuina potentia adiuuentur, vel ab aliqua alia extenuatione.

4. Et a criminatione cacodæmonis, vel hæreticæ prauitatis, vel infidelitatis, vel illorum Christianorum, qui contra agunt, quam moneant diuina mandata, vel aliquarum huiusmodi rerum.

5. Et a

5. Et a depulsione criminis, si qua obiectio videatur fieri posse, aut nobis, quod minus idonei simus ad concionandum: aut viris religiosis, quod melius loquantur sæpe, quam viuunt: aut sacræ scripturæ, quod multa suadeat, quę sint supra naturam: aut aliquo alio modo. Quæ depelli possunt, vt dicatur, nō nos, sed in nobis Spiritum sanctum esse loquuturum: non, quid faciant viri religiosi, sed, quid dicant, attendendum: quantum Deus naturæ antecellit, tantum diuinam scripturam legibus naturæ præstare: & alia eiusmodi, quæ dici possunt plurima. Quamquam hic locus, quatenus personam concionatoris comprehendit, eamq; grauitatem non habet, quam concionis principium videtur postulare, meo quidem iudicio satis artificiose secundæ partis procemio reseruatur. Ab vno igitur de his locis concionatores debent conciones suas exordiri; atq; in primis illud cauere, quod monet Horatius de principiis poetarum, ne oratio sit turgida, atq; inflata. scribit enim ad Pisones in hunc modum;

Nec sic incipies, vt scriptor Cyclicus olim;
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes: nascetur ridiculus mus.

Qui enim in principiis nimis magna loquuntur, & ampullis, ac sesquipedalibus verbis vtuntur, valde reprehendendi sunt. Quod docet quoq; Cicero in oratore ad Brutum, cum scribit, Principia verecunda, non elatis intensa verbis esse oportere.

DECIMVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIbus Ecclesiasticis.

CVm procemio cōiungenda est propositio rerum confirmandarum. Hanc Aristoteles necessariam orationis partem appellat; quæ vel simplex est, vt exempli gratia cum proponitur agendum de ieiunio: vel rerum, de quibus futura oratio est, distributam continet expositionem; diciturq; proprie partitio: vel factum aliquod narrat, & vocatur narratio. Propositionem autem, vel partitionē quidam solent deducere ex narratione rei gestæ in Euangelio

comprehensæ. Nam licet ex doctrina Aristotelis narratio non conueniat generi deliberatiuo, quatenus deliberatur: tamen solet assumi vel ad laudandum, vel ad vituperandum, vel ad criminandum, vel ad criminationem depellendam, vt postea melior deliberatio fieri possit. Cuius rei pulcherrimum habetur exemplum apud Ciceronem pro lege Manilia. Itaq; in concionibus coniunctim cum principio quidam solent breuiter, dilucide, probabiliterq; narrare, quid in lectione Euangelica contineatur, & ex ea narratione deducere eorum capitum propositionem, de quibus futura orátio est. Quod tametsi non est improbandum, modo seruentur virtutes narrationis, breuitas, perspicuitas, probabilitas, vel perspicuitas, & probabilitas, cum breuitatem studio Isocratis refellendi Aristoteles in narratione irrideat, præcipiens narrandum esse, quantum sit satis: tamen, cum res, de qua futura oratio est, & Euangelium, de quo concionandum est, soleat esse notissimum, vt nulla narratione opus esse videatur, satis fortasse fuerit illud facere, quod nonnulli faciunt, vt loco narrationis reuocent tantum in memoriam ea, quæ de Euangelica historia sciuntur, & statim proponunt capita orationis suæ. Non desunt, qui tradant alia tria genera narrationum; vnum, cum res gestas, quæ vel in sacris literis, vel in vita sanctorum leguntur ad aliquid confirmandum concionatores commemorant: alterum, quod amplificandi causa tractatur: tertium, quod allegoriæ, vel tropologiæ seruit. Quæ omnia nos inter partes confirmationis collocamus. Nam primum sine dubio confirmat: alterum amplificat; amplificatio vero, & diminutio sunt enthymemata quædam, quæ valent ad confirmandum. Scribit enim Aristoteles in hunc modum; Amplificare, & diminuere sunt enthymemata ad demonstrandum magnum, vel paruum esse: Tertium genus valet ad mores formandos, & fidem Christianam confirmandam; quod munus est concionalis confirmationis. Quoniam vero in orationibus ecclesiasticis cum propositione coniungi solet inuocatio, idcirco eius quoq; cura habenda est; cuius antiquum est institutum non solum apud poetas, verum etiam apud oratores. Quare Seruius in II. Æneid. scribit; maiores nullam oratio-

orationem, nisi inuocatis numinibus inchoasse, vt in omnibus Catonis, & Gracchi, & Valerius in procemio testatur, Priscos oratores ab Ioue Opt. Max. bene orsos esse. & Ciceronis verba sunt ex oratione pro Cornelio in Principio; Ab Ioue Opt. Max. ceterisq; diis, deabusq; omnibus opem, & auxilium petamus. & Demosthenis in oratione pro Corona; πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, καὶ πάσαις. & idem Cicero per irrisionem in Diuinatione dixit; Si quid ex vetere aliqua oratione, Iouem Opt. Max. Ac in Epopœia quidem, seu poesi heroica fieri solet alicuius numinis inuocatio, qua poeta exprimit modestiā suam, seq; oneri suscepto imparem ostendit, nisi diuinitus adiuuetur, eoq; modo attentionem excitat ex rerum tractandarum magnitudine: sed Græcorum poetarum, & Latinorum diuersa ratio est. Etenim Græci solent incipere ab inuocatione, simulq; addere propositionem, exempli gratia Homerus sic Iliada exorsus est; μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω Ἀχιλῆος οὐλομένην. & Odysseam sic; Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη. Latini vero fere proponunt primum, & postea inuocant. Vt Virg. in Georgicis primum proponit;

Quid faciat lætas segetes, quo sydere terram
Vertere, Mecænas, Vlmisq; adiungere vites
Conueniat, quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, atq; auibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.

Deinde inuocat;

——— *Vos ô clarissima mundi*
Lumina. Et quæ sequuntur. Sic in Æneide primum proponit;

Arma, virumq; cano.

Deinde inuocat;

Musa mihi causas memora.

Iam vero nostrorum temporum concionatores, cum plerunq; beatæ Virginis angelicam salutationem ponunt in inuocatione, modo eam ante propositionem ponunt, modo post. Equidem priorem consuetudinem magis probarem, nisi statim post propositionem sine vlla causa intermitteretur oratio. Quæ intermissio si facienda est, pro-

pterea quod ita velit vsus, *Quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi*, vt nobilis cecinit poeta: mea quidem sententia illi improbandi non sunt, qui angelica vtűtur salutatione post propositionem, vt propter talem salutationem oratio intermitti videatur, & non propter illas expuitiones, quæ sine vlla causa separatam reddunt propositionem a consequenti oratione. Id quod esse vitiosum apparet ex iis, quæ de principio separato Cicero præcipit in hunc modum; Connexum autem ita sit principiũ consequenti orationi, vt non tanquam citharœdi procemium affictum aliquod, sed cohærens cum omni corpore membrum videatur. Cum autẽ expuitiones illæ, nisi fiant propter illam salutationem, fieri sine causa in principio videantur: in media tamen oratione tolerari queunt, vbi & orator ipse defessus dicendo, & auditor audiendo requirit nonnullam orationis intermissionem.

VNDECIMVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.

IN fide, seu confirmatione, & refutatione spectari potissimum debet genus argumentationis, quod, vt tradit Aristoteles, in munere oratorio obeundo duplex est, enthymema, & exemplum. Enthymema est imperfectus syllogismus, id est, argumentatio, cui vna de propositionibus deest, quæ subintelligitur. Vt syllogismus est, si finis illorum, in quibus nunc erubescitis, mors est, in illis nullum fructum habuistis. At, quod primum est. Quod sequitur igitur. Quem syllogismum D. Paulus ad Romanos cap. 6. redegit ad enthymema, sublata maiori propositione, & posita tantum conclusione, & minori propositione sic; Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Omisit etiam maiorem propositionem in illa argumentatione cap. 13. Non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo, ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. & aliis sexcentis enthymematibus vsus est: maxime enim enthymematicus existit. Ac enthymema quidem apud Aristotelem dicitur esse duplex; vnum, quod probat aliquid esse magnum, vel paruum, & nominatur proprie amplificatio,

catio, vel diminutio: alterum, quod probat vel bonum, & malum, vel iustum, & iniustum, vel honestum, & turpe; simpliciterque vocatur enthymema, nisi quod cum rationes multiplicat, & coaceruat, nominatur sorites, seu acerualis argumentatio. vt ad Romanos cap. 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio vero spem: spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. & capite octauo. Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit. & cap. 10. Omnis, quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicatione? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? Tametsi autem omnia argumentationum genera in vnaquaque quæstione pertractanda solent adhiberi: tamen, vt docet idem Aristoteles, enthymema est aptius ad causas iudiciales: amplificatio ad demonstratiuas: exemplum ad deliberatiuas; in quarum numero, quoniam nostra quidem sententia concionales orationes reperiuntur, obseruandum est in primis exemplum, quod non est, vt docet Aristoteles, tanquam pars ad totũ, vt inductio, neq; tanquã totum ad partẽ, neq; tanquam totum ad totũ, vt enthymema, & syllogismus, sed tanquã pars ad partẽ, simile ad simile, cum ambo quidẽ eidem generi subiiciuntur, sed alterũ altero notius est; omninoq; cum vnum singulare probatur per alterum singulare: distinguitur enim ab inductione ipsum exemplum, quia illa est ex omnibus singularibus: hoc non ex omnibus. illa probat vniuersale: hoc probat singulare. Concionatoribus igitur habenda in primis ratio est exemplorum sacræ Scripturæ, vt ex illis Christianæ vitæ conformatio habeatur. Iam vero exempla sunt, vt tradit idem Aristote-

les,partim rerum factarum,quæ sunt vera exempla:partim rerum fictarum, vt parabolæ, quæ sunt exempla ficta secundum verisimilitudinem,& logi, qui sunt exempla ficta præter verisimilitudinem. Exemplo vero vsus est D.Paulus 2. ad Corinthios cap. 8. cum ipsos Corinthios hortatus est ad conferendam eleemosynam in vsus Ecclesiæ Iudaicæ exemplo Macedonum,scribens sic;Notam facimus vobis, fratres,gratiam Dei,quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ: quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum: quia secundum virtutem (testimonium illis reddo) & supra virtutem voluntarii fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam,& communicationem ministerii, quod fit in sanctos. Et non, sicut sperauimus, sed semetipsos dederunt, primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei: ita vt rogaremus Titum,vt,quemadmodum cœpit,ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam, & quæ sequuntur. vsus est parabola ad Romanos cap.9.O homo,tu quis es,qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem,aliud vero in contumeliam?Plurimæ vero sunt parabolæ in Euangeliis. Denique vsus est logo, seu apologo 1. ad Corinthios cap.12.Si dixerit pes, quoniam non sum manus,non sum de corpore,non ideo non est de corpore? Et, si dixerit auris, quoniam non sum oculus,non sum de corpore;non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus?Si totum auditus; vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore,sicut voluit. Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra: vnum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo:aut iterum caput pedibus,Non estis mihi necessarii,&c. Ac exempla quidem vera,& parabolæ sunt vtilissimę concionibus Christianis:logi vero quamuis ex sententia Aristotelis popularibus orationibus sint accommodati:videndum tamen est, ne magis ridiculi sint, quam vt rei tam seriæ congruere videatur. Recte enim a quibusdam magistris

magistris dicendi inepti appellati sunt illi, qui in sanctissimis diebus Natalis, & Paschatis, cum plerunque pomeridianæ habentur conciones, logis vtuntur ad dormitantes auditores excitandos, eorumque animos oblectandos. Præter exempla vero etiam adhibenda sunt enthymemata magis, quam integri syllogismi; quos quidam nimium frequentant, obliti sibi potius munus oratoris, quam philosophi, & dialectici esse obeundum; quasi sint in circulis differentium, & non in suggestis loquantur ad populum. Quin ne omnia quidem enthymemata conueniunt oratori. Cum enim ea sint varia ex varietate artium, & facultatum, vt idem tradit Aristoteles, illa vero oratoria, quæ persuasibilia sunt, & ad communem intelligentiam accommodata; cauendum est, ne in enthymematibus aliarum artium plus nimio insistamus. Quod qui faciunt, non decenter; inquit Philosophus, recedunt a seipsis, id est, a sua ipsorum natura se abducunt, quæ id, quod persuasibile est, sequi debet; ac non videntur amplius oratores, sed illi ipsi, quorum enthymematibus vsi fuerint, nempe Philosophi, astrologi, & alii eiusmodi, si ex penetralibus philosophiæ, astrologiæ, aliarumque huiusmodi facultatum argumenta deprompserint. Quod præceptum ita seruandum est, vt putemus etiam obscuriores Theologię quæstiones vix, aut parum attingendas esse, aut sæpenumero relinquendas; quæ sunt potius in scholis explicandæ, quam in Ecclesiis, vbi imperitus populus congregatur, ostentandæ; in quo tametsi quandoque nonnulli eruditi viri solent congregari: tamen videntur magis huiusmodi in locis disputationem aliquam expectare facilem, & oratoriam, popularique suggesto congruentem, quam quæstionem obscuram, & Theologicam, scholarum cathedris reseruandam. Verum, vt etiam res sublimes, & excelsæ attingantur, quo grauius, & excelsius, ac magnificentius progrediatur oratio; ita tamen ad communem sensum accommodandæ sunt, & exemplis, ac similitudinibus exornandæ, vt ab omnibus intelligi queant. Qua in re quemadmodum paucos excellere conspicimus difficilia quæque facilia reddentes, & omnia accommodantes ad hominum multitudinem; ita tamen vt etiam doctissimis viris doctrina, ordine, & fa-

cilitate placeant: ita illos probare non possumus, qui ita concionantur, vt in prima concionis parte omnium ferè intelligentiam superent, in altera cum solis mulierculis, & puerulis agere videantur; quarum illa quidem omitti potest, quippe quæ non intelligitur: hæc vero relinqui debet, quæ eum locum minime decet, vbi habetur. Seruandus igitur est orationis vnus, & idem tenor, vt ea argumentorum grauitas vbique retineatur, quæ in viro religioso, aliosque docente requiritur, nullumque argumentum proferatur, quod intelligi ab omnibus aliquo modo non possit. Præclare enim Aristoteles, Non ex omnibus, inquit, quæ probabilia sunt, sed ex definitis dicere oportet, nempe ex iis, quæ apparent omnibus, vel plurimis. Vnde autem ducantur enthymemata, superius aperuimus, vbi egimus de paranda copia argumentorum. Cura vero etiam habenda est sententiarum. Ac definitur quidem sententia ab Aristotele, vt sit enuntiatio de rebus vniuersalibus pertinentibus ad agendum. Et aliæ sententiæ sunt sine subiectione rationis: aliæ cum subiectione rationis. Ac sine subiectione rationis partim per se manifestę, vt lib. Ecclesiastici cap. 30. optimum est valere. partim quæ manifestæ fiunt, dum proferuntur, vt apud D. Paulum ad Romanos cap. 12. Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. & 1. ad Corinthios cap. 8. scientia inflat: charitas vero ædificat. & cap. 14. Turpe est mulieri loqui in Ecclesia. & 2. ad Corinthios cap. 9. Hilarem datorem diligit Deus. Cum subiectione autem rationis partim sunt pars enthymematum, vt 1. ad Corinthios cap. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse a nemine iudicatur: sicut scriptum est, Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus. & 2. ad Corinthios cap. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. & 2. ad Timotheum cap. 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certauerit. partim sunt enthy-

enthymematicæ, quæ inclusam habent rationem, & reduci possunt ad enthymema, vt 1. ad Corinthios cap. 1. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. hic enim inclusa est ratio, quia mala sunt, & omne malum corrumpit. & ad Hebræos cap. 9. Statutum est hominibus semel mori; vbi quoque inclusa est ratio, quia homines sunt, & mortales: mortalibus enim est moriendum. Neque vero solum exempla, & enthymemata, ac sententiæ, quæ solent esse partes enthymematum, & seruire vel loco assumptionis, vel loco conclusionis, accommodatæ sunt: verum etiam tertium genus argumentandi positum in amplificando, vel diminuendo: est enim argumentatio vehemens quædam argumentatio; quæ in tota quidem oratione vsurpari solet, sed maxime in præcipua, & maxime necessaria, nimirum in fide, seu confirmatione, & refutatione.

DVODECIMVM CAPVT ARTIFICII ORATORII IN ORATIONIBVS Ecclesiasticis.


AMplificare quoque, & diminuere est vnum de quatuor muneribus perorationis; quæ præter amplificationem, & diminutionem debet etiam impellere animos auditorum ad affectus, vt ad spem, & metum, qui sunt proprii generis deliberatiui: & constituere eos bene erga oratorem, male contra aduersarium: & renouare memoriam, breuiterque repetere præcipua causæ firmamenta; quæ duo posteriora munera tunc maxime sunt adhibenda, cum ad ea, quæ dixerimus, extiterit contradictio, & contra aliquos aduersarios, hæreticosque fuerit disputatum. Etenim, inquit Aristoteles, accusatio, & defensio sæpe in consultatione adhibentur, sed non quatenus consultatio est. & tunc in peroratione nostra laudanda, contraria vituperanda, memoria renouanda. si enim ea, quæ sunt propria generis iudicialis, in Ecclesiasticis orationibus assumantur ad criminandos hostes nostræ religionis; illorumq; argumenta refutentur, ac nostra confirmentur, tunc addi potest quædam vituperatio eorum quæ fuerint refutata, quædam laudatio eorum, quæ fuerint confirmata, & quædam repetitio eorum, quæ fuerint disputata. Alioqui

propter hæc duo munera nō videtur peroratio admodum necessaria. Quanquam Aristoteles agens de oratione iudiciali scribit, non semper perorationem faciendam esse, veluti si pusilla oratio sit, aut res custodiri memoria possit. Vnde licet colligere, si oratio sit magna, aut res difficulter sub memoriam cadat propter longitudinem suam; peroratione opus esse, maximeque eo munere perorationis, quod præcipuum est, auditorumque memoriam renouat. Id quod si trahere ad Ecclesiasticas orationes velimus, existimabimus, quia illæ plerunque longiores sunt, in ipsis aliquam perorationem, & enumerationem faciendam esse, vt rerum præcipuarum, quæ tractatæ sint, memoria renouetur. Cauendum vero est, mea quidem sententia, ne in fine orationis enumeratio fiat potius causa ostentationis, quam necessitatis; qua ostentatione nonnulli ita perfracte vtuntur, vt vel omnia, quæ in toto solemnis ieiunii tempore dixerint, vnā complecti velint enumeratione. Atq; hæc satis sint de artificio concionandi ex doctrina Aristotelis; quæ omnia in aliqua oratione Ecclesiastica sunt perpendenda.

ANTONII RICCOBONI COMMENTARIVS VIGESIMVS QVINTVS.

IN ORATIONEM D. GREGORII NAZIANZENI PRIMAM de Theologia.

I. RES, QVA DE AGITVR.



QVi scripsit vitam Gregorii Nazianzeni, Gregorius presbyter cum præcipue in Theologia excelluisse, sic memoriæ prodidit; In omni doctrinarum genere, præcipue vero Theologica profunditate, tantum

tum eminuit, vt licet tempore multo multi extitissent viri ,,
in Theologica sapientia præstantissimi, famaque & nomi- ,,
nis celebritate clarissimi: solus tamen ille post Ioannem ,,
Euangelistam Theologi nomine sit insignitus, appella- ,,
tionemque hanc, tanquam præcipuam sortitus. Huius ,,
Theologi præstantissimi prima oratio de Theologia persuadet caute de Deo esse loquendum: & semper quidem Dei memoriam habendam, sed non semper de Deo disputandum: ambitiosumque de rebus diuinis disputandi studium vitandum. Cicero quoque pro lege Manilia affirmauit, æquum esse homini de potestate deorum timide, & pauca dicere. Floruit Gregorius Nazianzenus sub Theodosio Constantinopolitano Imperatore. Obiit anno Christi 385.

II.
GENVS CAVSÆ.

Est oratio in genere deliberatiuo.

III.
STATVS.

Tractat statum negotialem proprium deliberationum, de re futura, Quam caute de Deo sit disputandum.

IIII.
ARGVMENTA.

Prima ratio argumentandi in genere deliberatiuo, & in statu negotiali est a proprio fine eius generis, nimirum ab vtili, & inutili. Vt ostendit Nazianzenus inutile esse, & non sine periculo impurum summam attrectare puritatem, perinde ac parum feliciter cesserit, si morbosis oculis in solares radios intueri coneris. Et inutile esse principem animi facultatem diuinæ contemplationis capacem vitiosa pariter, & fallaci inanium rerum imaginatione confundere, non secus ac inutiliter, & inepte deformibus litterarum figuris elegantes aliquot appingunt, cœnoque permiscent vnguentum. Et vtile quidem esse disputandi studium intra certam legem, & præscriptum coercere: inutile vero esse, Dei generationem, eiusque ex non existentibus creationem, tum sectiones, diuisiones, resolu-

tiones tractare apud eum, qui malignus auditor in deteriorem partem, quæ audiat, interpretetur: & iudices constituere accusatores ipsos: & hostibus contra nos arma porrigere. Et vtile esse via insistere, quæ ducit in cœlum: inutile esse per disputationes, & speculationes, immo vero per nugas, & præstigias grassari. Et vtile esse, ac non sine fruge, Pythagoræ silentium, & fabas illas Orphicas insectari, recentioremque arrogantiam illorum verborum, Ipse dixit: impetere Platonis ideas, animorumque nostrorum in varia corpora immigrationes, & circumitiones, & reminiscentias, ac deniq; non pulchros amores per corpora pulchra in animum subeuntes: Epicuri impium numinis contemptum exagitare, nec non atomos, & indignam philosophia voluptatem: Aristotelis ieiunam, & augustam prouidentiã, versutumq; item artificium, & mortales de anima sermones, & nimis humana, atque abiecta huius viri dogmata confutare: Stoicorum supercilium deiicere: Cynicorum ingluuiem, & scurrilitatem reprehendere: vacuum illud, nugarum certe plenum incessere: denique refutare, quæcunque illi de diis, de sacrificiis, de simulachris, de dæmonibus, tum beneficis, tum maleficis, de vaticinatione, de numinis, & animarum euocatione, ac postremo de vi, ac facultate syderum vanissime disputant. Denique vtile esse, de mundo, vel mundis philosophari, de materia, de anima, de naturis ratione præditis tam præstantioribus, quam inferioribus, de resurrectione, de iudicio, de præmiis, ac pœnis, de Christi suppliciis.

Secunda ratio argumentandi est ab assumptis, quæ scilicet assumpta sint a finibus aliorum generum, vt ab honesto, & turpi, qui est finis generis demonstratiui, & a iusto, & iniusto, qui est finis generis iudicialis. Quemadmodum Nazianzenus argumentatur ab honesto, & turpi, vt agatur de Deo apud eos, qui rem huiusmodi tanquam honestissimam studiose, ac serio amplectuntur; quique non vt quippiam aliud, sic hoc quoque inepta nugacitate persequuntur, post Circenses ludos, & spectacula, post cantiones, post expletum ventrem, & venereas voluptates; qui quidem ita perdite affecti sunt, vt hoc quoque in oblectamentorum parte numerent, nimirum de diuinis rebus nugari

gari, atque arguta disputatione concertare. Et ab honesto etiam, & decoro, vt nobis persuadeamus, vt in vestitu, victu, risu, atque incessu, sic in sermone, ac silentio modum quendam, ac decorum tenendum esse, præsertim cum inter tot Dei virtutes, ac nomina λόγον quoque, hoc est, verbum colamus.

Tertia ratio argumentandi est a communibus, vt a possibili, vel impossibili, futuro, vel non futuro, facto, vel non facto, magno, vel paruo; ex quibus possibile, & futurum tradit Aristoteles esse aptissimum deliberatiuis. Quamobrem Nazianzenus argumentatur in primis a possibili, vt de iis solum disputemus, quæ ingenii nostri modulum, captumque auditoris non superent; ne alioqui vt nimia vocis intentio, atque immodicus cibus aures, & corpora labefactat, itidemque sarcinæ viribus grauiores subeuntium humeros, ac crebriores pluuiæ terram opprimũt: ita etiam auditores quæstionibus grauioribus, ac durioribus oppressi, atque confecti pristinas quoque vires amittant.

Quarta ratio argumentandi est, & quidem amplissima a locis Topicis, quibus vsus est multis Nazianzenus. Argumentatur enim a simili, vt parum feliciter cesserit, si morbosis oculis in solares radios intueri coneris: ita impuros ipse summam puritatem non sine periculo attrectaris. & quemadmodum inepte quidam deformibus literarum figuris elegantes aliquot appingunt, cœnoque permiscent vnguentum: & nobis eodem modo princeps animi facultas, diuinæ contemplationis capax vitiosa pariter, & fallaci inanium rerum imaginatione confunditur. Aduersarii autẽ argumentabantur ab antecedenti sic; Si Dei semper meminisse oportet, de Deo semper disputare oportet. At quod primum est. Quod sequitur igitur. Quare Nazianzenus confitetur quidem antecedens: sed negat consequentiam; Neque vero hæc sic accipi velim, quasi peccatum sit Dei semper meminisse (ne rursus contra nos insurgant ii, qui ad omnia faciles sunt & expediti) quando me auctore non tam sæpe respirare, quam Dei meminisse debemus. Immo, si audiri hoc potest, aliud nihil, quam hoc, est faciendum. Nam & ego in eorum sum numero, qui eam probant legem, quæ die, ac nocte iubet meditari. Vesperi, &

mane,& meridie prædicare, ac demum benedicere Dominum in omni tempore. Tum, ſiquid ex Moſe eſt mutuandum, ſiue in cubiculo dormias, ſiue a ſomno exurgas, ſiue iter facias, ſiue quid aliud agas, nihilominus tamen memoriam tuam Dei effigie impreſſam, puritati intendas, licebit. Itaque Dei meminiſſe per me ſane licet cuique: at non etiam de Deo diſputare. Addit argumentum a repugnantibus, quæ ſunt vnum contrarium, & conſequens alterius contrarii. Vt ſemper diſputare, & non ſemper diſputare contraria ſunt. Hoc autem, quod eſt non ſemper diſputare, conſequitur, vt non niſi ſuo tempore diſputetur, & non nimis diſputetur: ergo ſemper diſputare, & non niſi ſuo tempore diſputare, vel nõ nimis diſputare, repugnantia ſunt. Inquit igitur Nazianzenus; Nec hoc prohibeo, huc ſpectans, vt pium opus negligatur: ſed ne nõ ſuo tentetur tempore. Nec hoc ago, vt hanc doctrinæ partem expledam: ſed, ne quid fiat nimis, caueam. Et rurſus a ſimili; Siquidem & mellis ſatietas vomitum mouet, quantumuis ſit mel. Et a teſtimonio Solomonis; Breuiter vt Solomoni, ſic & mihi videtur, ſuum cuique negotio deſtinatum eſſe tempus. Itidemque a ſimili; Et videmus, quæ per ſe bona ſunt, ſi non bene quoque tractentur, boni gratiam amittere. Non aliter atque hybernis menſibus ſunt intempeſtiui flores. Nec mulieres virilis, nec viros muliebris ornatus decuerit: vt nec luctui conuenerit Muſica, nec in potum lachrymæ. Eſt locus apud Ariſtotelem enthymematum adumbratorum ab omiſſione temporis, vel modi. vt ſi quis dicat iuſte Alexandrum rapuiſſe Helenam, quia optio ipſi data eſt a patre ſequendi, quem virum vellet. non enim pro omni tempore talis optio data eſt, ſed in principio, etenim pater eatenus fuit dominus. Aut, ſi quis dicat, cædere liberos homines eſſe contumeliam. neque enim omnino: ſed quando prior laceſſiuit iniuria. Hunc videtur ſpectare Nazianzenus, cum inquit; In ſumma hic a me non opus, ſed tempus damnatur. Quod ſi fuerit parum idoneum, opere tam ſancto non dignamur, oportunum autem Theologiæ conſectandum putamus. Argumentatur quoque a coniugatis; Quod ſi ſapientiam nobis inimicam explodere non licet, in illud ſaltem vno conſenſu incumbamus, vt

ſecreta

secreta quæ sunt, & à vulgi cõspectu semota, secreto quoq; tractemus, & quæ sancta, sancte. Et a repugnantibus; Nec in profanas aures, quæ silentio sunt adoranda, proiciamus. Et a differentia; Alioqui declaramus aperte, qui dæmonia adorant, & turpium tum fabularum, tum rerum sunt cultores, eos nobis esse longe religiosiores. Illi enim his, qui non eisdem sint initiati sacris, sanguinem suum citius, quam quædam arcana sua impertirẽt. Et a causa, Hæc mala quanta sunt, diffidiis illis, & bellis, quæ inter nosmet gerimus, debentur. Quinetiam illis feramus accepta, qui de verbo pugnant acrius, quam ipsi verbo sit gratum. Et a simili; Quibus profecto accidit idem, quod mente captis, qui partim proprias euertunt domos, partim liberos trucidant, aut etiam parentes pulsant, dum videlicet eos pro alienis habent. Rursus a causa ambitiosæ disputationis, quod non agimus ea, quæ agere deberemus; Non laudamus hospitalitatem, non fraternam charitatem, & quæ sequuntur multa. Et a simili; perinde ac parta victoria liberius palandi licentiam militibus suis permittere solent reges: & nos aliorum affectibus locum damus, eorumque peccatis applaudimus. Et ab antecedenti ad consequens; Et sane pro opere malo malam quoq; a nobis mercedem, nempe pro impietate infelicem peccandi, veroque reluctãdi licentiam accipiunt. Et a testimonio Pauli. Quod si mea parum vos mouent, saltem Paulum illum magnum obiurgantem audite, qui post spiritualium donorum enumeratione͂, acriter sic omnino exprobrat; Num omnes Apostoli? num omnes Prophetæ? & quæ sequuntur.

V.

MORES.

CVm morata oratio soleat exprimere tres mores in persona oratoris, prudentiam, probitatem, beneuolentiam; exprimit Nazianzenus beneuolentiam potissimum in illis verbis; O amici, ac fratres. Exprimit probitatem, dum dicit; Fratres vos appello adhuc, etiamsi animos in nos gereretis nõ admodum fraternos. Et exprimit prudentiam sic; Absit, vt ita sentiamus, ac veluti equi feroces, & indomiti sessore, sic nos ratione excussa, & religionis fræno, quo præclare coercemur, abiecto, procul extra

metam feramus. Quin potius finibus nostris Philosophiam circumscribamus, nec in Ægyptum abripiamur, nec ad Assyrios protrahamur, nec cantemus canticum Domini in terra aliena, hoc est promiscue apud omnes auditores, siue nostri sint, siue externi, siue inimici, siue amici, siue candidi, siue maligni ac præposteri. Exprimit quoq; prudentiam ibi; Quam putas dextere, quove animo disputationem de diuinis accipient, qui adulteria, & fœdas puerorum iniurias collaudant? & quæ sequuntur.

VI.

AFFECTVS.

IN genere deliberatiuo solent moueri affectus, metus, fidentia, pudor, & impudentia. Itaque Nazianzenus videtur mouere metum a malis, quæ inimici moliebãtur, dum ait; Qui summo studio res nostras explorant, nihilque magis optarint, quam malorum nostrorum scintillam in flammam assurgere, quam etiam furtim excitant, atque accendunt, auræque suæ afflatu in cœlum attollunt, & Babylonica flamma in orbem omnia populante sublimiorẽ reddunt. Quoniam enim in suis dogmatibus nihil sibi præsidij, roborisq; constitutũ vident; hoc in nostrarum rerum imbecillitate venantur. Ac proinde quemadmodum muscæ vulneribus, ita nostris calamitatibus, aut, si mauis, erratis imminent: Et mouet pudorem ab operibus vitiositatis. Esto autem: sis ipse altus, & sublimis, & sublimibus sublimior, ac nubibus altior, si ita lubet, rerum ab oculis remotarum spectator, & arcanorum auditor, post Heliam in sublimi raptus, post Mosem Dei conspectione dignus habitus, post Paulum in cœlum euectus: quid tandem est, quod alios quoque vnius diei momento sanctos fingis, & Theologos creas, eruditionemque ipsis velut inspiras, & multa eloquentium in doctorum conciliabula facis? Cur aranearum telis infirmiores illaqueas, ex eoque tibi scitus, ac magnus videris? Cur contra fidem crabrones excitas? Cur Dialecticorum agmẽ nobis ex tempore producis, non aliter ac fabulæ olim gigãtes? Cur leuissimus quisq; homines; & viri nomine indignos, veluti colluuiem quãdam in vnum torrentem cogens, ac verborum illecebris magis, ac magis effœminans nouam officinam condidisti, astute in-

terim

terim eorum amentiam ad vtilitatem tuam abutens, ex eaq; messem faciens?

VII.

ELOCVTIO.

GEneri deliberatiuo nō conuenit exquisitum studium verborum, sed grauitas sententiarum. Cum autem orationes scribuntur, accuratissimam postulent elocutionem, quales sunt Nazianzeni scriptæ omnes orationes.

VIII.

DISPOSITIO.

IN hac oratione collocatæ sunt tres partes, procemium, propositio, fides triplex, vna de cautione adhibenda in disputationibus, quæ habentur de Deo: altera de opportunitate requirenda in huiusmodi disputationibus: tertia de vitando ambitioso disputandi studio. Non adhibetur peroratio propter breuitatem ipsius orationis.

IX.

IN PROOEMIVM.

CVm quinque sint loci procemiorū deliberatiuorum, hoc ductū est ab eo loco, qui dicitur criminatio: nam criminatur Nazianzenus eos, qui differendi artificio abutuntur, & sermonis elegantia, atq; ornatu valent, in quos adducit illud Ezechiæ 29. Ecce ego aduersus te contumeliosa. Dicit enim esse quosdam, quibus non aures duntaxat, sed etiam lingua, atque adeo manus ipsæ pruriunt, prophanis videlicet vocum inanitatibus, & contentionibus falso nominatæ scientiæ, pugnisque disputationum nullam vtilitatem afferentibus. Quibus nominibus significat, quidquid in verbis vel superuacaneum, vel curiosum est, auctoritate D. Pauli, qui 1. ad Timotheum cap. 6. scribit; Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum. & 2. ad eundem cap. 2. Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audiētium. & prophana, & vaniloquia deuita: multum enim proficient ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit. &, stultas, ac sine disciplina quæstiones deuita; sciens, quia generant lites: seruum autem domini

non oportet litigare. Criminatur autem Nazianzenus, quod hæretici linguam habent volubilem, verbaque non res sectantur more sophistarum.

X.

IN PROPOSITIONEM.

PRoponit quatuor declaranda; primum non cuiusuis esse de Deo disputare: deinde non omni tempore esse disputandum: præterea apud quos sit disputandum: postremo quatenus. Quandoque autem Nazianzenus coniungit cum propositione inuocationem; vt in secunda harum orationum; Age nunc iam in hac Theologiæ tractatione progrediamur, ante tamen in operis successum inuocatis iis, de quibus sermo institutus est, patre videlicet, filioque & Spiritu sancto: nimirum vt disputanti faueat pater, adsit filius, spiritus adspiret: immo vero vt ab vno Deo vnus quoque defulgeat nobis splendor.

XI.

IN PRIMAM PARTEM FIDEI.

TRadit Aristoteles oratores alios esse enthymematicos, alios exemplares; itidemque orationes alias esse enthymematicas, alias exemplares. Ita Nazianzenus in hac oratione est enthymematicus: & hæc oratio est enthymematica. Primum enthymema est, disputare de Deo est eorum tantum, qui inter multos habito delectu ad tantum munus videantur idonei: ergo non omnium. Secundum est, disputandum de Deo est, tum tantum, cum ab externarum occupationum crassis, ac turbulentis curis liberi altissimo fruimur ocio: ergo non omni tempore. Tertium est, apud eos tantum de Deo est disputandum, apud quos hoc negotium est in precio: ergo non apud omnes. Quartum est, de iis solum est disputandum, ad quæ humani ingenij acies pertingere potest, & quatenus cōditio auditoris, & facultas quiuerit assequi: ergo non de omnibus, sed quadam tenus.

IN SECVNDAM PARTEM FIDEI.

EX doctrina Aristotelis dissoluuntur argumenta aduersariorum duobus modis, aut contra ratiocinando, aut obiectionem afferendo: & duo sunt modi refutandi, contraria ratiocinatio, cum afferuntur argumenta firmiora, vel

ra, vel æque firmi ad refutanda argumenta contraria: & obiectio, cum reprehenditur aliquid in argumentatione ipsorum aduersariorum. Iam enthymema aduersarij erat; Semper Dei meminisse oportet: ergo semper de Deo disputare oportet. Vtitur obiectione Nazianzenus ad refutandum huiusmodi enthymema, reprehendendo constantiorem: talemque refutationem instruit, & erunt pluribus modis, qui superius sunt obseruati.

IN TERTIAM PARTEM FIDEI.

INuehitur in malos hominum mores: adhibet sermocinationem cum Dialectico, ostendens alia via gradiendum, quam per nugas, & præstigias: exponit contra quæ potissimum exercenda esset disputatio, vt contra Pythagoræ silentium, de quo vide Gell. lib. 1. cap. 9. & fabas orphicas, de quibus erat hoc Pythagoræ symbolum, A fabis abstineto: & arrogantiam illorum verborum, αὐτὸς ἔφα. contra Platonis ideas, quas Aristoteles reprehendit in Ethicis, & Metaphysicis, animorumq; nostrorum in varia corpora immigrationes, & circumitiones a Pythagora desumptas, & reminiscentius, cum existimaret nostrum scire nihil aliud esse, quam reminisci, quasi animus noster huiusmodi cognitione, atque scientia imbutus esset, antequam in corpus immigraret, qua de re plura in Phædone: & non pulchros amores per corpora pulchra in animum subeuntes; præterea contra Epicuri impium nominis contemptum, nec non atomos, & Philosophia indignam voluptatem, de quo Cicero lib. 1. de finibus. curam Aristotelis ieiunam, & augustam prouidētiam, qua negat res mortalium administrari. versutumq; itē artificium, & mortales de anima sermones, cum putauerit hominum animas esse mortales, quemadmodum Alexander eius interpres disputauit, contra Stoicorum supercilium, de quib. Cic. lib. 3. de Finibus. contra Cynicorū ingluuiem, & scurrilitatem, quales fuerunt Antisthines, Crates, Diogenes. contra vacuum illud nugarum certe plenum, de quo quæstionem Aristoteles lib. 4. de naturali auscultatione, tamquam vanitatis, & stultitiæ plenissimā excogitauit. denique contra omnia, quæcumque illi de Diis, de sacrificiis, de simulachris, de dæmonibus tum beneficis, tum maleficis, de va-

ticinatione, de numinis, & animarum euocatione, ac postremo de vi, & facultate ſyderum vaniſſime diſputant. Simulque exponit, de quibus eſſet in primis philolophandum; vt de mundo, vel mundis: de materia: de anima: de naturis ratione præditis, tam præſtantioribus, quam inferioribus: de reſurrectione; de iudicio: de præmiis, ac pœnis: de Chriſti ſuppliciis.

XII.

DE PERORATIONE.

SVperius notauimus in hac oratione non eſſe adhibitam perorationem propter eius breuitatem.

ARISTO-

ARISTOLELIS

ARTIS RHETORICÆ COMPENDIUM,

AB ANTONIO RICCOBONO SVMMA DILIGENTIA COLLECTVM,

ET AD VSVM CONFICIENDARUM orationum ordinatum;

IVNIORIBVS AD VERBVM EDISCENDVM.



FRANCOFVRTI

Apud Andreæ Wecheli heredes, Claudium Marnium & Ioan. Aubrium.

M. D. XCVI.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΕΧΝΗΣ ῥητορικῆς Ἐπιτομή.

Ἔστω ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Τρία ἐστὶν, ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον· ἓν μὲν, ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται· δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν· τρίτον δὲ, πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου. τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοι εἰσιν· αἱ δὲ ἔντεχνοι· ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συνθῆκαι, νόμοι, ὅρκος· ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν· ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι· τὰ δὲ εὑρεῖν. Τῶν δὲ διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων τρία εἴδη ἐστίν· αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος· αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως· αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. πάντες δὲ τὰς πίστεις ποιοῦνται διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα. καλῶ δὲ ἐνθύμημα μὲν ῥητορικὸν συλλογισμόν· πα-

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICÆ COMPENDIUM.

Sit Rhetorica facultas in quaque re perſpiciendi quod eſt idoneũ ad perſuadendũ. *Lib.1. cap.2.* * Tria ſunt, quæ tradere oportet de oratione. Vnum, ex quibus fides ſumenda ſit: alterum de elocutione: tertiũ, quo pacto ſint diſponendę partes orationis. *Lib.3. cap.1.* * Rationũ autem faciẽdæ fidei nonnullæ quidẽ artis expertes ſunt: aliæ vero artificioſæ. *Lib.1. cap.2.* Artis expertia dico, quæcunq; nullo artificio noſtro comparata ſunt, ſed prius erant, cuiuſmodi ſunt teſtes, quæſita tormentis, pacta, leges, iuſiurandum. Artificioſa vero, quæcunq; certa via, & ratione, ac opera noſtra comparari queunt. Itaq; eorũ illis quidem vti, hęc vero inuenire oportet. Iam eorum, quibus ratione comparatis fides fit, tria genera ſunt. vnum, quod poſitum eſt in moribus ipſius dicentis: alterũ, qđ in eo, vt auditor certo quodam modo afficiatur: tertium, quod in ipſa ratione conſiſtit, vt aut demonſtret, aut demonſtrare videatur. Omnes autẽ fidem faciunt demonſtrando, aut exẽpla proferentes, aut enthymemata. Voco autem enthymema quidẽ oratoriũ ſyllogiſmũ: ex-

emplum vero inductionẽ oratoriam. Estque enthymema, & exemplum de rebus appositis ad persuadendum. Atque hæ sunt ex confessis, & probabilibus. & de eiusmodi rebus, de quibus consultamus. & de iis, quæ possunt etiam aliter se habere. Sunt enim pauca necessaria, de quibus oratorij syllogismi agunt: multa vero, de quibus iudicia, & deliberationes sunt, possunt etiam aliter se habere. Ac ducuntur enthymemata ex verisimilibus, & signis. Et enthymematum sunt tum formæ, tum loci. Voco formas cuiusque generis proprias propositiones: locos communes similiter omnium. Et enthymema constat ex paucis, & paucoribus, quã ex quibus primus syllogismus. Nam si quid eorũ sit, quod facile per se intelligi queat, ne exprimendum quidem est. Ipse enim id addit auditor. Vt si probandum sit Dorieum in certamine, in quo victores coronabantur, vicisse, satis fuerit dicere, eum Olympia vicisse: esse aũt eius generis, in quo victores coronabãtur, Olympia, ne addẽdum qdẽ est: omnibus enim id notũ est. Exemplum vero inductionẽ esse, & de quibus rebus inductio sit, dictũ est. Ita autem affectum est, neq; vt pars ad totũ, neq; vt totũ ad partem, neq; vt totum ad totũ, sed vt pars ad

ράδειγμα δὲ ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. ἔστι δὲ τὸ ἐνθύμημα, καὶ τὸ παράδειγμα περὶ πιθανά. ταῦτα δὲ ἐστὶ ἐξ ὁμολογουμένων, καὶ ἐνδόξων. καὶ περὶ τοιούτων, περὶ ὧν βουλόμεθα. καὶ περὶ τῶν ἐνδεχομένων, ὡς τὰ πολλὰ ἔχειν καὶ ἄλλως. ἐστὶν γὰρ ὀλίγα μὲν τὰ ἀναγκαῖα, περὶ ὧν οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοί εἰσιν· τὰ δὲ πολλά, περὶ ὧν αἱ κρίσεις, καὶ αἱ σκέψεις, ἐνδέχεται καὶ ἄλλως ἔχειν. λέγεται δ᾽ ἐνθυμήματα ἐξ εἰκότων, καὶ σημείων. τῶν δὲ ἐνθυμημάτων εἰσὶ τάτε εἴδη, καὶ οἱ τόποι. λέγω δὲ εἴδη μὲν τὰς καθέκαστον γένος ἰδίας προτάσεις· τόπους δὲ τοὺς κοινοὺς ὁμοίως πάντων. καὶ ἐνθύμημα ἐστὶ ἐξ ὀλίγων τε, καὶ ἐλαττόνων, ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός. ἐὰν γὰρ ᾖ τι τούτων γνώριμον, οὐδὲ δεῖ λέγειν· αὐτὸς γὰρ τοῦτο προστίθησιν ὁ ἀκροατής, οἷον ὅτι Δωριεὺς στεφανίτην ἀγῶνα νενίκηκεν, ἱκανὸν εἰπεῖν, ὅτι ὀλύμπια νενίκηκε· τὸ δ᾽ ὅτι στεφανίτης τὰ ὀλύμπια, οὐδὲ δεῖ προσθεῖναι· γινώσκουσι γὰρ πάντες. παράδειγμα δέ, ὅτι μὲν ἔστι ἐπαγωγή, καὶ περὶ ποῖα ἐπαγωγή, εἴρηται. ἔστι δὲ οὔτε ὡς μέρος πρὸς ὅλον· οὔτε ὡς ὅλον πρὸς μέρος· οὔτε, ὡς ὅλον πρὸς ὅλον· ἀλλ᾽ ὡς μέρος πρὸς μέρος,

μέρ(ος), ὅμοιον πρὸς ὅμοιον, ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος, γνωριμώτερον δὲ θάτερον ᾖ θατέρου· οἷον, ὅτι ἐπιβουλεύει τυραννίδι Διονύσιος, αἰτῶν τὴν φυλακήν, καὶ γὰρ Πεισίστρατος πρότερον ἐπιβουλεύων ᾔτει τὴν φυλακήν, καὶ λαβὼν ἐτυράννησε· καὶ Θεαγένης ἐν Μεγάροις· καὶ ἄλλοι, ὅσους ἴσασι, παράδειγμα πάντες γίνονται τοῦ Διονυσίου, ὃν οὐκ ἴσασί πω, εἰ διὰ τοῦτο αἰτεῖ. πάντα δὲ ταῦτα ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ καθόλου, ὅτι ἐπιβουλεύων τυραννίδι φυλακὴν αἰτεῖ. τὸ ἦθος ἐστι δευτέρα πίστις. τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας, τρία ἐστὶ τὰ αἴτια· τοσαῦτα γάρ ἐστι δι' ἃ πιστεύομεν ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα φρόνησις, καὶ ἀρετή, καὶ εὔνοια. τὰ δὲ ἤθη ποῖοί τινες κατὰ τὰ πάθη, καὶ τὰς ἕξεις, καὶ τὰς ἡλικίας, καὶ τὰς τύχας, διέλθωμεν μετὰ ταῦτα. λέγω δὲ πάθη μὲν ὀργήν, ἐπιθυμίαν, καὶ τὰ τοιαῦτα· ἕξεις δὲ ἀρετὰς, καὶ κακίας· ἡλικίαι δέ εἰσι νεότης, καὶ ἀκμή, καὶ γῆρας· τύχας δὲ λέγω εὐγένειαν, πλοῦτον, δυνάμεις, καὶ τἀναντία τούτοις, καὶ ὅλως εὐτυχίαν, καὶ δυστυχίαν. ἔστι δὲ τὰ πάθη δι' ὅσα μεταβάλλοντες διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύ-

partem, ſimile ad ſimile, cum ambo ſub eodem quidem genere continentur, ſed alterum altero notius eſt, vt ſi ex eo colligat quis affectare Tyrannidem Dionyſium, cum petat cuſtodiam, quod & Piſiſtratus prius idẽ moliens petiit cuſtodiam, & cum eam accepiſſet, Tyrannidem occupauit: & Theagenes Megaris: & alij, quoſcumque idẽ feciſſe ſciunt, exempli loco ſunt omnes aduerſus Dionyſiũ, quem nõdum ſciunt eadem de cauſſa petere. Omnia autẽ hæc ſub eodem genere continentur, quod is, qui Tyrannidem affectat, cuſtodiam petit. * Mores ſunt ſecunda fides.* Ac cur quidem ipſi ſint fide digni, qui dicunt, tres cauſſæ ſunt. nam tot ſunt ea, propter quæ fidẽ habemus, præter argumentationes. Sunt autem hæc prudentia, virtus, & beneuolentia. * Moribus vero cuiuſdammodi eſſe homines ex affectibus, & habitibus, & ætatibus, & fortunis, poſthęc explicemus. Dico autẽ affectus iram, cupiditatẽ, & talia: habitꝰ vero virtutes, & vitia. Ætates autẽ ſunt iuuentus, ætas virilis, & ſenectus. Fortunas voco nobilitatẽ, diuitias, potentiã, quæque his aduerſant̃, omninoq; ꝓſperam, & aduerſam fortunam. * Affectus ſunt, quib. immutati homines aliter, atq; aliter iudicãt, quibuſq; cõſequẽs eſt mol-

Lib.1. cap.2.

Lib.2. cap.1.

Lib.2. ca.12.

Lib.1. cap.1.

tiones tractare apud eum, qui malignus auditor in deteriorem partem, quæ audiat, interpretetur: & iudices constituere accusatores ipsos: & hostibus contra nos arma porrigere. Et vtile esse via insistere, quæ ducit in cœlum: inutile esse per disputationes, & speculationes, immo vero per nugas, & præstigias grassari. Et vtile esse, ac non sine fruge, Pythagoræ silentium, & fabas illas Orphicas insectari, recentioremque arrogantiam illorum verborum, Ipse dixit: impetere Platonis ideas, animorumque nostrorum in varia corpora immigrationes, & circumitiones, & reminiscentias, ac deniq; non pulchros amores per corpora pulchra in animum subeuntes: Epicuri impium numinis contemptum exagitare, nec non atomos, & indignam philosophia voluptatem: Aristotelis ieiunam, & augustam prouidentiã, versutumq; item artificium, & mortales de anima sermones, & nimis humana, atque abiecta huius viri dogmata confutare: Stoicorum supercilium deiicere: Cynicorum ingluuiem, & scurrilitatem reprehendere: vacuum illud, nugarum certe plenum incessere: denique refutare, quæcunque illi de diis, de sacrificiis, de simulachris, de dæmonibus, tum beneficis, tum maleficis, de vaticinatione, de numinis, & animarum euocatione, ac postremo de vi, ac facultate syderum vanissime disputant. Denique vtile esse, de mundo, vel mundis philosophari, de materia, de anima, de naturis ratione præditis tam præstantioribus, quam inferioribus, de resurrectione, de iudicio, de præmiis, ac pœnis, de Christi suppliciis.

Secunda ratio argumentandi est ab assumptis, quæ scilicet assumpta sint a finibus aliorum generum, vt ab honesto, & turpi, qui est finis generis demonstratiui, & a iusto, & iniusto, qui est finis generis iudicialis. Quemadmodum Nazianzenus argumentatur ab honesto, & turpi, vt agatur de Deo apud eos, qui rem huiusmodi tanquam honestissimam studiose, ac serio amplectuntur; quique non vt quippiam aliud, sic hoc quoque inepta nugacitate persequuntur, post Circenses ludos, & spectacula, post cantiones, post expletum ventrem, & venereas voluptates; qui quidem ita perdite affecti sunt, vt hoc quoque in oblectamentorum parte numerent, nimirum de diuinis rebus nugari

gari, atque arguta disputatione concertare. Et ab honesto etiam, & decoro, vt nobis persuadeamus, vt in vestitu, victu, risu, atque incessu, sic in sermone, ac silentio modum quendam, ac decorum tenendum esse, præsertim cum inter tot Dei virtutes, ac nomina λόγον quoque, hoc est, verbum colamus.

Tertia ratio argumentandi est a communibus, vt a possibili, vel impossibili, futuro, vel non futuro, facto, vel non facto, magno, vel paruo; ex quibus possibile, & futurum tradit Aristoteles esse aptissimum deliberatiuis. Quamobrem Nazianzenus argumentatur in primis a possibili, vt de iis solum disputemus, quæ ingenii nostri modulum, captumque auditoris non superent; ne alioqui vt nimia vocis intentio, atque immodicus cibus aures, & corpora labefactat, itidemque sarcinæ viribus grauiores subeuntium humeros, ac crebriores pluuiæ terram opprimũt: ita etiam auditores quæstionibus grauioribus, ac durioribus oppressi, atque confecti pristinas quoque vires amittant.

Quarta ratio argumentandi est, & quidem amplissima a locis Topicis, quibus vsus est multis Nazianzenus. Argumentatur enim a simili, vt parum feliciter cesserit, si morbosis oculis in solares radios intueri coneris: ita impuros ipse summam puritatem non sine periculo attrectaris. & quemadmodum inepte quidam deformibus literarum figuris elegantes aliquot appingunt, cœnoque permiscent vnguentum: & nobis eodem modo princeps animi facultas, diuinæ contemplationis capax vitiosa pariter, & fallaci inanium rerum imaginatione confunditur. Aduersarii autẽ argumentabantur ab antecedenti sic; Si Dei semper meminisse oportet, de Deo semper disputare oportet. At quod primum est. Quod sequitur igitur. Quare Nazianzenus confitetur quidem antecedens: sed negat consequentiam; Neque vero hæc sic accipi velim, quasi peccatum sit Dei semper meminisse (ne rursus contra nos insurgant ii, qui ad omnia faciles sunt & expediti) quando me auctore non tam sæpe respirare, quam Dei meminisse debemus. Immo, si audiri hoc potest, aliud nihil, quam hoc, est faciendum. Nam & ego in eorum sum numero, qui eam probant legem, quæ die, ac nocte iubet meditari. Vesperi, &

mane,& meridie prædicare, ac demum benedicere Dominum in omni tempore. Tum, si quid ex Mose est mutuandum, siue in cubiculo dormias, siue a somno exurgas, siue iter facias, siue quid aliud agas, nihilominus tamen memoriam tuam Dei effigie impressam, puritati intendas, licebit. Itaque Dei meminisse per me sane licet cuique: at non etiam de Deo disputare. Addit argumentum a repugnantibus, quæ sunt vnum contrarium, & consequens alterius contrarii. Vt semper disputare, & non semper disputare contraria sunt. Hoc autem, quod est non semper disputare, consequitur, vt non nisi suo tempore disputetur, & non nimis disputetur: ergo semper disputare, & non nisi suo tempore disputare, vel nō nimis disputare, repugnantia sunt. Inquit igitur Nazianzenus; Nec hoc prohibeo, huc spectans, vt pium opus negligatur: sed ne nō suo tenteur tempore. Nec hoc ago, vt hanc doctrinæ partem explodam: sed, ne quid fiat nimis, caueam. Et rursus a simili; Siquidem & mellis satietas vomitum mouet, quantumuis sit mel. Et a testimonio Solomonis; Breuiter vt Solomoni, sic & mihi videtur, suum cuique negotio destinatum esse tempus. Itidemque a simili; Et videmus, quæ per se bona sunt, si non bene quoque tractentur, boni gratiam amittere. Non aliter atque hybernis mensibus sunt intempestiui flores. Nec mulieres virilis, nec viros muliebris ornatus decuerit: vt nec luctui conuenerit Musica, nec in potum lachrymæ. Est locus apud Aristotelem enthymematum adumbratorum ab omissione temporis, vel modi. vt si quis dicat iuste Alexandrum rapuisse Helenam, quia optio ipsi data est a patre sequendi, quem virum vellet. non enim pro omni tempore talis optio data est, sed in principio, etenim pater eatenus fuit dominus. Aut, si quis dicat, cædere liberos homines esse contumeliam. neque enim omnino: sed quando prior lacessiuit iniuria. Hunc videtur spectare Nazianzenus, cum inquit; In summa hic a me non opus, sed tempus damnatur. Quod si fuerit parum idoneum, opere tam sancto non dignamur, oportunum autem Theologiæ consectandum putamus. Argumentatur quoque a coniugatis; Quod si sapientiam nobis inimicam explodere non licet, in illud saltem vno consensu incumbamus, vt

secreta

secreta quæ sunt, & à vulgi cõspectu semota, secreto quoq; tractemus, & quæ sancta, sancte. Et a repugnantibus; Nec in profanas aures, quæ silentio sunt adoranda, proiciamus. Et a differentia; Alioqui declaramus aperte, qui dæmonia adorant, & turpium tum fabularum, tum rerum sunt cultores, eos nobis esse longe religiosiores. Illi enim is, qui non eisdem sint initiati sacris, sanguinem suum citius, quam quædam arcana sua impertirẽt. Et a causa; Hæc mala quanta sunt, dissidiis illis, & bellis, quæ inter nosmet gerimus, debentur. Quinetiam illis feramus accepta, qui de verbo pugnant acrius, quam ipsi verbo sit gratum. Et a simili; Quibus profecto accidit idem, quod mente captis, qui partim proprias euertunt domos, partim liberos trucidant, aut etiam parentes pulsant, dum videlicet eos pro alienis habent. Rursus a causa ambitiosæ disputationis, quod non agimus ea, quæ agere deberemus; Non laudamus hospitalitatem, non fraternam charitatem, & quæ sequuntur multa. Et a simili; perinde ac parta victoria liberius palandi licentiam militibus suis permittere solent reges: & nos aliorum affectibus locum damus, eorumque peccatis applaudimus. Et ab antecedenti ad consequens; Et sane pro opere malo malam quoq, a nobis mercedem, nempe pro impietate infelicem peccandi, vtroque reluctãdi licentiam accipiunt. Et a testimonio Pauli. Quod si mea parum vos mouent, saltem Paulum illum magnum obiurgantem audite, qui post spiritualium donorum enumeratione͂, acriter sic omnino exprobrat; Num omnes Apostoli? num omnes Prophetæ? & quæ sequuntur.

V.

MORES.

CVm morata oratio soleat exprimere tres mores in persona oratoris, prudentiam, probitatem, beneuolentiam; exprimit Nazianzenus beneuolentiam potissimum in illis verbis; O amici, ac fratres. Exprimit probitatem, dum dicit; Fratres vos appello adhuc, etiamsi animos in nos gereretis nõ admodum fraternos. Et exprimit prudentiam sic; Absit, vt ita sentiamus, ac veluti equi feroces, & indomiti sessore, sic nos ratione excussa, & religionis fræno, quo præclare coercemur, abiecto, procul extra

metam feramus. Quin potius finibus nostris Philosophiam circumscribamus, nec in Ægyptum abripiamur, nec ad Assyrios protrahamur, nec cantemus canticum Domini in terra aliena, hoc est promiscue apud omnes auditores, siue nostri sint, siue externi, siue inimici, siue amici, siue candidi, siue maligni ac præposteri. Exprimit quoq; prudentiam ibi; Quam putas dextere, quoue animo disputationem de diuinis accipient, qui adulteria, & fœdas puerorum iniurias collaudant? & quæ sequuntur.

VI.

AFFECTVS.

IN genere deliberatiuo solent moueri affectus, metus, fidentia, pudor, & impudentia. Itaque Nazianzenus videtur mouere metum a malis, quæ inimici moliebātur, dum ait; Qui summo studio res nostras explorant, nihilque magis optarint, quam malorum nostrorum scintillam in flammam assurgere, quam etiam furtim excitant, atque accendunt, auræque suæ afflatu in cœlum attollunt, & Babylonica flamma in orbem omnia populante sublimiorē reddunt. Quoniam enim in suis dogmatibus nihil sibi præsidij, roborisq; constitutū vident; hoc in nostrarum rerum imbecillitate venantur. Ac proinde quemadmodum muscæ vulneribus, ita nostris calamitatibus, aut, si mauis, erratis imminent: Et mouet pudorem ab operibus vitiositatis. Esto autem: sis ipse altus, & sublimis, & sublimibus sublimior, ac nubibus altior, si ita lubet, rerum ab oculis remotarum spectator, & arcanorum auditor, post Heliam in sublimi raptus, post Mosem Dei conspectione dignus habitus, post Paulum in cœlum euectus: quid tandem est, quod alios quoque vnius diei momento sanctos fingis, & Theologos creas, eruditionemque ipsis velut inspiras, & multa eloquentium in doctorum conciliabula facis? Cur aranearum telis infirmiores illaqueas, ex eoque tibi scitus, ac magnus videris? Cur contra fidem crabrones excitas? Cur Dialecticorum agmē nobis ex tempore producis, non aliter ac fabulæ olim gigātes? Cur leuissimus quisq; homines; & viri nomine indignos, veluti colluuiem quādam in vnum torrentem cogens, ac verborum illecebris magis, ac magis effœminans nouam officinam condidisti, astute interim

terim eorum amentiam ad vtilitatem tuam abutens, ex eaq; messem faciens?

VII.

ELOCVTIO.

GEneri deliberatiuo nō conuenit exquisitum studium verborum, sed grauitas sententiarum. Cum autem orationes scribuntur, accuratissimam postulent elocutionem, quales sunt Nazianzeni scriptæ omnes orationes.

VIII.

DISPOSITIO.

IN hac oratione collocatæ sunt tres partes, procemium, propositio, fides triplex, vna de cautione adhibenda in disputationibus, quæ habentur de Deo: altera de oportunitate requirenda in huiusmodi disputationibus: tertia de vitando ambitioso disputandi studio. Non adhibetur peroratio propter breuitatem ipsius orationis.

IX.

IN PROOEMIVM.

CVm quinque sint loci procemiorū deliberatiuorum, hoc ductū est ab eo loco, qui dicitur criminatio: nam criminatur Nazianzenus eos, qui differendi artificio abutuntur, & sermonis elegantia, atq; ornatu valent, in quos adducit illud Ezechiæ 29. Ecce ego aduersus te contumeliosa. Dicit enim esse quosdam, quibus non aures duntaxat, sed etiam lingua, atque adeo manus ipsæ pruriunt, prophanis videlicet vocum inanitatibus, & contentionibus falso nominatæ scientiæ, pugnisque disputationum nullam vtilitatem afferentibus. Quibus nominibus significat, quidquid in verbis vel superuacaneum, vel curiosum est, auctoritate D. Pauli, qui 1. ad Timotheum cap. 6. scribit; Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum. & 2. ad eundem cap. 2. Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audiētium. & prophana, & vaniloquia deuita: multum enim proficient ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit. &, stultas, ac sine disciplina quæstiones deuita; sciens, quia generant lites: seruum autem domini

ra, vel æque firmi ad refutanda argumenta contraria: & obiectio, cum reprehenditur aliquid in argumentatione ipsorum aduersariorum. Iam enthymema aduersarij erat; Semper Dei meminisse oportet: ergo semper de Deo disputare oportet. Vtitur obiectione Nazianzenus ad refutandum huiusmodi enthymema, reprehendendo constantiorem: talemque refutationem instruit, & eruńt pluribus modis, qui superius sunt obseruati.

IN TERTIAM PARTEM FIDEI.

INuehitur in malos hominum mores: adhibet sermocinationem cum Dialectico, ostendens alia via gradiendum, quam per nugas, & præstigias: exponit contra quæ potissimum exercenda esset disputatio, vt contra Pythagoræ silentium, de quo vide Gell. lib 1. cap. 9. & fabas orphicas, de quibus erat hoc Pythagoræ symbolum, A fabis abstineto: & arrogantiam illorum verborum, αὐτὸς ἔφα. contra Platonis ideas, quas Aristoteles reprehendit in Ethicis, & Metaphysicis, animorumq; nostrorum in varia corpora immigrationes, & circumitiones, a Pythagora desumptas, & reminiscentius, cum existimaret nostrum scire nihil aliud esse, quam reminisci, quasi animus noster huiusmodi cognitione, atque scientia imbutus esset, antequam in corpus immigraret, qua de re plura in Phædone: & non pulchros amores per corpora pulchra in animum subeuntes; præterea contra Epicuri impium nominis contemptum, nec non atomos, & Philosophia indignam voluptatem, de quo Cicero lib. 1. de finibus. curam Aristotelis ieiunam, & augustam prouidētiam, qua negat res mortalium administrari. versutumq; itē artificium, & mortales de anima sermones, cum putauerit hominum animas esse mortales, quemadmodum Alexander eius interpres disputauit, contra Stoicorum supercilium, de quib. Cic. lib. 3. de Finibus. contra Cynicorū ingluuiem, & scurrilitatem, quales fuerunt Antisthines, Crates, Diogenes. contra vacuum illud nugarum certe plenum, de quo quæstionem Aristoteles lib. 4. de naturali auscultatione, tamquam vanitatis, & stultitiæ plenissimā excogitauit. denique contra omnia, quæcumque illi de Diis, de sacrificiis, de simulachris, de dæmonibus tum beneficis, tum maleficis, de va-

ticinatione, de numinis, & animarum euocatione, ac postremo de vi, & facultate syderum vanissime disputant. Simulque exponit, de quibus esset in primis philolophandum; vt de mundo, vel mundis: de materia: de anima: de naturis ratione præditis, tam præstantioribus, quam inferioribus: de resurrectione; de iudicio: de præmiis, ac pœnis: de Christi suppliciis.

XII.

DE PERORATIONE.

SVperius notauimus in hac oratione non esse adhibitam perorationem propter eius breuitatem.

ARISTOLELIS

ARTIS RHETORICÆ COMPENDIUM,

AB ANTONIO RICCOBONO SUMMA DILIGENTIA COLLECTUM,

ET AD USUM CONFICIENDARUM orationum ordinatum,

IUNIORIBUS AD VERBUM EDISCENDUM.



FRANCOFURTI
Apud Andreæ Wecheli heredes, Claudium Marnium & Ioan. Aubrium.

M. D. XCVI.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΕΧΝΗΣ ῥητορικῆς Ἐπιτομή.

Ἔστω ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Τρία ἐστίν, ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον· ἓν μὲν, ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται· δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν· τρίτον δὲ, πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου. τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοι εἰσίν· αἱ δὲ ἔντεχνοι· ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συνθῆκαι, νόμοι, ὅρκος· ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν· ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι· τὰ δὲ εὑρεῖν. Τῶν δὲ διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων τρία εἴδη ἐστίν· αἱ μὲν γὰρ εἰσὶν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος· αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως· αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. πάντες δὲ τὰς πίστεις ποιοῦνται διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα. καλῶ δὲ ἐνθύμημα μὲν ῥητορικὸν συλλογισμόν· πα-

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICÆ COMPENDIUM.

SIt Rhetorica facultas in quaque re perspiciendi quod est idoneū ad persuadendū. *Lib.1. cap.2.* * Tria sunt, quæ tradere oportet de oratione. *Lib.3. cap.1.* Vnum, ex quibus fides sumenda sit: alterum de elocutione: tertiū, quo pacto sint disponendę partes orationis. *Rationū autem faciēdæ fidei nonnullæ quidē artis expertes sunt: *Lib.1. cap.2.* aliæ vero artificiosæ. Artis expertia dico, quæcunq; nullo artificio nostro comparata sunt, sed prius erant, cuiusmodi sunt testes, quæsita tormentis, pacta, leges, iusiurandum. Artificiosa vero, quæcunq; certa via, & ratione, ac opera nostra comparari queunt. Itaq; eorū illis quidem vti, hęc vero inuenire oportet. Iam eorum, quibus ratione comparatis fides fit, tria genera sunt. vnum, quod positum est in moribus ipsius dicentis: alterū, qđ in eo, vt auditor certo quodam modo afficiatur: tertium, quod in ipsa ratione consistit, vt aut demonstret, aut demonstrare videatur. Omnes autē fidem faciunt demonstrando, aut exēpla proferentes, aut enthymemata. Voco autem enthymema quidē oratoriū syllogismū: ex-

emplum vero inductionẽ oratoriam. Eſtque enthymema, & exemplum de rebus appoſitis ad perſuadendum. Atque hæ ſunt ex confeſſis, & probabilibus. & de eiuſmodi rebus, de quibus conſultamus. & de iis, quæ poſſunt etiam aliter ſe habere. Sunt enim pauca neceſſaria, de quibus oratorij ſyllogiſmi agunt: multa vero, de quibus iudicia, & deliberationes ſunt, poſſunt etiam aliter ſe habere. Ac ducuntur enthymemata ex veriſimilibus, & ſignis. Et enthymematum ſunt tum formæ, tum loci. Voco formas cuiuſque generis proprias propoſitiones: locos communes ſimiliter omnium. Et enthymema conſtat ex paucis, & paucoribus, quá ex quibus primus ſyllogiſmus. Nam ſi quid eorũ ſit, quod facile per ſe intelligi queat, ne exprimendum quidem eſt. Ipſe enim id addit auditor. Vt ſi probandum ſit Dorieum in certamine, in quo victores coronabantur, viciſſe, ſatis fuerit dicere, eum Olympia viciſſe: eſſe aũt eius generis, in quo victores coronabãtur, Olympia, ne addẽdum qdẽ eſt: omnibus enim id notũ eſt. Exemplum vero inductionẽ eſſe, & de quibus rebus inductio ſit, dictũ eſt. Ita autem affectum eſt, neq; vt pars ad totũ, neq; vt totũ ad partem, neq; vt totum ad totũ, ſed vt pars ad

παράδειγμα δὲ ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. ἐστὶ δὲ τὸ ἐνθύμημα, καὶ τὸ παράδειγμα περὶ πιθανά. ταῦτα δὲ ἐστὶ ἐξ ὁμολογουμένων, καὶ ἐνδόξων. καὶ περὶ τοιούτων, περὶ ὧν βουλευόμεθα. καὶ περὶ τῶν ἐνδεχομένων, ὡς τὰ πολλὰ ἔχειν καὶ ἄλλως. ἐστὶν γὰρ ὀλίγα μὲν τὰ ἀναγκαῖα, περὶ ὧν οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοί εἰσιν· τὰ δὲ πολλά, περὶ ὧν αἱ κρίσεις, καὶ αἱ σκέψεις, ἐνδέχεται καὶ ἄλλως ἔχειν. λέγεται δ' ἐνθυμήματα ἐξ εἰκότων, καὶ σημείων. τῶν δὲ ἐνθυμημάτων εἰσὶ τάτε εἴδη, καὶ οἱ τόποι. λέγω δὲ εἴδη μὲν τὰς καθέκαστον γένος ἰδίας προτάσεις· τόπους δὲ τοὺς κοινοὺς ὁμοίως πάντων. καὶ ἐνθύμημα ἐστὶ ἐξ ὀλίγων τε, καὶ ἐλαττόνων, ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός. ἐὰν γὰρ ᾖ τι τούτων γνώριμον, οὐδὲ δεῖ λέγειν· αὐτὸς γὰρ τοῦτο προστίθησιν ὁ ἀκροατής, οἷον ὅτι Δωριεὺς στεφανίτην ἀγῶνα. νενίκηκεν, ἱκανὸν εἰπεῖν, ὅτι ὀλύμπια νενίκηκε· τὸ δ' ὅτι στεφανίτης τὰ ὀλύμπια, οὐδὲ δεῖ προσθεῖναι· γινώσκουσι γὰρ πάντες. παράδειγμα δὲ, ὅτι μὲν ἐστὶ ἐπαγωγὴ, καὶ περὶ ποῖα ἐπαγωγὴ, εἴρηται. ἐστὶ δὲ οὔτε ὡς μέρος πρὸς ὅλον· οὔτε ὡς ὅλον πρὸς μέρος· οὔτε, ὡς ὅλον πρὸς ὅλον· ἀλλ' ὡς μέρος πρὸς μέρος,

μέρος, ὅμοιον πρὸς ὅμοιον, ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος, γνωριμώτερον δὲ θάτερον ἢ θατέρου· οἷον, ὅτι ἐπεβούλευε τυραννίδι Διονύσιος, αἰτῶν τὴν φυλακήν, καὶ γὰρ Πεισίστρατος πρότερον ἐπιβουλεύων ᾔτει τὴν φυλακήν, καὶ λαβὼν ἐτυράννησε· καὶ Θεαγένης ἐν Μεγάροις· καὶ ἄλλοι, ὅσους ἴσασι, παράδειγμα πάντες γίνονται τοῦ Διονυσίου, ὃν οὐκ ἴσασί πω, εἰ διὰ τοῦτο αἰτεῖ. πάντα δὲ ταῦτα ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ καθόλου, ὅτι ἐπιβουλεύων τυραννίδι φυλακὴν αἰτεῖ. τὸ ἦθος ἐστὶ δευτέρα πίστις. τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας, τρία εἰσὶ τὰ αἴτια· τοσαῦτα γάρ ἐστι δι᾽ ἃ πιστεύομεν ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα φρόνησις, καὶ ἀρετή, καὶ εὔνοια. τὰ δὲ ἤθη ποῖοί τινες κατὰ τὰ πάθη, καὶ τὰς ἕξεις, καὶ τὰς ἡλικίας, καὶ τὰς τύχας, διέλθωμεν μετὰ ταῦτα. λέγω δὲ πάθη μὲν ὀργήν, ἐπιθυμίαν, καὶ τὰ τοιαῦτα· ἕξεις δὲ ἀρετάς, καὶ κακίας· ἡλικίαι δὲ εἰσὶ νεότης, καὶ ἀκμή, καὶ γῆρας· τύχας δὲ λέγω εὐγένειαν, πλοῦτον, δυνάμεις, καὶ τἀναντία τούτοις, καὶ ὅλως εὐτυχίαν, καὶ δυστυχίαν. ἔστι δὲ τὰ πάθη δι᾽ ὅσα μεταβάλλοντες διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύ-

partem, ſimile ad ſimile, cum ambo ſub eodem quidem genere continentur, ſed alterum altero notius eſt, vt ſi ex eo colligat quis affectare Tyrannidem Dionyſium, cum petat cuſtodiam, quod & Piſiſtratus prius idē moliens petiit cuſtodiam, & cum eam accepiſſet, Tyrannidem occupauit: & Theagenes Megaris: & alij, quoſcumque idē feciſſe ſciunt, exempli loco ſunt omnes aduerſus Dionyſiū, quem nōdum ſciunt eadem de cauſſa petere. Omnia autē hæc ſub eodem genere continentur, quod is, qui Tyrannidem affectat, cuſtodiam petit. * Mores *Lib.1.cap.2.*
ſunt ſecunda fides.* Ac cur qui- *Lib.2.cap.1.*
dem ipſi ſint fide digni, qui dicunt, tres cauſſæ ſunt. nam tot ſunt ea, propter quæ fidē habemus, præter argumentationes. Sunt autem hæc prudentia, virtus, & beneuolentia. * Moribus *Lib.2.ca.12.*
vero cuiuſdammodi eſſe homines ex affectibus, & habitibus, & ætatibus, & fortunis, poſthęc explicemus. Dico autē affectus iram, cupiditatē, & talia: habitꝰ vero virtutes, & vitia. Ætates autē ſunt iuuentus, ætas virilis, & ſenectus. Fortunas voco nobilitatē, diuitias, potentiā, quæque his aduerſant, omninoq; ꝓſperam, & aduerſam fortunam.
* Affectus ſunt, quib. immutati *Lib.1.cap.1.*
homines aliter, atq; aliter iudicāt, quibuſq; cōſequēs eſt mole-

ſtia, & voluptas. Vt ira, miſericordia, metus, quæque alia huiuſmodi ſunt, eisve aduerſantur.

Lib.3.cap.1. * His explicatis ordo rerum poſcit, vt de elocutione agamus. neque enim ſatis eſt tenere, quæ dicenda ſunt: ſed neceſſe eſt etiam ea dicere, quomodo oportet: idque valet multum ad id, vt cuiuſdam modi appareat oratio.

Lib.3.cap.2. * Et definita ſit elocutionis virtus, vt perſpicua ſit: & neque humilis, ſed ornata: neque ſupra dignitatem, ſed decora.

Lib.3.cap.5. * Eſt vero principium elocutionis, vt emendate loquamur.

Lib.3.cap.6. * Et ad amplificatam elocutionem valet oratione vti pro nomine: ad conciſam contrarium pro oratione nomen.

Lib.3.cap.7. * Decorum habebit elocutio, ſi ſit affecta, & morata, & ſubiectis rebus proportione reſpondeat.

Lib.3.cap.8. * Figuram elocutionis oportet neque metri compotem eſſe, neque numeri expertē.

Lib 3.cap.9. * Neceſſe eſt, vt elocutio ſit aut fuſa, aut verſa.

Li.3.c.10.11. * Vrbana, & quæ probantur fingere quidem eſt ingenioſi, aut exercitati: demonſtrare vero huius viæ, & rationis.

Lib.3.ca.12. * Latere autem non oportet aliam cuique generi conuenire elocutionem: non enim eſt eadem ſcriptionis, & contentionis: neque deliberatiua, & iudicialis. Ac elocutio quidē ſcriptionis eſt exactiſſima: con-

πη, καὶ ἡδονή, οἷον ὀργή, ἔλεος, φόβος, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, καὶ τὰ τούτοις ἐναντία. περὶ δὲ τῆς λέξεως ἐχόμενόν ἐστιν εἰπεῖν· οὐ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν ἃ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀνάγκη καὶ ταῦτα, ὡς δεῖ, εἰπεῖν· καὶ συμβάλλεται πολλὰ πρὸς τὸ φανῆναι ποιόν τινα τὸν λόγον. καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι· καὶ μήτε ταπεινήν, ἀλλὰ κεκοσμημένην· μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ πρέπουσαν. ἔστι δ' ἀρχὴ τῆς λέξεως τὸ ἑλληνίζειν. εἰς ὄγκον δὲ τῆς λέξεως συμβάλλεται τὸ λόγῳ χρῆσθαι ἀντ' ὀνόματος· εἰς δὲ συντομίαν τὸ ἐναντίον, ἀντὶ τοῦ λόγου ὄνομα. τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε, καὶ ἠθική, καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον. τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτε ἄρρυθμον. τὴν δὲ λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην, ἢ κατεστραμμένην. τὰ δὲ ἀστεῖα, καὶ τὰ εὐδοκιμοῦντα ποιεῖν μέν ἐστι τοῦ εὐφυοῦς, ἢ τοῦ γεγυμνασμένου· δεῖξαι δὲ τῆς μεθόδου ταύτης. δεῖ δὲ μὴ λεληθέναι, ὅτι ἄλλη ἑκάστῳ γένει ἁρμόττει λέξις· οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ γραφικὴ καὶ ἀγωνιστική· οὐδὲ δημηγορικὴ καὶ δικανική. ἔστι δὲ λέξις γραφικὴ μέν, ἡ ἀκριβεστάτη· ἀγωνιστικὴ

νιστικὴ δὲ ἡ ὑποκριτικωτάτη. ταύτης δὲ δύο εἴδη· ἡ μὲν γὰρ ἠθική· ἡ δὲ παθητική. λοιπὸν δὲ περὶ τάξεως εἰπεῖν. ἔστι δὲ τοῦ λόγου δύο μέρη, πρόθεσις, καὶ πίστις. ἀναγκαῖα μὲν οὖν, καὶ ἴδια ταῦτα μόρια· τὰ δὲ πλεῖστα, προοίμιον, πρόθεσις, πίστις, ἐπίλογος. τρία ἐστὶ γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν.

Περὶ τοῦ γένους συμβουλευτικοῦ.

Καλλίονος, καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα, πῶς ἂν δυναίμεθα συμβουλεύειν Ἀθηναίοις, εἰ πολεμητέον, ἢ μὴ πολεμητέον, μὴ ἔχοντες, τὰς δυνάμεις αὐτῶν, πότερον ναυτικὴ, ἢ πεζικὴ, ἢ ἄμφω, καὶ αὕτη πόση· καὶ πρόσοδοι τίνες· ἢ φίλοι, καὶ ἐχθροί· ἔτι δὲ τίνας πολέμους πεπολεμήκασιν, καὶ πῶς, καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα. ὅλως περὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης δέοι τὴν δύναμιν εἰδέναι τῆς πόλεως· πολέμους οὐ μόνον τῆς οἰκείας πόλεως, ἀλλὰ καὶ τῶν ὁμόρων, καὶ πρὸς οὓς ἐπίδοξον πολεμεῖν· καὶ τὰς δυνάμεις, πότερον ὅμοιαι, ἢ ἀνόμοιαι· πολέμους καὶ τοὺς τῶν ἄλλων. περὶ πόρων, τὰς

tentionis vero cum actione maxime coniuncta. Huiusque duæ sunt species, vna morata, altera affecta. * Reliquũ est, vt de dis- *Lib.3.cap.13.* positione dicamus. Sunt autẽ orationis duæ partes, propositio, & fides. Ac necessariæ quidẽ, & propriæ hæ sunt partes. Plurimę vero, procemium, propositio, fides, peroratio. * Tria sunt ge- *Lib.1.cap.3.* nera orationum oratoriarum, deliberatiuum, iudiciale, demonstratiuum.

De Genere Deliberatiuo.

CVm * pulchrior, & ciuilior *1.* deliberatiua traditio sit, *Tenēda res,* quam iudicialis, * quomodo *quæ de agi-* fieri potest, vt consilium demus *tur.* Atheniensibus, bellare, an *Lib.1.cap.1.* non debeant, nescientes, qui- *Lib.2.ca.22.* bus illi copiis instructi sint, naualibus, an terrestribus, an vtrisque; & ipsæ quantæ sint; & qui reditus; aut amici, & inimici, præterea vero quæ bella gesserint, & quomodo, & eiusdem generis alia. * Om- *Lib.1.cap.4.* nino de bello, & pace, oportebit vires & copias scire ciuitatis bella nõ solum suæ ciuitatis, verum etiam finitimorum, & eorum, quibus cum gloriosum est bellare: & vires vtrum similes, an dissimiles sint: bella quoque aliorum. De parandis pecunijs

reditus ciuitatis: præterea vero sumptus. Ad quam consultationem prodest non solum rerum priuatarum experientia, verum etiam eorum, quæ ab aliis inuenta sunt, historia. De custodia regionis, quomodo illa custodiatur: & multitudinem custodiæ: & formam: & loca præsidiorum. Id autem scire nemo potest, nisi qui regionis peritus sit. De annona, quantus sumptus sit satis ciuitati: & quæ ibi nascatur, quæque aliunde importetur: quarumque rerum exportatione indigeant; & quarum inuectione. De legum latione, quot sint Rerump. genera: atque vtilia sint cuique: & quæ cuique exitiosa esse soleant, tum propria Reip. tum contraria: non tantum quæ gubernandi ratio prosit, verum etiam, quales qualibus conueniant. Constat itaque ad leges ferendas terræ peregrinationes vtiles esse: & ad dandum de Rebusp. concilium, eorum, qui res gestas literis prodiderunt; historias.

2. *Proprietates generis. Lib.1. cap 3.*

* Deliberationis auditor est disceptator rerum futurarum. Disceptat vero de rebus futuris, vt concio. Præterea deliberatio diuiditur in suasionem & dissuasionem: semper enim tum qui priuatim consilium dant, tum qui ad populum verba faciunt, horum

προσόδους τῆς πόλεως· ἔτι δὲ τὰς δαπανάς. πρὸς ἣν συμβουλὴν συμφέρει οὐ μόνον ἡ περὶ τὰ ἴδια ἐμπειρία, ἀλλὰ καὶ τῶν παρὰ τοῖς ἄλλοις εὑρημένων ἱστορία. περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, πῶς φυλάττεται· καὶ τὸ πλῆθος τῆς φυλακῆς· καὶ τὸ εἶδος· καὶ τοὺς τόπους τῶν φυλακτηρίων. τοῦτο δ᾽ ἀδύνατον, μὴ ἔμπειρον ὄντα τῆς χώρας. περὶ τροφῆς, πόση δαπάνη ἱκανὴ τῇ πόλει· καὶ ποία ἡ αὐτόθι τε γιγνομένη, καὶ εἰσαγώγιμος· καὶ τίνων τ᾽ ἐξαγωγῆς δέονται· καὶ τίνων εἰσαγωγῆς. περὶ νομοθεσίας, πόσα τέ ἐστι πολιτειῶν εἴδη· καὶ ποῖα συμφέρει ἑκάστῃ· καὶ ὑπὸ τίνων φθείρεσθαι πέφυκε, καὶ οἰκείων τῆς πολιτείας, καὶ ἐναντίων· μὴ μόνον, τίς πολιτεία συμφέρει, ἀλλὰ καὶ αἱ ποῖαι τοῖς ποίοις ἁρμόττουσιν. ὥστε δῆλον, ὅτι πρὸς τὴν νομοθεσίαν αἱ τῆς γῆς περίοδοι χρήσιμοι· πρὸς δὲ τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίαι. συμβουλῆς ὁ ἀκροατὴς, ἐστι κριτὴς τῶν μελλόντων. ἔστι δ᾽ ὁ περὶ τῶν μελλόντων κρίνων, οἷον ἐκκλησιαστής. ἔτι συμβουλῆς ἐστι τὸ μὲν προτροπή· τὸ δὲ ἀποτροπή. ἀεὶ γὰρ καὶ οἱ ἰδίᾳ συμβουλεύοντες, καὶ οἱ κοινῇ δημηγοροῦντες τούτων θάτε-

θάτερον ποιοῦσι. χρόνος τῷ συμβουλεύοντι ἐστὶ ὁ μέλλων· περὶ γὰρ ἐσομένων συμβουλεύει ἢ προτρέπων, ἢ ἀποτρέπων. τέλος τὸ συμφέρον, καὶ βλαβερόν· ὁ μὲν γὰρ προτρέπων, ὡς βέλτιον συμβουλεύει· ὁ δὲ ἀποτρέπων, ὡς χεῖρον ἀποτρέπει· τὰ δ' ἄλλα πρὸς τοῦτο συμπαραλαμβάνουσι, ἢ δίκαιον, ἢ ἄδικον, ἢ καλόν, ἢ αἰσχρόν. οἱ μὲν οὖν συμβουλεύοντες τὰ ἄλλα πολλάκις προΐενται· ὡς δὲ ἀσύμφορα συμβουλεύουσι, ἢ ἀπ' ὠφελίμων ἀποτρέπουσιν, οὐκ ἂν ὁμολογήσαιεν· ὡς δ' οὐκ ἄδικον τοὺς ἀστυγείτονας καταδουλοῦσθαι, καὶ τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας, πολλάκις οὐδὲν φροντίζουσιν. ἐν δὲ τοῖς δημηγορικοῖς, ἢ ὡς οὐκ ἔσται ἀμφισβητήσειεν ἄν τις· ἢ ὡς ἔσται μὲν, ἃ κελεύει, ἀλλ' οὐ δίκαια· ἢ οὐκ ὠφέλιμα· ἢ οὐ τηλικαῦτα. δεῖ δὲ καὶ ὁρᾶν, εἴ τι ψεύδεται ἐκτὸς τοῦ πράγματος. τεκμήρια γὰρ ταῦτα φαίνεται καὶ τῶν ἄλλων ὅτι ψεύδεται. παραδείγματος δὲ χάριν λάβωμεν, τί ἐστιν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἡ εὐδαιμονία, καὶ ἐκ τίνων τὰ μόρια ταύτης· περὶ γὰρ ταύτης, καὶ τῶν εἰς ταύτην συντεινόντων, καὶ τῶν ἐναντίων ταύτῃ αἵ τε προτροπαὶ, καὶ ἀποτροπαὶ πᾶσίν εἰσι. ἔστω δὴ εὐδαιμονία εὐπραξία μετ' ἀρετῆς·

alterum efficiunt. Tempus consilium danti est futurum: de rebus enim futuris consilium dat aut suadens, aut dissuadens. Finis vtile, & damnosum. nam is quidem, qui suadet, tanquam melius suadet: qui autem dissuadet, tamquam peius dissuadet: alia autem ad hæc assumunt, aut iustum, aut iniustum, aut honestum, aut turpe. Ac qui consilium quidem dant, alia sæpe proiiciunt, ac largiuntur: se autem inutilia suadere, aut vtilia dissuadere, adduci nulla ratione possunt, vt fateantur: non esse vero iniustum vicinos populos in seruitutem redigere, etiam, qui nulla iniuria prouocarint, sæpenumero ne laborant quidem.*In deliberationibus autem aut non futura esse contenderit aliquis: aut futura quidem, quæ censet, sed non iusta: aut non vtilia: aut non tanta. Oportet vero etiam videre, numquid mentiatur extra rem. tecmeria enim hæc videntur, etiam in aliis mentiri. * Exempli vero caussa Sumamus, quid sit, populariter loquẽdo, felicitas, & ex quibus particulæ ipsius: nã de ea, & de iis, quę ad eam cõferunt, deq; iis, quæ illi aduersantur, suasiones, & dissuasiones omnib. sunt. Sit igitur felicitas bonus rerum successus cũ virtute coniunctus:

3. *Status. Lib.3.ca.17.*

4. *Argumenta primum ex propriis propositionibus. Lib.1. cap.5.*

aut se ipsa cōtenta vita: aut vita iucūdissima extra omne periculū posita: aut firmus status possessionum, & corporū cum vi, ac potestate eorū cōseruandorū, & parandorū. Quod si tale quiddā est felicitas, necesse est ipsius esse partes, tū q̄ in ipso, tū quæ extra sunt, bona. In ipso quidem partim in animo, partim in corpore. In animo, vt virtutē, & partes ipsius, prudētiam, fortitudinem, temperantiam, iustitiam. In corpore, vt bonam senectutem, & virtutes corporis, sanitatem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, facultatem certandi. Extra vero vt nobilitatem, amicorum copiam, bonorum amicitiam, diuitias, liberorum probitatem, liberorū copiam, gloriam, honorem, prosperam fortunam.

Lib.1.c.6.7. * Quoniam autē proposita est cōsilium dāti, ad quā omnia dirigat, vtilitas; & deliberāt nō de fine, sed de iis, quæ ducunt ad finē; ea vero sunt, quæ vtilia sunt in singulis rebus peragēdis; atq; vtile quod est, bonū est: sumenda, ac cōparanda nobis fuerint elemēta de bono, & vtili simpliciter. Ac bonorū quidem quædā confessa sunt, vt quod ipsum propter se expetendū est: quædā controuersā, vt cui, quod aduersatur, malū est, quędā maiora, vel minora, vt plura vno, & paucioribus, si modo id vnū, aut

ἡ αὐτάρκεια ζωῆς· ἢ ὁ βίος μετ' ἀσφαλείας ἥδιστος· ἢ εὐθένεια κτημάτων, καὶ σωμάτων μετὰ δυνάμεως φυλακτικῆς τε, καὶ πρακτικῆς τούτων. εἰ δή ἐστιν ἡ εὐδαιμονία τοιοῦτον, ἀνάγκη αὐτῆς εἶναι μέρη τά τ' ἐν αὐτῷ, καὶ τὰ ἐκτὸς ἀγαθά. ἐν αὐτῷ μὲν τὰ περὶ ψυχὴν καὶ τὰ ἐν σώματι. περὶ ψυχὴν, οἷον ἀρετὴν, καὶ τὰ μέρη αὐτῆς, φρόνησιν, ἀνδρίαν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην. ἐν σώματι, οἷον εὐγήρειαν, ἔτι τὰς ἀρετὰς τοῦ σώματος ὑγίειαν, κάλλος, ἰσχὺν, μέγεθος, δύναμιν ἀγωνιστικὴν· ἔξω δὲ, οἷον εὐγένειαν, πολυφιλίαν, χρηστοφιλίαν, πλοῦτον, εὐτεκνίαν, πολυτεκνίαν, δόξαν, τιμὴν, εὐτυχίαν. ἐπεὶ δὲ πρόκειται τῷ συμβουλεύοντι σκοπὸς τὸ συμφέρον· βουλεύονται δὲ οὐ περὶ τοῦ τέλους, ἀλλὰ περὶ τῶν πρὸς τὸ τέλος· ταῦτα δὲ ἐστὶ τὰ συμφέροντα κατὰ τὰς πράξεις· τὸ δὲ συμφέρον ἀγαθόν· ληπτέον ἂν εἴη στοιχεῖα περὶ ἀγαθοῦ, καὶ συμφέροντος ἁπλῶς. τῶν δὲ ἀγαθῶν τὰ μὲν ὁμολογούμενα ἐστὶν, οἷον ὃ αὐτὸ ἑαυτοῦ ἕνεκα αἱρετόν· τὰ δὲ ἀμφισβητήσιμα, οἷον ᾧ τὸ ἐναντίον κακόν· τὰ δὲ μείζονα, ἢ ἐλάττονα, οἷον, τὰ πλείω τοῦ ἑνὸς, καὶ τῶν ἐλαττόνων συναριθμουμένου τοῦ ἑνὸς, ἢ τῶν

ν ἐλαττόνων, μεῖζον. ἔστι
τῶν κοινῶν τὸ δυνατὸν, καὶ
μενον οἰκειότατον τοῖς
συμβουλευτικοῖς. δυνατὸν
μὲν οὖν ἐστι, οἷον ᾧ τὸ ἐναντίον
δυνατόν· εἰ δυνατὸν ὑγιαί-
νειν ἄνθρωπον, καὶ νοσῆ-
σαι· ἡ μὲν αὐτὴ δύναμις τῶν
ἐναντίων, ᾗ ἐναντία. ἐσό-
μενον δὲ ἐστι, οἷον τὸ ἐν δυνά-
μει, καὶ βουλῇ ὄν. τὰ δὲ στοιχεῖα
τῶν ἐνθυμημάτων λέγω-
μεν. στοιχεῖον δὲ λέγω, καὶ τό-
πον ἐνθυμήματος τὸ αὐτό.
τῶν δὲ τόπων οἱ μέν εἰσι τῶν
ἐνθυμημάτων· οἱ δὲ τῶν
φαινομένων ἐνθυμημάτων,
ὄντων δ' οὐκ ἐνθυμημά-
των. ἔστι δὲ εἷς μὲν τόπος τῶν
ἐνθυμημάτων ἐκ τῶν ἐν-
αντίων· ἄλλος ἐκ τῶν ὁμοί-
ων πτώσεων· ἄλλος ἐκ τοῦ
πρὸς ἄλληλα· ἄλλος ἐκ τοῦ
μᾶλλον, καὶ ἧττον, καὶ μήτε
μᾶλλον, μήτε ἧττον· ἄλλος
εἰς τὸν χρόνον σκοπεῖν· ἄλ-
λος ἐκ τῶν εἰρημένων καθ'
αὑτοὺς πρὸς τὸν εἰπόντα· ἄλ-
λος ἐξ ὁρισμοῦ· ἄλλος ἐκ
τοῦ ποσαχῶς· ἄλλος ἐκ δι-
αιρέσεως· ἄλλος ἐκ τῆς ἐπα-
γωγῆς· ἄλλος ἐκ κρίσεως·
ἄλλος ἐκ τῶν μερῶν· ἄλλος
ἐκ τοῦ ἀκολουθοῦντος· ἄλλος
ἐκ βλαισώσεως· ἄλλος ἐκ
τοῦ φανερῶς, καὶ ἀφανῶς· ἄλ-
λος ἐκ τοῦ ἀνάλογον· ἄλ-
λος ἐκ τοῦ συμβαίνοντος·
ἄλλος ἐκ τοῦ μὴ ταὐτὸ τοὺς

hæc pauciora in illis pluribus connumerentur, sunt maius.

Deinde ex cõmunibus. Lib. 2. cap. 18. 19.

* Est autem ex communibus id, quod fieri potest, & futurum accommodatissimum ad orationes deliberatiuas. Ac aliquid quidem fieri potest, vt cui quod aduersatur, fieri potest. Si fieri potest, vt homo bene valeat, etiam fieri potest, vt ægrotet: eadem enim potestas est cõtrariorum, quatenus cõtraria sunt. Futurum vero est, vt quod in potestate, ac voluntate positum est.

Postremo ex communissimis. Lib. 2. cap. 22. 23. 24.

* Nunc elemẽta enthymematũ explicemus. Elementum autem voco, & locum enthymematis idem. Ac loci quidem sunt partim enthymematũ, partim eorum, quæ videntur enthymemata, sed non sunt. Est autem locus quidem vnus enthymematum ex contrariis: alius ex similibus casibus: alius ex iis, quæ inter se conferuntur: alius ex maiori, & minori, & pari: alius ex inspectione temporis: alius ex iis, quæ in nos dicta sunt aduersus eum ipsum, qui dixit: alius ex definitione: alius ex varia, & multiplici significatione: alius ex diuisione: alius ex inductione: alius ex iudicio: alius ex partibus: alius ex consequenti: alius ex inuersione: alius ex aperto, & occulto: alius ex proportione: alius ex contingenti: alius ex eo, quod non idem

homines ſemper eligunt: alius cuius rei cauſſa eſſe potuit, quã- uis non factum ſit, eius rei cauſſa dicere eſſe, aut factũ eſſe: alius ſi fieri poteſt, & facile eſt, & vtile: alius ex iis, quæ videntur quidem fieri, ſed tamen incredibilia ſunt: alius repugnantia conſiderare: alius dicere cauſſam paradoxi: alius ex cauſſa, vt ſine cauſſa ſit, rem eſſe, ſiue cauſſa non ſit, ne rem quidem eſſe dicamus: alius ſi fieri poterat cõmodius: alius quando aliquid agendum ſit, quod aduerſetur iis, quæ geſta ſunt: alius ex iis, in quibus peccatum eſt: alius ex nomine. Loci vero ſunt eorum, quæ videntur enthymemata, cum ratione nihil concluſeris, ita tamen orationem in extremo conformare, vt aliquid concluſiſſe videaris: ex homonymia: ex eius, quod diſiunctum eſt, coniunctione, vel eius, quod coniunctum eſt, diſiunctione: ex exaggeratione: ex ſigno: ex eo, quod accidit: ex eo, quod ſequitur: ex non cauſſa, tanquam cauſſa: ex defectione temporis, & modi: ex eo quod non eſt ſimpliciter veriſimile, ſed quoddam veriſimile. Multum intereſt ad fidem, maxime in deliberationibus, cuiuſmodi videatur is, qui dicit, & quomodo eum erga ſe affectum eſſe ij, qui audiunt, arbitrentur.

αὐτοὺς αἰεὶ αἱρεῖσθαι· ἄλλος
τὸ οὗ ἕνεκα ἂν εἴη, εἰ μὴ γέ-
νοιτο, τούτου ἕνεκα φάναι εἶ-
ναι, ἢ γεγονέναι· ἄλλος ε[ἰ]
δυνατὸν, καὶ ῥᾴδιον, καὶ ὠφέ-
λιμον· ἄλλος ἐκ τῶν δοκού[ν-]
των μὲν γίνεσθαι, ἀπίστων δ[ὲ·]
ἄλλος τὸ τὰ ἀνομολογού-
μενα σκοπεῖν· ἄλλος τὸ λέ-
γειν τὴν αἰτίαν τοῦ παραδό-
ξου· ἄλλος ἀπὸ τοῦ αἰτίου,
ἐάν τε ὑπάρχῃ, ὅτι ἐστὶ, κἂν
μὴ ὑπάρχῃ, ὅτι οὐκ ἐστιν· ἄλ-
λος εἰ ἐνεδέχετο βέλτιο[ν·]
ἄλλος, ὅταν ἢ ἐναντίον μέλ-
λῃ πράττεσθαι τοῖς πεπρα-
γμένοις· ἄλλος ἐκ τῶν ἁ-
μαρτηθέντων· ἄλλος ἀπὸ
τοῦ ὀνόματος. τόποι δ' εἰσὶ
τῶν φαινομένων ἐνθυμη-
μάτων τὸ μὴ συλλογισά-
μενον συμπεραντικῶς τὸ
τελευταῖον εἰπεῖν· τὸ παρὰ
τὴν ὁμωνυμίαν· τὸ διῃρη-
μένον συντεθέντα λέγειν, ἢ
τὸ συγκείμενον διαιροῦντα·
τὸ δείνωσι κατασκευάζειν
ἢ ἀνασκευάζειν· τὸ ἐκ τοῦ
σημείου· διὰ τὸ συμβεβη-
κός· τὸ παρὰ τὸ ἑπόμενον· πα-
ρὰ τὸ ἀναίτιον, ὡς αἴτιον·
παρὰ τὴν ἔλλειψιν τοῦ πό-
τε, καὶ πῶς· παρὰ μὴ ἁπλῶς
εἰκὸς, ἀλλά τι εἰκός. πολὺ
διαφέρει πρὸς πίστιν, μά-
λιστα ἐν ταῖς συμβουλαῖς,
τό τε ποῖόν τινα φαίνεσθαι τὸν
λέγοντα, καὶ τὸ πρὸς αὐτοὺς
ὑπολαμβάνειν ἔχειν πως
αὐτόν,

αὐτούς. τὸ μὲν οὖν ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα, χρησιμώτερον εἰς τὰς συμβουλάς ἐστί, ἢ τὸ διακεῖσθαί πως τὸν ἀκροατήν. Μέγιστον δὲ, καὶ κυριώτατον ἁπάντων πρὸς τὸ δύνασθαι πείθειν, καὶ καλῶς συμβουλεύειν τὰ ἑκάστης πολιτείας ἤθη διελεῖν. τὰ μὲν οὖν ἤθη φανερὰ κατὰ τὴν προαίρεσιν· ἡ δὲ προαίρεσις ἀναφέρεται πρὸς τέλος. τὸ δὴ τέλος ἑκάστης πολιτείας οὐ δεῖ λανθάνειν· αἱροῦνται γὰρ τὰ πρὸς τὸ τέλος. εἰσὶ δὲ πολιτεῖαι τέσσαρες, δημοκρατία, ἐν ᾗ κλήροι διανέμονται τὰς ἀρχὰς, καὶ τέλος ἐστὶ ἐλευθερία· ὀλιγαρχία, ἐν ᾗ οἱ ἀπὸ τιμημάτων, καὶ τέλος πλοῦτος· ἀριστοκρατία, ἐν ᾗ κατὰ παιδείαν, παιδείαν δὲ λέγω τὴν ὑπὸ τοῦ νόμου κειμένην, καὶ τέλος τὰ πρὸς παιδείαν, καὶ τὰ νόμιμα· μοναρχία, ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων κύριός ἐστι, τούτων δὲ ἡ μὲν κατὰ τάξιν τινὰ, βασιλεία· ἡ δ' ἀόριστος τυραννὶς, καὶ τέλος ἐστὶ φυλακή. ἔτι δὲ πολὺ διαφέρει πρὸς πίστιν, ἐὰν οἱ ἀκροαταὶ διακείμενοί πως τυγχάνωσι· οὐ γὰρ ταὐτὰ φαίνεται οὕτως καὶ οὕτως ἔχουσιν, ἀλλ' ἕτερα. τῷ μὲν γὰρ ἐπιθυμοῦντι, καὶ εὐέλπιδι, ἐὰν ᾖ τὸ ἐσόμενον, ἡδὺ, καὶ ἔσεσθαι, καὶ ἀγαθὸν ἔσεσθαι φαίνεται· τῷ δὲ ἀπα-

tur.* Ac cuiusdam quidē modi videri cū, qui dicit, vtilius in deliberationibus est, quā affectum esse hoc, aut illo modo auditorē. * Maximum autē, & potentissimū ad persuadendi facultatē, & ad bene dandū consilium est, cuiusq; Reip. mores distinguere. Ac mores quidē facile cognoscūtur ex prælectione: prælectio vero refertur ad finē. Iā finis cuiusq; Reip. non est ignorandus: sectātur enim ea, quę ad finē pertinēt. Sunt aūt Reip. genera quatuor, populi potestas, in qua sorte distribuūtur magistratus, & finis est libertas: paucorū dominatus, in quo ex censu, & finis sunt diuitiæ: optimatiū potestas, in qua ex disciplina, (disciplinā eam dico, quæ lege constitura est) & finis est positus in iis, quæ ad disciplinā, & legum pertinent obseruationē: vnius imperium, in quo vnus ōmniū dominus est, vel, si certo, ac definito ordine res gubernētur, regnū; vel si infinitè, ac interminate omnia vni permissa sunt, tyrānis, & finis est custodia. * Præterea vero multū interest ad fidem, si auditores affecti sint hoc, aut illo modo. Non enim eadem videntur sic, & sic se habentibus, sed diuersa. Nam cupienti quidem, atq; bene sperāti, si sit, quod futurū proponitur, suaue, & fore, & bonū fore vidētur: ei vero, q cupiditate vacuus

5. Mores. Lib.2.cap.1.
Lib.1.cap.8.
6. Affectus. Lib.2.cap.1.

est, & ægre ad spirandum adducitur, cōtra.

Lib.2.cap.5.

*Iam fidētia sit spes cum phantasia rerū salutarium, vt quæ prope sint: metuendarū vero aut q̄ non sint, aut quæ lōge sint. Sit metus molestia quędā, vel perturbatio ex phantasia futuri mali, aut interimēdi vim habentis, aut molestię afferēdę, quod non longe distet, sed propinquū sit, ita vt immineat.

Lib.2.cap.6.

*Sit pudor molestia quædam, & perturbatio, orta ex iis, quæ ignominiam inurere vidētur, malis, aut præsentibus, aut præteritis, aut futuris. Impudentia autem cōtemptio quædā, & firmitas animi aduersus ea ipsa.

7.
Elocutio.
Lib.3.ca.12.

* Deliberatiua autem elocutio vel omnino similis est vmbratili picturæ. Quo.n.amplior sit turba, eo lōgius spectatur. Quamobrē quæ exquisita sunt, superuacanea, & peiora videntur in vtrisq;.

8.
Dispositio.
Lib.3. ca.13.

*Sunt vero orationis partes, procœmiū, ꝓpositio, fides, peroratio. Orationis aūt deliberatiuę quomodo cōtingit narrationē esse, qualē aiunt? aut q̄ cōtra aduersariū sunt? q̄ in deliberationibus tūc locū habēt, cū contradictio adsit: etenim accusatio, & defensio sæpe adhibētur: sed nō quatenus deliberatio est.

Lib.3.ca.17.

* Oportet vero ēt in deliberatione, & in iudicio, qui priore loco dicit, eum facere suā ipsius fidē prius: deinde vero cōtrariis occurrere, soluēdo & eleuādo. Sin aūt multi-

θεῖ, καὶ δυσχεραίνοντι τοὐναντίον. ἔστω δὴ θάρσος μετὰ φαντασίας ἡ ἐλπὶς τῶν σωτηρίων, ὡς ἐγγὺς ὄντων· τῶν δὲ φοβερῶν ἢ μὴ ὄντων, ἢ πόῤῥω ὄντων. ἔστω φόβος λύπη τις, ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ, ἢ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ, ὃ μὴ πόῤῥω, ἀλλὰ σύνεγγυς φαίνεται, ὥστε μέλλειν. ἔστω αἰσχύνη λύπη τις, καὶ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν, ἢ παρόντων, ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων. ἡ δὲ ἀναισχυντία ὀλιγωρία τις, καὶ ἀπάθεια περὶ αὐτὰ ταῦτα. ἡ δημηγορικὴ λέξις καὶ παντελῶς ἔοικε τῇ σκιαγραφίᾳ. ὅσῳ γὰρ ἂν πλείων ᾖ ὁ ὄχλος, πορῤώτερον ἡ θέα. διὸ τὰ ἀκριβῆ περίεργα, καὶ χείρω φαίνεται ἐν ἀμφοτέροις. ἔστι δὲ τοῦ λόγου μέρη, προοίμιον, πρόθεσις, πίστις, ἐπίλογος. τοῦ δὲ λόγου δημηγορικοῦ πῶς ἐνδέχεται διήγησιν εἶναι, οἵαν λέγουσιν; ἢ τὰ πρὸς ἀντίδικον; ἃ ἐν ταῖς δημηγορίαις τότε ἐστὶ, ὅταν ἀντιλογία ᾖ· καὶ γὰρ ἡ κατηγορία, καὶ ἡ ἀπολογία πολλάκις· ἀλλ᾽ οὐχ ᾗ συμβουλή. δεῖ δὲ καὶ ἐν συμβουλῇ, καὶ ἐν δίκῃ, ἀρχόμενον μὲν λέγειν τὰς ἑαυτοῦ πίστεις πρότερον· ὕστερον δὲ, πρὸς τἀναντία ἀπαντᾶν, λύοντα, καὶ προσδιασύροντα. ἂν δὲ πολύ-

χους

χους ἡ ἐναντίωσις, πρότερον τὰ ἐναντία, οἷον ἐποίησε Καλλίστρατος ἐν τῇ μεσσηνιακῇ ἐκκλησίᾳ, ἃ γὰρ ἐροῦσι προανελὼν οὕτως, ὅτε αὐτὸς εἶπεν. ὕστερον δὲ λέγοντα πρῶτον τὰ πρὸς τὸν ἐναντίον λόγον λεκτέον, λύοντα καὶ ἀντισυλλογιζόμενον. καὶ μάλιστα ἂν εὐδοκιμηκότα ᾖ, ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπον προδιαβεβλημένον οὐ δέχεται ἡ ψυχή· τὸν αὐτὸν τρόπον οὐδὲ λόγον, ἐὰν ὁ ἐναντίος εὖ δοκῇ εἰρηκέναι. δεῖ οὖν χώραν ποιεῖν ἐν τῷ ἀκροατῇ τῷ μέλλοντι λόγῳ. ἔσται δὲ, ἂν ἀνέλῃς. τὰ δὲ προοίμια τοῦ λόγου δημηγορικοῦ ἐκ τῶν τοῦ δικανικοῦ λόγων ἐστί. φύσει δὲ ἥκιστα ἔχει· καὶ γὰρ περὶ οὗ ἴσασι· καὶ οὐδὲν δεῖται προοιμίου τὸ πρᾶγμα, ἀλλ' ἢ δι' αὐτὸν ἢ τοὺς ἀντιλέγοντας· ἢ ἐὰν μὴ ἡλίκον βούλει ὑπολαμβάνωσιν, ἀλλ' ἢ μεῖζον ἢ ἔλαττον. Διὸ ἢ διαβάλλειν ἢ ἀπολύεσθαι ἀνάγκη· καὶ ἢ αὐξῆσαι ἢ μειῶσαι. τούτων δὲ ἕνεκα προοιμίου δεῖται· ἢ κόσμου χάριν· ὡς αὐτοκάνδαλα φαίνεται, ἐὰν μὴ ἔχῃ. τοιοῦτον γὰρ τὸ Γοργίου ἐγκώμιον εἰς Ἠλείους. οὐδὲν γὰρ προεξαγκωνίσας, οὐδὲ προανακινήσας εὐθὺς ἄρχεται. Ἦλις πόλις εὐδαίμων. δεύτερον μέρος ἐστὶν ἡ πρόθεσις. ἐν δὲ δημηγορίᾳ

plex sit caussa, prius contrariis, vt fecit Callistratus in Misseniaca concione: quæ enim dicturi erant, cum is refutasset, tum ipse cõfirmauit. Qui vero posteriore loco dicit, ei prius, quæ sunt cõtra aduersarij rationem, dicẽda sunt, soluendo, & ratiocinationem opponendo, & maxime si probata sint. Vt enim hominem ante in crimen vocatum non recipit animus: eodem modo ne orationem quidẽ, si aduersarius bene dixisse videatur. Oportet igitur locum parare in auditore futuræ orationi. Erit autem id, si refutaueris. * Procemia vero orationis deliberatiuæ ex generis iudicialis orationib. sunt. Natura enim talis oratio minime illa habet. Etenim, de quo agatur, sciunt: & nulla alia de caussa res indiget procemio, nisi aut propter ipsum, aut cõtradicentes, aut si non quãtum velis, existimẽt, sed aut maius, aut minus. Quamobrem aut criminari, aut criminationem depellere necesse est, & aut augere, aut extenuare. Horum aũt causa procemio indiget: aut ornatus gratia, quod abrupta videantur, nisi illud habeant. Eiusmodi enim est Gorgiæ encomium in Eleos: nullo enim connixu, nulloque motu ante adhibito confestim incipit; Elis ciuitas beata. * Secunda pars est propositio. In deliberatióne autem

9. Procemium Lib 3.ca.14

10. Propositio, & narratio. Lib 3.c.a.16.

minime narratio est: quia de futuris nemo narrat. Verum si narratio adhibeatur, præteritorum erit, vt recordati illorum melius consultent de iis, quæ posterius erunt, aut criminantes, aut laudantes; sed tunc nequaquam deliberantis obeunt munus.

II. Fides. Lib.1.cap.9. Lib.2.ca.21.

*Tres formæ cõmunes sunt omnibus orationibus amplificatio, exemplũ, enthymema.*Sentẽtia vero pars enthymematis est. Et sententia est enuntiatio, non tamẽ de rebus singulis, sed vniuerse prolata, neq; quibuslibet de rebus vniuerse, sed de rebus agendis, deque iis, quæ persequenda, aut fugienda sunt in agendo, si igitur sententia est id, quod diximus, necesse est, quatuor esse sententiæ genera: aut enim sine subiectione rationis erit, quod præcognita sit, vt viro autem bene valere optimum est, vt nobis quidẽ videtur: aut sine subiectione rationis, simul atque profertur, manifesta, vt non est amator, quisquis semper non amat: aut cũ subiectione rationis, enthymematis pars, vt nemo omniũ est, quẽ liberũ merito voces: Fortunę.n. aut est seruus, aut pecuniæ: aut enthymematica quidẽ, sed non enthymematis pars, vt immortalẽ iram ne serua mortalis homo.

Lib.1.cap.9. Lib.3.ca.17.

*Omnino autẽ ex cõmunibus omniũ orationũ formis exempla aptiora

ἥκιστα διήγησίς ἐστιν. ὅτι περὶ τῶν μελλόντων οὐθεὶς διηγεῖται. ἀλλ᾽ ἐάνπερ διήγησις ᾖ, τῶν γινομένων ἔσται ἵνα ἀναμνησθέντες ἐκείνων, βέλτιον βουλεύσωνται περὶ τῶν ὕστερον, ἢ διαβάλλοντες, ἢ ἐπαινοῦντες. ἀλλὰ τότε οὐ τὸ τοῦ συμβούλου ποιοῦσι ἔργον. Τρία εἴδη κοινά ἐστι πᾶσι τοῖς λόγοις, αὔξησις, παράδειγμα, ἐνθύμημα. ἡ δὲ γνώμη μέρος ἐνθυμήματός ἐστι. καὶ γνώμη ἐστὶ ἀπόφασις μὲν, οὐ μὲν τοι περὶ τῶν καθέκαστον, ἀλλὰ καθόλου. οὔτε ἐπὶ πάντων καθόλου, ἀλλὰ περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσὶ, καὶ αἱρετὰ, ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράσσειν. εἰ δή ἐστι γνώμη τὸ εἰρημένον, ἀνάγκη τέτταρα εἶναι γνώμης εἴδη. ἢ γὰρ ἄνευ ἐπιλόγου ἔσται, διὰ τὸ προεγνῶσθαι, οἷον ἀνδρὶ δ᾽ ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστιν, ὥς γ᾽ ἡμῖν δοκεῖ· ἢ ἄνευ ἐπιλόγου, ἅμα λεγομένη, δήλη, οἷον οὐδεὶς ἐραστὴς, ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ· ἢ μετ᾽ ἐπιλόγου, ἐνθυμήματος μέρος, οἷον οὐκ ἔστιν ἀνδρῶν ὅστις ἔστ᾽ ἐλεύθερος, ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν, ἢ τύχης· ἢ ἐνθυμηματικὴ μὲν, οὐκ ἐνθυμήματος δὲ μέρος, οἷον ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν. ὅλως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις τὰ παραδείγματα ἐπιτηδειότερα

ἔστι τοῖς συμβουλευτικοῖς· ἐκ γὰρ τῶν προγεγονότων τὰ μέλλοντα καταμαντευόμενοι κρίνομεν. καὶ παραδείγματα δημηγορικώτατα· ἡ μὲν γὰρ δημηγορία περὶ τὸ μέλλον, ὥστε ἐκ τῶν γινομένων ἀνάγκη παραδείγματα λέγειν. παραδειγμάτων δ' εἴδη δύο ἐστίν. ἓν μὲν γάρ ἐστι παραδείγματος εἶδος τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα· ἓν δὲ τὸ αὐτὸν ποιεῖν. τούτου δ' ἓν μὲν παραβολή. ἓν δὲ λόγοι, οἷον οἱ αἰσώπειοι, καὶ λιβυκοί. τὰ δὲ πρὸς τὸν ἀντίδικον οὐχ ἕτερόν τι εἶδος· ἀλλὰ τῶν πίστεών ἐστι. τὰ μὲν λῦσαι ἐνστάσει· τὰ δὲ συλλογισμῷ. περὶ μὲν οὖν πίστεων ταῦτα. ὁ δ' ἐπίλογος σύγκειται ἐκ τεττάρων, ἔκ τε τοῦ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάζειν εὖ τὸν ἀκροατὴν, καὶ τὸν ἐναντίον φαῦλον· καὶ ἐκ τοῦ αὐξῆσαι, καὶ ταπεινῶσαι· καὶ ἐκ τοῦ εἰς τὰ πάθη τὸν ἀκροατὴν καταστῆσαι· καὶ ἐξ ἀναμνήσεως.

Περὶ τοῦ γένους ἐπιδεικτικοῦ.

Ἔχει κοινὸν εἶδος ὁ ἔπαινος, καὶ αἱ συμβουλαί. δεῖ δὲ τὰ ὑπάρχοντα ἔχειν. λέγω δὲ οἷον πῶς ἂν δυναίμεθα ἐπαινεῖν ἀθηναίους, εἰ μὴ ἔχοιμεν τὴν ἐν σαλαμῖνι ναυμαχίαν, ἢ τὴν ἐν μαραθῶνι μάχην, ἢ τὰ

ſunt ad deliberatiuas: nam ex præteritis futura vaticinãtes iudicamus. Et exempla ſunt maxime accommodata deliberationi. Deliberatio enim circa futurũ verſatur, vt ex præteritis neceſſe ſit exempla ducere. *Exẽplorum autẽ genera duo ſunt. *Lib.2.ca.20.*
Vnum, cum ea narrantur, quæ prius fuere: alterum, cum ea, quę quis dicit, ipſe confingit. Huius autẽ poſterioris vnum quidem genus eſt parabola: alterum autem logi, vt Æſopei, aut Libyci. Quæ vero ſunt contra aduerſarium, non altera aliqua ſpecies ſunt, ſed ad fidem referuntur; quæ partim ſoluunt obiectione: partim ratiocinatione. Ac de fide quidem hæc explicata ſint.

12. *Peroratio.* *Lib.3.ca.19.*

*Peroratio autem componitur ex quatuor, tum ex eo, vt erga ſe ipſum comparet auditorem, & in aduerſarium male: tum ex eo, vt amplificet, & deprimat: tum ex eo, vt ad affectus auditorem impellat: tum ex memoriæ renouatione.

De Genere Demonſtratiuo.

1. *Tenẽda res qua de agitur.* *Lib.1.cap.9.* *Lib.2.ca.22.*

Communis forma, ac ratio eſt laudis, & conſiliorum. *Ac oportet inſita tenere. Quod autẽ dico, huiuſmodi eſt. Quomodo poſſemus laudare Athenienſes, niſi teneamus naualem pugnã in Salamine, aut prælium Marathonium, aut quæ

pro Herculis stirpe gesserunt, aut aliquid eiusmodi? ex iis enim, quæ insunt, aut videntur inesse, honestis laudandi argumenta omnes ducũt. Eodemq; modo vituperant ex contrariis, intuentes, quid insit tale in eis, aut inesse videatur. Vt quod Græcos in seruitutem redegerunt, & eos etiam, qui aduersus barbarum ipsos in bello adiuuerant, & se strenue, fortiterque gesserant, in captiuitatem abduxerũt, Æginetas, & Potidæatas, eiusdemq; generis alia. Et si quid aliud ab eis tale peccatum est. Oportet autem quærere magis propria, quam communia. Dicimus autem communia, vt laudare Achillem, quod homo fuerit: & quod vnus e semideis: & quod ad Troiam ordines duxerit. Hæc enim & aliis insunt multis. Quare hic nihilo magis Achillem laudat, quam Diomedem. Propria autem, quæ nulli alij euenere, quam Achilli. Vt quod interfecerit Hectorẽ, fortissimum Troianorum: & Cycnũ, qui prohibebat oẽs e nauibus exire, cũ vulnerari nequiret: quodq; omniũ natu minimus, neq; iureiurando astrictus in eã expeditionẽ profectus sit: & q̃cunq; alia eiusmodi sunt.

2. Proprietates auditoris.

* Demonstratiuæ orationis auditor est auscultator. Est autẽ, qui iudicat de vi, ac facultate dicẽtis, auscultator. Genusq; demonstratiuũ diuiditur in laudẽ, & vituperationem.

ὑπὲρ ἡρακλειδῶν πραχθέντα, ἢ τῶν ἄλλων τινῶν τοιούτων· ἐκ γὰρ τῶν ὑπαρχόντων, ἢ δοκούντων ὑπάρχειν καλῶν ἐπαινοῦσι πάντες. ὁμοίως δὲ ψέγουσιν ἐκ τῶν ἐναντίων, σκοποῦντες τί ὑπάρχει τοιοῦτον αὐτοῖς, ἢ δοκεῖ. οἷον, ὅτι τοὺς ἕλληνας κατεδουλώσαντο, καὶ τοὺς πρὸς τὸν βάρβαρον συμμαχεσαμένους, καὶ ἀριστεύσαντας ἠνδραποδίσαντο, αἰγινήτας, καὶ ποτιδαιάτας, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. καὶ εἴ τι ἄλλο ἁμάρτημα τοιοῦτον ὑπάρχει αὐτοῖς. δεῖ δὲ ζητεῖν μᾶλλον ἴδια, ἢ κοινά. λέγομεν δὲ κοινά, τὸ ἐπαινεῖν τὸν ἀχιλλέα, ὅτι ἄνθρωπος· καὶ ὅτι τῶν ἡμιθέων· καὶ ὅτι εἰς τὸ ἴλιον ἐστρατεύσαντο. ταῦτα γὰρ καὶ ἄλλοις ὑπάρχει πολλοῖς. ὥστ᾽ οὐδὲν μᾶλλον ὁ τοιοῦτος ἀχιλλέα ἐπαινεῖ, ἢ διομήδην. ἴδια δέ, ἃ μηδενὶ ἄλλῳ συμβέβηκεν, ἢ τῷ ἀχιλλεῖ, οἷον τὸ ἀποκτεῖναι τὸν ἕκτορα τὸν ἄριστον τῶν τρώων, καὶ τὸν κύκνον, ὃς ἐκώλυεν ἅπαντας ἀποβαίνειν, ἄτρωτος ὤν· καὶ ὅτι νεώτατος· καὶ οὐκ ἔνορκος ὢν ἐστράτευσε· καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. ἐπιδεικτικοῦ λόγου ὁ ἀκροατὴς ἐστι θεωρός. ἔστι δ᾽ ὁ κρίνων περὶ τῆς δυνάμεως ὁ θεωρός. ἔτι τὸ μὲν ἔπαινος· τὸ δὲ ψόγος.

ψέγουσι. χρόνος δὲ τῷ ἐπιδεικτικῷ κυριώτατος μὲν ὁ παρών· κατὰ γὰρ τὰ ὑπάρχοντα ἐπαινοῦσιν, ἢ ψέγουσι πάντες. προσχρῶνται δὲ πολλάκις καὶ τὰ γινόμενα ἀναμιμνήσκοντες, καὶ τὰ μέλλοντα προεικάζοντες. τέλος δὲ τοῖς ἐπαινοῦσι, καὶ ψέγουσι τὸ καλὸν, καὶ τὸ αἰσχρόν. τὰ δ' ἄλλα οὗτοι πρὸς ταῦτα ἐπαναφέρουσι: οἱ μὲν οὖν ἐπαινοῦντες, καὶ οἱ ψέγοντες οὐ σκοποῦσιν, εἰ συμφέροντα ἔπραξεν, ἢ βλαβερά. ἀλλὰ καὶ ἐν ἐπαίνῳ πολλάκις τιθέασιν, ὅτι ὀλιγωρήσας τοῦ αὑτῷ λυσιτελοῦντος, ἔπραξέ τι καλόν· οἷον ἀχιλλέα ἐπαινοῦσιν, ὅτι ἐβοήθησε τῷ ἑταίρῳ πατρόκλῳ, εἰδώς, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀποθανεῖν, ἐξὸν ζῆν. τούτῳ δὲ ὁ μὲν τοιοῦτος θάνατος κάλλιον· τὸ δὲ ζῆν συμφέρον. ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς τὸ πολὺ, ὅτι καλὰ, ἢ ὠφέλιμα ἡ αὔξησις ἔσται. τὰ γὰρ πράγματα δεῖ πιστεύεσθαι. ὀλιγάκις γὰρ καὶ τούτων ἀποδείξεις φέρουσιν, ἐὰν ἄπιστα ᾖ, ἢ ἐὰν ἄλλος αἰτίαν ἔχῃ. συμβαίνει καὶ χωρὶς σπουδῆς, καὶ μετὰ σπουδῆς ἐπαινεῖν πολλάκις οὐ μόνον ἄνθρωπον, ἢ θεόν, ἀλλὰ καὶ ἄψυχα, καὶ τῶν ἄλλων ζώων τὸ τυχόν. περὶ δὲ ἀρετῆς, καὶ κακίας, καὶ καλοῦ, καὶ αἰσχροῦ λέγωμεν. οὗτοι γὰρ σκοποὶ τῷ ἐπαινοῦντι, καὶ ψέγοντι. καλὸν μὲν οὖν ἐστιν,

vituperationem. Ac tempus tali generi maxime quidem proprium est præsens: ex iis enim, quę insunt, laudant, aut vituperant omnes. Adhibēt tamē persæpe & præterita reuocantes ea in memoriā, & futura, præsagientes. Finis vero laudantibus, & vituperantibus est honestum, & turpe: alia autē hi ad hæc referunt. Ac illi quidē, qui laudant, quiq; vituperant, non id considerat, fecerit quis, quæ sibi vtilia sint, an minus: quin etiā sępe in laude ponunt, quod neglecta propria vtilitate honesti aliquid egerit: quemadmodum Achillem laudant, quod opem Patroclo sodali tulerit, sciens sibi esse moriendum, cum alioqui viuere sibi liceret. Huic autem talis quidem mors gloriosior fuit: at viuere vtile fuisset. *In demonstratiuis plerunque rerum honestarum, aut vtilium amplificatio erit. facta enim oportet credi. Etenim raro horum demōstrationes afferūt, si fide careant, aut si alius caussam habeat. *Euenit, vt & ioco, & serio laudemus sæpe non hominem modo, aut Deum, sed & inanima, & animal quodlibet. *De virtute autem, & vitio, & honesto, & turpi disseramus. hi enim fines propositi sunt laudanti, & vituperanti. Ac honestum quidem est,

3. Status. Lib.3.ca.17.

4. Argumēta. Lib.1.cap.9.

Primum ex propriis propositionibus. Lib.1.cap.9.

quod cum propter ſe expetendum ſit, laudabile eſt. aut quod bonum cum ſit, iucundum eſt eo ipſo, quod bonum.* *Quæ ſunt tres.* Quod ſi id honeſtum eſt, neceſſario efficitur, honeſta eſſe tria, tum virtutem; bonũ enim cum ſit, laudabile quiddam eſt: tum ea, quæ virtutis efficiencia ſunt; ad virtutẽ enim tendunt: tum ea quæ a virtute proficiſcuntur. *v.* Virtus autem eſt, vt videtur facultas parandi, & cõſeruandi ea, quæ bona ſunt: & facultas tribuendi beneficia multa, & magna, & omnia in omnibus. Neceſſe eſt autem eas maximas eſſe virtutes, quæ aliis vtiliſſimæ ſunt. Atque hæc cauſſa eſt, cur iuſti, ac fortes maximo in honore ſint. Deinde liberales. Partes vero virtutis ſunt, iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, manſuetudo, prudentia, ſapientia. Contraria iniuſtitia, timiditas, intemperantia, paruificentia, paruitas animi, illiberalitas, iracundia, imprudentia, inſipientia. Sumere vero etiam oportet ea, quę vicina ſunt iis, quę in quoq; inſunt, tanquã eadem ſint, tum ad laudem, tum ad vituperationem, vt eum, qui cautus, & animoſus eſt, timidũ, & inſidiatorẽ: eum, qui fatuus eſt, virũ bonũ: eum, qui nihil ſentit, leuẽ, ac deniq; ea, quæ quenq; cõſequũtur, ſemper in meliorẽ partẽ detorquebimus. Vt iracundũ,

ὃ ἂν δι' αὑτὸ αἱρετὸν ὄν, ἐπαι-
νετὸν ᾖ· ἢ ὃ ἂν ἀγαθὸν ὄν, ἡδὺ
ᾖ, ὅτι ἀγαθόν. εἰ δὲ τοῦτό ἐσ-
τὸ καλόν, ἀνάγκη καλὰ εἶ-
ναι τρία, τήν τε ἀρετήν, ἀ-
γαθὸν γὰρ ὄν, ἐπαινετόν ἐσ-
τά τε ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς,
πρὸς ἀρετὴν γάρ· καὶ τὰ ἀπ-
ἀρετῆς γινόμενα. ἀρετὴ δὲ
ἐστι μὲν δύναμις, ὡς δοκεῖ,
ποριστικὴ ἀγαθῶν, καὶ φυλα-
κτική· καὶ δύναμις εὐεργε-
τικὴ πολλῶν, καὶ μεγάλων, καὶ
πάντων περὶ πάντα. ἀνά-
γκη δὲ μεγίστας εἶναι ἀρετὰς
τὰς τοῖς ἄλλοις χρησιμω-
τάτας. διὰ τοῦτο τοὺς δι-
καίους, καὶ ἀνδρείους μάλιστα
τιμῶσιν, εἶτα ἐλευθερίους.
μέρη δὲ ἀρετῆς, δικαιοσύνη,
ἀνδρεία, σωφροσύνη, μεγα-
λοπρέπεια, μεγαλοψυχία,
ἐλευθεριότης, πρᾳότης,
φρόνησις, σοφία. Τἀναντία
ἀδικία, δειλία, ἀκολασία,
μικροπρέπεια, μικροψυ-
χία, ἀνελευθερία, ὀργιλό-
της, ἀφροσύνη, ἀσοφία.
ληπτέον δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς
τοῖς ὑπάρχουσιν, ὡς καὶ ταὐ-
τὰ ὄντα καὶ πρὸς ἔπαινον, καὶ
πρὸς ψόγον, οἷον τὸν εὐλα-
βῆ, καὶ εὔψυχον, δειλὸν, καὶ
ἐπίβουλον· καὶ τὸν ἠλίθιον
χρηστόν· καὶ τὸν ἀνάλγητον
πρᾶον· καὶ ἕκαστον δὲ ἐκ τῶν
παρακολουθούντων ἀεὶ κατὰ
τὸ βέλτιστον. οἷον τὸν ὀργίλον,
καὶ τὸ

καὶ τὸν μανικὸν ἁπλοῦν· καὶ τὸν αὐθάδη μεγαλοπρεπῆ, καὶ σεμνόν· καὶ τοὺς ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς, ὡς ἐν ταῖς ἀρεταῖς ὄντας, οἷον τὸν θρασὺν ἀνδρεῖον· καὶ τὸν ἄσωτον ἐλευθέριον. δόξει τε γὰρ τοῖς πολλοῖς· καὶ ἅμα παραλογιστικὸν ἐκ τῆς αἰτίας. εἰ γὰρ, οὗ μὴ ἀνάγκη κινδυνευτικὸς, πολλῷ μᾶλλον ἂν δόξειεν, ὅπου καλόν. καὶ εἰ προετικὸς τοῖς τυχοῦσι, καὶ τοῖς φίλοις· ὑπερβολὴ γὰρ ἀρετῆς, τὸ πάντας εὖ ποιεῖν. τὰ ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς ἐστι καλά, οἷον εὐγένεια, καὶ παιδεία· εἰκὸς γὰρ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὺς, καὶ τὸν οὕτω τραφέντα, τοιοῦτον εἶναι. ἔτι τὰ ἀπ' ἀρετῆς γινόμενα ἐστὶ καλά. τοιαῦτα δ' ἐστί τε σημεῖα τῆς ἀρετῆς, καὶ τὰ ἔργα, καὶ τὰ πάθη, πλὴν δικαιοσύνης· ἐν μόνῃ γὰρ ταύτῃ τῶν ἀρετῶν οὐκ ἀεὶ τὸ δικαίως καλόν· ἀλλ' ἐπὶ τοῦ ζημιοῦσθαι αἰσχρὸν τὸ δικαίως μᾶλλον, ἢ τὸ ἀδίκως. ἀνάγκη δ' ὅσα ἀνδρίας ἔργα, ἢ σημεῖα ἀνδρίας, ἢ ἀνδρίως πέπρακται, καλὰ εἶναι ταῦτα· καὶ τὰ δίκαια, καὶ τὰ δικαίως ἔργα· καὶ κατὰ τὰς ἄλλας δὲ ἀρετὰς ὡσαύτως. καὶ ὅσα κατὰ τὸ προσῆκον, οἷον εἰ ἄξια τῶν προγόνων, καὶ τῶν προϋπηργμένων·

& furiosum, simplicem vocabimus: arrogantē magnificum, ac grandē: & eos, qui modū transeunt, tamquam virtutibus prædites. Vt audacem vocabimus fortem: & prodigum liberalem. nam & multis ita videbitur: & simul vim habet subdolæ, ac fallacis conclusionis ex caussa. Si enim extra vllam necessitatem ad subeunda pericula promptus est, multo magis videri potest eodem animo, vbi honestas exigit, & si sua quibuslibet dilargitur, multo magis amicis. Est enim quædam præstantia virtutis, omnibus bene facere.* Efficientia virtutis sunt honesta, vt 30
nobilitas, & educatio: verisimile enim est ex bonis bonos oriri, & eum, qui ita educatus sit, talem esse.* Præterea quæ a virtute efficiuntur, sunt honesta. Ta- 31
lia autē sunt tum signa virtutis, tū opera, & perpessiones, præter perpessiones iustitiæ. In hac enim vna ex omnibus virtutibus non semper honestum est iuste aliquid excipere, ac perpeti. immo vero pœna iuste affici turpius est, quam iniuste. Necesse autem est quæcunq; fortitudinis opera, aut signa fortitudinis, aut fortiter facta sunt, honesta ea esse: & iusta, & iuste se habentia opera: & in ceteris virtutibus eodem modo. Et quæcūq; ita, vt cōueniebat, gesta sunt. Vt si quis digna maioribus suis gessit, & iis ornamentis, quæ prius in ipso inerāt

Nã & in magna felicitatis parte ponendum, & honestum est, relictam sibi a maioribus, aut a se ante partam gloriã aliqua accessione cumulare. Vel si quid melius, ac pulchrius actum est, quã cõuenire videbatur. Vt si quis in prosperis quidẽ rebus moderato, in aduersis magno, & excelso animo, aut potentior effectus æquior, & placabilior fuerit. Quale est illud Iphicratis; Ex qualibus ad qualia perueni? & illud Olympionicæ; *His humeris dura imposita mihi corbe rédibã. Ex Argo pressus piscibus ad Tegeã.* Et illud Simonidæ. *Quæ patremq́ue, virumq́ue, & fratres nacta tyrannos.* Quando autẽ ex actionibus laus oritur, propriũque est viri boni agere ex præelectione; conandũ est, vt quod actũ est, ex præelectione actum esse doceamus. Quã ad rem vtile fuerit, si quis idẽ sæpius egisse videatur. Quocirca & ea, quæ cõtigerũt, quæq; fortuito euenerunt, ita sumenda sunt, ac si ex præelectione facta sint. nã si multa, & cõsimilia proferãtur, id signũ esse virtutis videbitur, & præelectionis.

Laus. * Est autẽ laus oratio, q̃ declarat magnitudinẽ virtutis.

Encomium. * Encomiũ autẽ operũ est. & opera signa habitus sunt.

Fides demõstratiua. Ea vero, quæ circũ sunt, assumũtur ad fidẽ, vt nobilitas, & educatio.

Macarismus. *Eudæmonismus.* Beatitudinis autẽ, & felicitatis deprędicatio sunt quidẽ inter se eadẽ, sed alia ab iis, de quibus modo explicatũ est.

εὐδαιμονικὸν γὰρ, καὶ καλὸν τὸ προσεπικτᾶσθαι τιμήν. ἢ εἰ παρὰ τὸ προσῆκον ἐπὶ τὸ βέλτιον, καὶ τὸ κάλλιον, οἷον εἰ ὁ εὐτυχῶν μὲν μέτριος· ὁ δὲ ἀτυχῶν μεγαλόψυχος· ἢ μείζων γινόμενος βελτίων, καὶ καταλλακτικώτερος· τοιοῦτον δὲ τὸ τοῦ Ἰφικράτους, ἐξ οἵων εἰς οἷα. καὶ τὸ τοῦ ὀλυμπιονίκου, πρόσθεν μὲν ἀμφ' ὤμοισιν ἔχων τραχεῖαν ἄσυλλαν, ἰχθῦς ἐξ Ἄργους εἰς Τεγέαν ἔφερον. καὶ τὸ τοῦ Σιμωνίδου, ἡ πατρός τε, καὶ ἀνδρὸς, ἀδελφῶν τ' οὖσα τυράννων. ἐπεὶ δὲ ἐκ τῶν πράξεων ὁ ἔπαινος, ἴδιον δὲ τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν, πειρατέον δεικνύναι πράττοντα κατὰ προαίρεσιν, χρήσιμον δὲ τὸ πολλάκις φαίνεσθαι πεπραχότα. διὸ καὶ τὰ συμπτώματα, καὶ τὰ ἀπὸ τύχης, ὡς ἐν προαιρέσει ληπτέον. ἂν γὰρ πολλὰ, καὶ ὅμοια προφέρηται, σημεῖον ἀρετῆς εἶναι δόξει, καὶ προαιρέσεως. ἔστι δ' ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς. τὸ δ' ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστὶ, καὶ τὰ ἔργα σημεῖα τῆς ἕξεώς εἰσιν. τὰ δὲ κύκλῳ εἰς πίστιν, οἷον εὐγένεια, καὶ παιδεία. Μακαρισμὸς δὲ, καὶ εὐδαιμονισμὸς αὐτοῖς μὲν ταυτά. τούτοις δ' οὐ ταυτά·

ἀλλ'

ἀλλ' ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία τὴν ἀρετὴν, καὶ ὁ εὐδαιμονισμὸς περιέχει ταῦτα. ἔστι δὲ τῶν κοινῶν τὸ μὲν αὔξειν οἰκειότατον τοῖς ἐπιδεικτικοῖς. τῶν δὲ τόπων οἱ μὲν εἰσὶ, τῶν ἐνθυμημάτων, οἱ δὲ τῶν φαινομένων ἐνθυμημάτων, ὥσπερ εἴρηται. περὶ δὲ ἀρετῆς, καὶ κακίας, καὶ καλοῦ, καὶ αἰσχροῦ λέγοντες ποιοί τινες ὑποληφθησόμεθα κατὰ τὸ ἦθος· ἥπερ ἦν δευτέρα πίστις· ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ ἡμᾶς τε, καὶ ἄλλον ἀξιόπιστον δυνησόμεθα ποιεῖν πρὸς ἀρετήν. τῆς δὲ φρονήσεως ἐστὶ τὸ σκοπεῖν, παρ' οἷς ὁ ἔπαινος· ὥσπερ γὰρ ὁ σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν, ἀθηναίους ἐν ἀθηναίοις ἐπαινεῖν. δεῖ δὲ τὸ παρ' ἑκάστοις τίμιον λέγειν, ὡς ὑπάρχειν, οἷον ἐν σκύθαις, ἢ λάκωσιν, ἢ φιλοσόφοις· καὶ ὅλως δὲ τὸ τίμιον ἄγειν εἰς τὸ καλὸν, ἐπείπερ δοκεῖ γειτνιᾶν. ἔστι δὲ τῆς εὐνοίας ποιεῖν, οἴεσθαι συνεπαινεῖσθαι τὸν ἀκροατὴν, ἢ αὐτὸν, ἢ γένος, ἢ ἐπιτηδεύματ' αὐτοῦ, ἢ ἄλλως γέ πως. ὃ γὰρ λέγει σωκράτης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ, ἀληθὲς, ὅτι οὐ χαλεπὸν ἀθηναίους ἐν ἀθηναίοις ἐπαινεῖν, ἀλλὰ ἐν λακεδαιμονίοις. πάθη τούτου γένους ἴδια ἐστὶ δύο, ἡδονὴ, καὶ χάρις. ὑποκείσθω δ' ἡμῖν εἶναι

Nã vt felicitas virtutẽ, sic felicitatis deprędicatio ea cõtinet.* Est vero ex cõmunibus amplificare maxime proprium demonstratiuarum orationum. * Ac loci partim sunt enthymematum, partim eorum, quæ videntur enthymemata, vt dictum est. *De virtute, & vitio, & honesto, & turpi dicentes cuiusdã modi existimabimur propter mores; quam faciendæ fidei secundam rationẽ esse dicebamus. Eadem enim sunt, quibus & nobismetipsis, & alij fidẽ ex opinione virtutis cõciliare poterimus.*Prudentiæ autem est considerare, apud quos laudemus. Vt enim Socrates dicebat, difficile non est, Atheniẽses audientib. Atheniensibus laudare. Ac quæ apud quosque magni fiunt, de eis ita disserendum, ac si magnifacienda essent. Vt inter Scythas, aut Lacedæmonios, aut Philosophos. Omninoq; quod in precio est, eo perducere, vt honestũ sit. Videntur enim hæc vicina esse.*Et beneuolentiæ est efficere, vt putet auditor collaudari aut se, aut genus, aut studia ipsius, aut aliquo alio modo. Quod enim ait Socrates in Funebri, verum est, Non esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare, sed apud Lacedæmonios. * Affectus huius generis proprij sunt duo, voluptas, & gratia. *Positũ sit autem a nobis,

Deinde ex cõmunibus.

Lib. 2. ca. 18.

Postremo ex communissimis.

Lib. 2. ca. 22.

5.

Mores.

Lib. 1. cap. 9.

Virtus.

Prudentia.

Beneuolentia.

6.

Affectus.

Lib. 1. ca. 10.

voluptatē esse motionem quā-
dā animi, & constitutionē subi-
tam, & quæ sensu percipi pos-
sit, in statu naturæ conuenien-
Lib.2.cap.7. ti. * Sit gratia: qua is, qui quid
habet, dicitur gratificari indi-
genti, nō vt aliquid referat: ne-
que vt ad eum, qui gratificatur,
aliquid propterea perueniat: sed
eius tātum caussa, cui gratifica-
tur. Magna autem est, quę valde
indigentibus tribuitur, aut re-
rum magnarū, aut difficilium,
aut in occasionibus eiusmodi,
aut quam tribuit solus, aut pri-
7. mus, aut maxime. * Ac demōstra
Elocutio. tiua quidem elocutio est scri-
Lib.3.ca.12. ptioni accōmodatissima: opus
enim ipsius est lectio. Est autem
elocutio scriptionis exactissi-
8. ma. * Sunt vero orationis duæ
Dispositio. partes necessariæ, propositio, &
Lib.3.ca.13. fides. Verum demonstratiuæ o-
rationis quomodo contingit
narrationem esse, qualem di-
cunt? aut quæ sunt cōtra aduer-
sarium? aut perorationem? Pro-
9. œmium vero aliquod fit. * Ac
Prooemium. procœmium quidem est princi-
pium orationis, vt in poesi pro-
logus, & in aulesi proaulium.
Omnia enim hęc principia sunt,
& tanquā vię munitio inuaden-
Lib.3.ca.14. ti. * Ac proauliū quidē simile est
demonstratiuarum orationum
10. procœmio. cuius rei omnes fa-
Propositio, ciunt exemplum Isocratis in
& narratio. Encomio Helenæ procœmium. * Ac demonstratiua qui-
Lib.3.ca.16. dem procœmia ducuntur ex his, ex laude, ex vituperatione,

τὴν ἡδονὴν κίνησιν τινὰ ψυχῆς, καὶ κατάστασιν ἀθρόαν, καὶ αἰσθητὴν εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν. ἔστω χάρις, καθ' ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ὑπουργεῖν δεομένῳ, μὴ ἀντί τινος, μὴ δ' ἵνα τι αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι, ἀλλ' ἵνα ἐκείνῳ τι. μεγάλη δ' ἂν ᾖ σφόδρα δεομένῳ, ἢ μεγάλων, καὶ χαλεπῶν, ἢ ἐν καιροῖς τοιούτοις, ἢ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μάλιστα. ἡ μὲν οὖν ἐπιδεικτικὴ λέξις γραφικωτάτη· τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἀνάγνωσις. ἔστι δὲ λέξις γραφικὴ ἡ ἀκριβεστάτη. ἔστι δὲ τοῦ λόγου δύο μέρη ἀναγκαῖα, πρόθεσις, καὶ πίστις. ἐπιδεικτικοῦ δὲ λόγου πῶς ἐνδέχεται διήγησιν εἶναι, οἵαν λέγουσιν; ἢ τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον; ἢ ἐπίλογον; προοίμιον δὲ γίνεταί τι. τὸ μὲν οὖν προοίμιόν ἐστιν ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος, καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον. πάντα γὰρ ἀρχαὶ ταῦτ' εἰσί, καὶ οἷον ὁδοποίησις τῷ ἐπιόντι. τὸ μὲν οὖν προαύλιον ὅμοιον τῷ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοιμίῳ. ὅπερ πάντες ποιοῦσι παράδειγμα τὸ τῆς Ἰσοκράτους Ἑλένης προοίμιον. τὰ μὲν οὖν τῶν ἐπιδεικτικῶν λεγόμενα προοίμια ἐκ τούτων, ἐξ ἐπαίνου· ἐκ ψόγου·

ἐκ

ἐκ προτροπῆς ἐξ ἀποτροπῆς ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατήν. δεύτερον μέρος ἐστὶν ἡ πρόθεσις. διήγησις δ' ἐν μὲν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς ἐστὶν οὐκ ἐφεξῆς, ἀλλὰ κατὰ μέρος. δεῖ δὲ τοὺς μὲν γνωρίμους ἀναμιμνήσκειν. διὸ οἱ πολλοὶ οὐδὲν δέονται διηγήσεως, οἷον εἰ θέλεις Ἀχιλλέα ἐπαινεῖν· ἴσασι γὰρ πάντες τὰς πράξεις. ἀλλὰ χρῆσθαι αὐταῖς δεῖ. ἐὰν δὲ Κριτίαν, δεῖ· οὐ γὰρ πολλοὶ ἴσασι. ἐν δὲ τῇ πίστει ἐπιδεικτικῇ χρηστέον καὶ τῶν αὐξητικῶν πολλοῖς, οἷον εἰ μόνος· ἢ πρῶτος· ἢ μετ' ὀλίγων· ἢ ὃ μάλιστα πεποίηκεν, ἅπαντα γὰρ ταῦτα καλά· καὶ τὸ ἐκ τῶν χρόνων, καὶ τῶν καιρῶν, ταῦτα δὲ παρὰ τὸ προσῆκον. καὶ εἰ πολλάκις τὸ αὐτὸ κατώρθωκε, μέγα γάρ, καὶ οὐκ ἀπὸ τύχης, ἀλλὰ δι' αὐτὸν ἂν δόξειε· καὶ εἰ τὰ προτρέποντα, καὶ τιμῶντα, διὰ τοῦτον εὕρηται, καὶ κατεσκευάσθη, καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη, οἷον εἰς Ἱππόλοχον, καὶ Ἁρμόδιον, καὶ Ἀρισογείτονα τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἐναντίων. κἂν μὴ καθ' αὑτὸν εὐπορῇς, πρὸς ἄλλους ἀντιπαραβάλλειν, ὅπερ Ἰσοκράτης ἐποίει διὰ τὴν ἀσυνήθειαν τοῦ δικολογεῖν.

ex suaſione, ex diſſuaſione, ex iis, quæ referuntur ad auditorē, ſecūda pars eſt propoſitio. Narratio vero in demonſtratiuis eſt non cōtinenter, ſed in partibus. Et notos in memoriā reuocare oportet. Quamobrē multi non indigent narratione, quemadmodū ſi velis Achillem laudare: omnes enim ſciunt eius actiones: ſed vti ipſis oportet. Si vero Critiam, narrare oportet: non enim multi ſciunt. In fide autem 11.
demonſtratiua vtendum eſt etiam eorum multis, quæ ad amplificandum valent. Fides. Lib.1. cap 9.
Vt, ſi ſolus: aut primus: aut cum paucis: aut ſi maxime, ac præcipue aliquid geſſit; omnia enim hæc honeſta ſunt: ex temporibus quoque & rerum momentis ad laudādum multa ducuntur; Vt ſi quid fecit ſupra quam ab eo expectari poſſe videbatur; & ſi ſæpe eadem in re bene ſe geſſit. magnum enim, neque fortuito, ſed ipſius virtute, atque induſtria factum videatur. Et, ſi quæ ad incitandum, aut honorandum valent, huius cauſſa reperta, ac comparata ſunt. vt in quem primum encomium factū eſt, quod Hippolocho cōtigit & vt primis Harmodio, & Ariſtogitoni ſtatuæ ſunt in foro poſitę. Eademq; ratio eſt in contrariis. Quod ſi ex eo ipſo, quem laudas, ſatis tibi multa nō ſuppetant, cum aliis cōparandus erit. quod faciebat Iſocrates, vt qui nō aſſuetus foret forenſibus cauſſis dicendis.

Cum illustribus autẽ comparare oportet. amplũ enim quiddam, & præclarum est præstare præstantibus viris. Accõmodata est vero amplificatio ad laudes. nam in exuperãtia est. & exuperantia ẽ genere est honestorum. Quare si cũ illustribus nõ liceat, certe tamen cũ aliis est cõparãdũ: cum exuperãtia ipsa virtutẽ indicare videatur. Omnino aũt formarum, quę communes sunt omnibus orationibus, amplificatio accõmodatissima est demonstratiuis. Actiones enim sibi ad tractandum sumunt eas, de quibus nulla dubitatio est, vt nihil aliud requiratur, quam vt augeantur, & exornentur.

Lib.3.ca.17. * In demonstratiuis vero oportet orationem intexere laudibus, vt Isocrates facit. Semper enim aliquem infert. & hoc illud est, quod dicebat Gorgias, non deesse sibi orationem. si enim de Achille loquatur, Peleum laudat, deinde Æacum, deinde Deum. Similiter vero etiam fortitudinem, aut hæc, & illa facit; quod tale est.

12. Peroratio. Lib.3.ca.13. * Dictum est autem perorationem non esse demonstratiuarum orationum; quam interdum assumunt ad cohortandũ, aut consolandum, vt in funebribus orationibus.

δεῖ δὲ πρὸς ἐνδόξους συγκρίνειν. αὐξητικὸν γάρ, καὶ καλὸν, εἰ σπουδαίων βελτίων. πίπτει δ' εὐλόγως ἡ αὔξησις εἰς τοὺς ἐπαίνους. ἐν ὑπεροχῇ γάρ ἐστιν· ἡ δ' ὑπεροχὴ τῶν καλῶν. διὸ κἂν μὴ πρὸς τοὺς ἐνδόξους, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἄλλους δεῖ παραβάλλειν. ἐπείπερ ἡ ὑπεροχὴ δοκεῖ μηνύειν ἀρετήν. ὅλως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις ἡ αὔξησις ἐπιτηδειοτέρα τοῖς ἐπιδεικτικοῖς. τὰς γὰρ πράξεις ὁμολογουμένας λαμβάνουσιν, ὥστε λοιπὸν μέγεθος περιθεῖναι, καὶ κάλλος. ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς δεῖ τὸν λόγον ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, οἷον Ἰσοκράτης ποιεῖ. ἀεὶ γάρ τινα εἰσάγει. καὶ ὃ ἔλεγε Γοργίας, ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος, τοῦτό ἐστι· εἰ γὰρ Ἀχιλλέα λέγει, Πηλέα ἐπαινεῖ, εἶτα Αἰακὸν, εἶτα τὸν θεόν. ὁμοίως δὲ καὶ ἀνδρίαν. ἢ τὰ, καὶ τὰ ποιεῖ· ὅ τοιόνδε ἐστιν. εἴρηται δὲ ἐπίλογον μὴ εἶναι τῶν ἀποδεικτικῶν. ὃν ἐνίοτε συμπαραλαμβάνουσι πρὸς τὴν προτροπὴν, ἢ παραμυθίαν, οἷον ἐν τοῖς ἐπιταφίοις.

1. Tenẽda res, qua de agitur. Lib.2.ca.22.

De Genere Ivdiciali.

QVicũq; de re aliqua dicturus est, ei necessario nota

Περὶ τοῦ γένους δικανικοῦ.

ΠΕρὶ οὗ δεῖ λέγειν, ἀναγκαῖον κατὰ τούτου ἔχειν

ἔχειν τὰ ὑπάρχοντα, ἢ πάντα, ἢ ἔνια· καὶ γὰρ οἱ κατηγοροῦντες, καὶ οἱ ἀπολογούμενοι, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σκοπούμενοι κατηγοροῦσι, καὶ ἀπολογοῦνται. δικανικοῦ λόγου ὁ ἀκροατὴς ἐστὶ κριτὴς τῶν γεγενημένων. ἔστι δὲ ὁ περὶ τῶν γεγενημένων κρίνων, οἷον ὁ δικαστής. δίκης δὲ τὸ μὲν κατηγορία· τὸ δὲ ἀπολογία. τούτων γὰρ ὁποτερονοῦν ποιεῖν ἀνάγκη τοὺς ἀμφισβητοῦντας. χρόνος δὲ τῷ δικαζομένῳ ὁ γενόμενος· περὶ γὰρ τῶν πεπραγμένων ἀεὶ ὁ μὲν κατηγορεῖ, ὁ δὲ ἀπολογεῖται. τέλος δὲ τοῖς δικαζομένοις τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον. τὰ δ' ἄλλα συμπαραλαμβάνουσι πρὸς ταῦτα. σημεῖον δὲ, ὅτι τὸ εἰρημένον τέλος, περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἐνίοτε οὐκ ἂν ἀμφισβητήσαι ὁ δικαζόμενος, οἷον ὡς οὐ γέγονεν, ἢ ὡς οὐκ ἔβλαψεν· ὅτι δ' ἀδικεῖ, οὐδέποτε ἂν ὁμολογήσαι· οὐδὲ γὰρ ἂν ἔδει δίκης. περὶ τεττάρων ἡ ἀμφισβήτησις. ὅτι οὐ γέγονεν. ὅτι οὐκ ἔβλαψε· ὅτι οὐ τοσοῦτον· ὅτι δικαίως. δεῖ δὴ λαβεῖν τρία, ἓν μὲν, τίνων, καὶ πόσων ἕνεκα ἀδικοῦσι· δεύτερον δὲ, πῶς αὐτοὶ διακείμενοι: τρίτον δὲ, τοὺς ποίους, καὶ πῶς ἔχοντας. διορισάμενοι οὖν τὸ ἀδικεῖν, λέ-

esse oportet, quæ in ea re insunt aut omnia, aut nonnulla. Etenim qui accusant, quiq; defendunt, in ea, quæ insunt, intuentes accusant, atque defendunt. Iudicialis orationis auditor est disceptator rerum præteritarum. Est autem qui iudicat de præteritis, vt iudex. Ac iudicium diuiditur in accusationẽ, & defensionem. Horum enim alterutrũ facere necesse est eos, qui iudicio contendunt. Tempus vero contendenti in iudicio est præteritum: semper enim de iis, quæ facta sunt, ille quidem accusat, hic vero defendit. Finis autem iudicia tractantibus est iustum, & iniustum: aliaq; assumunt, vt ad hoc referunt. Signumque est eum esse, quem dixi propositum finem, quod de ceteris interdum ne contenderit quidem is, qui iudicio prouocatur, vt nõ esse factũ, quod dicitur, aut damnum datum nõ esse: at se iniuriam fecisse nunquam confitebitur. Nam ne iudicio quidem tunc opus foret. * De quatuor est controuersia, Non esse factum: Non nocuisse: Non tantopere: Non iniuste. Iam oportet assumere tria. vnũ quidem, quæ, quotque sint ea, quibus ad inferendam iniuriam impelluntur: alterum, quomodo ipsi affecti: tertium autem quibus, & quomodo affectis. Explicemus igitur hæc deinceps, si prius defini-

2. Proprietates generis. Lib. 1. cap. 3.

3. Status. Lib. 3. ca. 17.

4. Argumenta ex propriis propositio. in statu coniecturali. Lib. 1. cap. 10.

uerimus, quid ſit iniuriā facere. Sit igitur iniuriā facere, nocere ſponte contra legē. Reliquū eſt, vt dicamus, cuius rei cauſſa, & quomodo affecti, & quos iniuria afficiant. Omnes aūt faciunt omnia, partim non per ſe ipſos, partim per ſe ipſos. Atq; eorum quidem quæ nō per ſe ipſos alia fortuito agunt, alia neceſſario. Eorū vero, quæ neceſſario, alia quidem per vim, alia aūt natura. Quare omnia, q̃ nō ꝑ ſe ipſos agūt alia quidē fortuito, alia natura, alia ꝑ vim. Quæcunq; auté ꝑ ſe ipſos, quorū ipſi cauſſæ ſunt, alia quidē cōſuetudine, alia vero appetitione eorūq; partim appetitione rationis participe, partim rationis experte. Eſtq; volūtas cum ratione appetitio boni. nemo.n. aliud vult, quā q̃ bonū eſſe putat. Appetitiones vero rationis expertes ſunt ira, & cupiditas. Itaq; neceſſe eſt, vt omnia, quæcunque homines agunt, ob vnam e ſeptē cauſſis, fortunam, vim, naturam, conſuetudinem, boni rationem, iram, cupiditatem. *Iniuriā vero faciunt qui ſponte nocent contra legem. Iniuriaque afficiuntur, quibus nocetur, & inuitis nocetur contra legem.*Quoniam autem ſæpe cum fecid, quod obiicitur, feciſſe, fateantur, aut ipſam criminis inſcriptionē non agnoſcūt, aut negāt factum ſuum tale eſſe, vt ea inſcriptione notandum ſit, exempli cauſſa, cepiſſe

Lib.1. ca.13.

In ſtatu definitiuo.

Lib.1. ca.13.

γὰρ μὲν ἑξῆς. ἔστω δὴ τὸ ἀδικεῖν, τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον. λοιπὸν δὲ εἰπεῖν, τίνος ἕνεκα, καὶ πῶς ἔχοντες ἀδικοῦντες, καὶ τίνας. πάντες δὲ πράττουσι πάντα, τὰ μὲν οὐ δι' αὐτούς· τὰ δὲ δι' αὐτούς. τῶν μὲν οὖν μὴ δι' αὐτοὺς τὰ μὲν διὰ τύχην πράττουσι· τὰ δ' ἐξ ἀνάγκης. τῶν δ' ἐξ ἀνάγκης τὰ μὲν βίᾳ· τὰ δὲ φύσει. ὥστε πάντα ὅσα μὴ δι' αὐτοὺς πράττουσι τὰ μὲν ἀπὸ τύχης τὰ δὲ φύσει· τὰ δὲ βίᾳ. ὅσα δὲ δι' αὐτοὺς, ὧν αὐτοὶ αἴτιοι, τὰ μὲν δι' ἔθος· τὰ δὲ δι' ὄρεξιν. καὶ τὰ μὲν διὰ λογιστικὴν ὄρεξιν· τὰ δὲ δι' ἀλόγιστον. ἔστι δὲ ἡ βούλησις μετὰ λόγου ὄρεξις ἀγαθοῦ. οὐδεὶς γὰρ βούλεται, ἀλλ' ἢ ὅ,τ' ἂν οἰηθείη εἶναι ἀγαθόν. ἄλογοι δ' ὀρέξεις ὀργὴ, καὶ ἐπιθυμία. ὥστ' ἀνάγκη πάντα, ὅσα πράττουσι, δι' αἰτίας ἑπτὰ διὰ τύχην, διὰ βίαν, διὰ φύσιν, δι' ἔθος, διὰ λογισμὸν, διὰ θυμὸν, δι' ἐπιθυμίαν. ἀδικοῦσι δὲ οἱ βλάπτοντες ἑκόντες παρὰ τὸν νόμον. ἀδικοῦνται δὲ οἱ βλαπτόμενοι, καὶ ἀκουσίως βλαπτόμενοι παρὰ τὸν νόμον. ἐπεὶ δὲ ὁμολογοῦντες πολλάκις πεπραχέναι, ἢ τὸ ἐπίγραμμα οὐχ ὁμολογοῦσιν, ἢ περὶ ὃ τὸ ἐπίγραμμα, οἷον λαβεῖν μὲν,

μὲν, ἀλλ' οὐ κλέψαι· καὶ πατάξαι πρότερον, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι· καὶ συγγενέσθαι, ἀλλ' οὐ μοιχεῦσαι· ἢ κλέψαι, ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι, οὐ γὰρ θεοῦ τι· ἢ ἐπεργάσασθαι μὲν, ἀλλ' οὐ δημοσίαν· ἢ διειλέχθαι μὲν τοῖς πολεμίοις, ἀλλ' οὐ προδοῦναι· διὰ ταῦτα δέοι ἂν καὶ περὶ τούτων διωρίσθαι, τί κλοπή, τί ὕβρις, τί μοιχεία, ὅπως ἐάν τε ὑπάρχειν, ἐάν τε μὴ ὑπάρχειν βουλόμεθα δεικνύναι, ἔχωμεν ἐμφανίζειν τὸ δίκαιον. ἔστι δὲ πάντα τὰ τοιαῦτα περὶ τοῦ ἄδικον εἶναι, καὶ φαῦλον, ἢ μὴ ἄδικον, περὶ οὗ ἡ ἀμφισβήτησις. ἐν γὰρ τῇ προαιρέσει ἐστὶν ἡ μοχθηρία, καὶ τὸ ἀδικεῖν. τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ὀνομάτων προσσημαίνει τὴν προαίρεσιν, οἷον ὕβρις, καὶ κλοπή. οὐ γὰρ εἰ ἐπάταξε, πάντως ὕβρισεν, ἀλλ' εἰ ἕνεκά του, οἷον τοῦ ἀτιμάσαι ἐκεῖνον, ἢ αὐτὸς ἡσθῆναι. οὐδὲ πάντως, εἰ λάθρα ἔλαβεν, ἔκλεψεν, ἀλλ' εἰ ἐπὶ βλάβῃ ἔκλεψε, καὶ σφετερισμῷ ἑαυτοῦ. ὁμοίως δὲ, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἔχει, ὥσπερ καὶ περὶ τούτων. ὥρισται δὴ τὰ δίκαια, καὶ τὰ ἄδικα πρός τε νόμους δύο, καὶ πρὸς οὓς ἐστι διχῶς. λέγω δὲ νόμον τὸν μὲν

quidem se, sed furatos non esse: & priores verberasse, neque tamen contumeliam fecisse: & commiscuisse quidem corpus, sed adulterium non fecisse: aut furatos esse, sed non fecisse sacrilegium, neque enim quidquã abstulisse, quod Deo sacrum esset: aut coluisse quidem, sed non agrum publicum: aut collocutos quidem esse cum hostibus, sed non prodidisse: propterea hæc quoque accurate sunt prouidenda, ac distinguenda, quid sit furtum, quid contumelia, quid adulterium, vt siue probare velimus esse, siue non esse possimus, quid in quaque re iuris sit patefacere. Sunt autẽ hæc omnia in eo posita, vt id iniustũ esse, & improbum, aut non iniustum doceamus, de quo est controuersia. Nam ex prælectione pendet improbitas, & ipsum iniuste agere. Eius autẽ generis nomina adsignificant prælectionem, vt contumelia, & furtũ. Non enim si quis verberauit, omnino contumeliam fecit, sed si certo consilio, vt ignominia afficiendi illum, quẽ verberauit, aut vt ipse ex eo voluptatẽ perciperet. Neque omnino, si clam quid sustulit, furatus est, sed si animo nocẽdi ei, cuius res est, eamq; auertendi. Vt autẽ in his, sic & in aliis se res habet.* Iam distinguũtur iusta, & iniusta, tum quod a duabus legib. manant, tũ ratione eorũ, ad quas referũtur dupliciter. Legẽ dico aliã

In statu qualitatis. Lib. 1. ca. 17.

propriam, aliam communem. propriam quidẽ eam, quam ſibi quiſque populus ſtatuit, eamq; aut non ſcriptam, aut ſcripto cõprehenſam. cõmunem eam, quæ naturalis eſt. Eorũ ratione, ad quos pertinet, in duo genera diſtinguitur. Nam aut ad totam communitatem, aut ad vnum aliquem ex communitate referuntur, tum quæ agenda ſunt, tum quæ non ſunt. Vnde & iniuſte, & iuſte facere duobus modis aliquis poteſt: aut enim ad vnum aliquem certum, ac definitum pertinet, quod factũ eſt, aut in cõmune. nam qui adulterium facit, aut verberat, vnum aliquem lædit: at qui militiam detrectat, ipſum cõmune. Itaq; neceſſe eſt omnes accuſationes aut ad commune, aut ad priuatum referri. & de eo eſſe, quod quis cõmiſit aut neſciens, & inuitus, aut ſponte, & ſciens. idq; aut ex prælectione, aut ex affectu. Quando autem iuſtorum, & iniuſtorum duo genera eſſe dicebamus, vnũ eorũ, quæ ſcripta ſunt, alterũ eorum, quæ non ſcripta; eorũ quæ ſcripta non ſunt, bipartita diuiſio eſt. Nam alia quidem ſunt quæ cum eximia quadã aut virtute, aut improbitate cõiuncta ſunt, quibus probra, & laudes, infamiæ, & honores, & dona propoſita ſunt, vt gratiam habere bene merito, aut ei viciſſim benefacere, & promptum eſſe ad opem ferendã amicis, & quæcunq; alia

ἴδιον· τὸν δὲ κοινόν. ἴδιον μὲν τὸν ἑκάστοις ὡρισμένον πρὸς ἑαυτούς. καὶ τοῦτον τὸν μὲν ἄγραφον· τὸν δὲ γεγραμμένον. κοινὸν δὲ τὸν κατὰ φύσιν. πρὸς οὓς δὲ διώρισται, διχῶς διώρισται. ἢ γὰρ πρὸς τὸ κοινὸν ἢ πρὸς ἕνα τῶν κοινωνούντων, ἃ δεῖ πράττειν, καὶ μὴ πράττειν. διὸ καὶ τἀδικήματα, καὶ τὰ δικαιώματα διχῶς ἔστιν ἀδικεῖν, καὶ δικαιοπραγεῖν ἢ γὰρ πρὸς ἕνα ὡρισμένον, ἢ πρὸς τὸ κοινόν· ὁ γὰρ μοιχεύων, καὶ τύπτων ἀδικεῖ τινα τῶν ὡρισμένων· ὁ δὲ μὴ στρατευόμενος, τὸ κοινόν. ὥστε ἀνάγκη πάντα τὰ ἐγκλήματα ἢ πρὸς τὸ κοινὸν ἢ πρὸς τὸ ἴδιον εἶναι. ἢ καὶ ἀγνοοῦντος, ἢ ἄκοντος· ἢ ἑκόντος, καὶ εἰδότος. καὶ τούτων τὰ μὲν προελομένου. τὰ δὲ διὰ πάθος. ἐπεὶ δὲ τῶν δικαίων, καὶ τῶν ἀδίκων ἦν δύο εἴδη, τὰ μὲν γὰρ γεγραμμένα, τὰ δὲ ἄγραφα, τῶν ἀγράφων δύο ἐστὶν εἴδη. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ τὰ μὲν καθ᾽ ὑπερβολὴν ἀρετῆς, καὶ κακίας, ἐφ᾽ οἷς ὀνείδη, καὶ ἔπαινοι, ἀτιμίαι, καὶ τιμαὶ, καὶ δωρεαὶ, οἷον τὸ χάριν ἔχειν τῷ ποιήσαντι εὖ, καὶ ἀντευποιεῖν τὸν εὖ ποιήσαντα, καὶ βοηθητικὸν εἶναι τοῖς φίλοις, καὶ ὅσα ἄλλα

τοιαῦτα·

τοιαῦτα· τὰ δὲ τοῦ ἰδίου νόμου, καὶ ἐγγεγραμμένου ἔλλειμμα. τὸ γὰρ ἐπιεικὲς δοκεῖ δίκαιον εἶναι. ἔστι δὲ ἐπιεικὲς τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον. συμβαίνει δὲ τοῦτο τὰ μὲν ἀκόντων· τὰ δὲ, ἑκόντων τῶν νομοθετῶν. ἀκόντων μὲν, ὅταν λάθῃ. ἑκόντων δὲ, ὅταν μὴ δύνωνται διορίσαι δι' ἀπειρίαν. ἀδικήματα δὲ μείζονα ἐστι, ὅσα ἂν ἀπὸ μείζονος ᾖ ἀδικίας. διὸ καὶ τὰ ἐλάχιστα μέγιστα, οἷον μελανώπου καλλίστρατος κατηγόρει, ὅτι παρελογίσατο τρία ἡμιωβέλια ἱερὰ τοὺς ναοποιούς.. ἐπὶ δικαιοσύνης δὲ τοὐναντίον. ἔστι δὲ ταῦτα, ἐκ τοῦ ὑπερέχειν τῇ δυνάμει. ὁ γὰρ τρία ἱερὰ ἡμιωβέλια κλέψας, κἂν ὁτιοῦν ἀδικήσειεν. ὅτε μὲν δὴ οὕτω τὸ μεῖζον. ὅτε δὲ ἐκ τοῦ βλάβους κρίνεται. αἱ δὲ πίστεις ἄτεχνοι εἰσὶν ἴδιαι τῶν δικανικῶν. ἔστι δὲ τῶν κοινῶν τὸ γεγονὸς οἰκειότατον τοῖς δικανικοῖς· περὶ τούτων γὰρ ἡ κρίσις. οἱ δὲ τόποι εἰσὶ, οἱ μὲν τῶν ἐνθυμημάτων· οἱ δὲ τῶν φαινομένων ἐνθυμημάτων, ὄντων δ' οὐκ ἐνθυμημάτων, ὥσπερ εἴρηται. πολὺ δὲ διαφέρει πρὸς πίστιν καὶ ἐν ταῖς δίκαις, τό, τε ποιόν τινα

eius generis ſunt, alia vero ſunt propriæ legis, & ſcriptæ ſupplementũ. Nam Æquũ videtur iuſtũ eſſe. Æquumq; eſt id, quod præter ſcriptã legem iuſtum eſt. Euenit autẽ hoc partim inuitis, partim volentibus iis, qui leges ſcribũt. Inuitis quidẽ, cum quid eorũ intelligentiam effugit: volẽtibus, cum quid certo definire nõ poſſunt propter infinitatẽ..
*Iniuriæ aũt maiores ſunt, quæ a maiore manãt iniuſtitia. Quo fit, vt etiam, quę minimę videntur, maximæ ſint. Vt Melanopũ accuſabat Calliſtratus, quod fraudaſſet ſeſquiobolo ſacro in ſingula capita eos, qui templum faciendum redemerant. At iniuſtitiæ contraria ratio eſt, cauſſa autem eſt, quoniam vi, ac poteſtate ſuperant. Qui enim tres ſacros ſemiobolos furatus eſt, nullo fraudis genere abſtenturus videtur. Interdũ igitur maior iniuria diiudicatur hoc modo: interdum ex dãni dati magnitudine.
*Rationes vero faciendæ fidei, quæ artis expertes vocantur, ſunt propriæ iudicialium orationum.
* Ex communibus autẽ quod factum eſt, maxime conuenit iudicialibus: de huiuſmodi enim rebus iudicium eſt.
* Loci vero ſunt partim enthymematũ, partim eorum, quæ vidẽtur enthymemata, ſed enthymemata nõ ſunt, quemadmodum dictum eſt.
*Multum autem intereſt ad fidem etiam in iudiciis, cuiuſmodi

In ſtatu quã titatis.
Lib. 1. ca. 14.
Lib. 1. ca 15.
Ex communibus.
Lib. 2. ca. 18.
Ex communiſſimis.
Lib. 2. ca. 22. 23. 24.
5.
Mores.
Lib. 2. cap. 1.

videatur is, qui dicit, & quomodo eũ erga se affectũ esse, ij, qui audiũt, arbitrẽtur.* Et hoc, aut illo modo affectũ esse auditorem, vtilius est in iudiciis. Neq; enim eadem videntur iis, qui amant, & iis, qui oderunt: neque iratis, & iis, qui sedato, ac cõposito animo sunt: sed aut omnino alia, aut certe non æque magna. Nã qui amat eũ, de quo iudicat is facile culpam ipsius aut nullam esse, aut exiguam putat: in eo autem, qui odit, contra euenit.* Sit vero ira appetitio cum dolore coniuncta vlciscendi opinione nostra eum, qui despexisse videatur aut nos ipsos, aut nostrorũ aliquem, cum id cum facere nõ conueniret. * Delinitio vero sit sedatio, & restinctio iræ.* Amare vero sit velle alicui ea, quæ bona arbitratur, idque illius caussa, non sua, ad eaque pro viribus ei procurãda, & conficienda propensum esse. Odio autem habere contrarium. Ac ipsum quidem amare, & ipsam delinitionem consequitur misericordia, & æmulatio: iram vero, & odium stomachatio, & inuidia.* Iam sit misericordia molestia quædam exorta ex eo, quod malum esse videatur interitus, & molestiæ afferendæ vim habens, ei, qui tali sorte indignus sit, quodque tale est, vt id nobis quoque, aut alicui nostrorum euenire posse arbitremur, idque si eiusmodi

6. Affectus.
Lib. 2. cap. 1.
Lib. 2. cap. 2.
Lib. 2. cap. 3.
Lib. 2. cap. 4.
Lib. 2. cap. 8.

φαίνεσθαι τὸν λέγοντα, καὶ τὸ
πρὸς αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν
ἔχειν πως αὐτόν. πρὸς δὲ τού-
τοις ἐὰν καὶ αὐτοὶ διακείμε-
νοι πως τυγχάνωσι. καὶ τὸ δια-
κεῖσθαί πως τὸν ἀκροατὴν,
χρησιμώτερον εἰς τὰς δί-
κας· οὐ γὰρ ταὐτὰ φαίνεται φι-
λοῦσιν, καὶ μισοῦσιν οὐδ' ὀργι-
ζομένοις, καὶ πράως ἔχουσιν
ἀλλ' ἢ τὸ παράπαν ἕτερα ἢ
κατὰ τὸ μέγεθος ἕτερα. τῷ μὲν
γὰρ φιλοῦντι, περὶ οὗ ποιεῖται
τὴν κρίσιν, ἢ οὐκ ἀδικεῖν ἢ
μικρὰ δοκεῖ ἀδικεῖν. τῷ δὲ
μισοῦντι τοὐναντίον. ἔστω δὴ ἡ
ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τι-
μωρίας φαινομένης, διὰ
φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν
εἰς αὐτὸν ἢ εἰς αὐτοῦ τινὰ μὴ
προσηκόντως. ἡ δὲ πρᾴω-
σις, κατάστασις, καὶ ἠρέμησις
ὀργῆς. τὸ δὲ φιλεῖν τὸ βούλε-
σθαί τινι, ἃ οἴεται ἀγαθὰ
ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὐ-
τοῦ, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρα-
κτικὸν εἶναι τούτων. τὸ δὲ μι-
σεῖν τοὐναντίον. τῷ μὲν οὖν φι-
λεῖν καὶ τῇ πραΰνσει ἀκολου-
θοῦσι ἔλεος, καὶ ζῆλος· τῇ δὲ
ὀργῇ καὶ τῷ μισεῖν νεμεσᾶν, καὶ
φθόνος. ἔστω δὴ τὸ ἔλεος,
λύπη τις ἐπὶ τῷ φαινομένῳ
κακῷ φθαρτικῷ, καὶ λυπηρῷ
τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, ὃ κἂν
αὐτὸς προσδοκήσειε παθεῖν,
ἢ τῶν αὐτοῦ τινὰ, καὶ τοῦτο, ὅταν
πλησίον

πλησίον φαίνηται. τὸ δὲ νεμεσᾶν λυπεῖσθαί ἐστιν ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὐπραγεῖν. ὁ δὲ φθόνος λύπη τίς ἐστιν ἐπὶ εὐπραγίᾳ φαινομένῃ τῶν ἀγαθῶν ἐπὶ τοὺς ὁμοίους, μὴ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλὰ δι᾽ ἐκείνους. ὁ δὲ ζῆλος λύπη τίς ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων, καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει, οὐχ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ᾽ ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐστι. ἡ μὲν οὖν δικανικὴ λέξις ἀκριβεστέρον, ἢ δημηγορική. ἔτι δὲ μᾶλλον, ἐν ἑνὶ κριτῇ. ἐλάχιστον γάρ ἐστιν ἐν ῥητορικοῖς. εὐσυνοπτότερον γὰρ μᾶλλον τὸ οἰκεῖον τοῦ πράγματος, καὶ τὸ ἀλλότριον, καὶ ὁ ἀγὼν ἄπεστιν. ὥστε καθαρὰ ἡ κρίσις. διὸ οὐχ οἱ αὐτοὶ ἐν πᾶσι τούτοις εὐδοκιμοῦσι ῥήτορες. ἀλλ᾽ ὅπου μάλιστα ὑποκρίσεως, ἐνταῦθα ἥκιστα ἀκρίβεια ἔνι. τοῦτο δέ, ὅπου φωνῆς, καὶ μάλιστα, ὅπου μεγάλης. ἔστι δὲ τοῦ λόγου δύο μέρη ἀναγκαῖα, πρόθεσις, καὶ πίστις. διήγησις τοῦ δικανικοῦ λόγου μόνου ἐστίν. καὶ τούτου ἴδια τὰ πρὸς ἀντίδικον. ὁ δ᾽ ἐπίλογος οὐδὲ δικανικοῦ παντός, οἷον ἐὰν μικρὸς ὁ λόγος, ἢ τὸ πρᾶγμα εὐμνημόνευτον· συμβαίνει γὰρ τοῦ μήκους

malũ propinquũ esse videatur.
* Stomachari est molestia affici ob eũ, cui res prospero succedát, *Lib.2.cap.9.*
præter ipsius dignitatẽ. * Inuidia est molestia quædã propter *Lib.2.ca.10.*
eam, quæ videtur prosperitatẽ bonorũ in similibus; idq; non vt ne quid eueniat ei, qui inuidet, sed illorũ ipsorũ caussa, quibus
inuidetur.* Æmulatio est molestia quædã, cũ bona honorifica *Lib.2.ca.11.*
suppetere videantur, quorũ ipsi quoque capaces sumus, illis, qui nobis natura similes sunt, non quod ea in illis insint, sed quod
nobis quoque non insint. * Ac *7. Elocutio.*
iudicialis quidem elocutio exactior est, quam deliberatiua, *Lib.3.ca.12.*
præsertim si ad vnum iudicem habetur. hoc enim cum fit, paruam admodum facultatem habet orator vtendi præsidiis artis. facilius enim si apud vnum, paucosq; dicas, perspici potest, quod suum, ac proprium rei est, quod alienum, & abest contentio. idcirco iudicia fiunt incorrupta, & sincera. Atq; hæc caussa est, cur non ipsi oratores in omnibus his probentur. Sed vbi maxime actione opus est, ibi diligentia minimum loci habet.
*Requiritur aũt actio, vbi voce *8.*
opus est, in primisq; vbi magna. *Dispositio.*
Sũt orationis duæ partes neces- *Lib.3.cap.13.*
sariæ, propositio, & fides. Narratio iudicialis solius est. Et huius propria sunt, quę cõtra aduersarium sunt. peroratio vero ne iudicialis quidem omnis est, vt si parua oratio sit, aut res facile sub memoriã cadat; cõtingit .n. ex lõgitudine

Lib.3.ca.17. amputari.* Ac eũ, q priore loco
dicit, oportet prius ſuã ipſius fi-
dem facere, deinde cõtrariis oc-
currere, ſoluẽdo, & eleuãdo. Sin
autẽ multiplex ſit aduerſa cauſ-
ſa, prius contraria tollere. Qui
vero poſteriore loco dicit, ei pri-
uś, quæ ſunt cõtra aduerſarij ra-
tionem, dicenda, ſoluendo, &
ratiocinationem opponendo,
maximeq; ſi probata ſint. Proœ-
mium autẽ eſt principium ora-
9. tionis.* Ac maxime quidẽ ne-
Proœmium. ceſſarium munus proœmij, &
Lib.3.ca.14. proprium eſt hoc, vt indicetur
finis, cuius gratia oratio inſti-
tuta eſt. Quamobrem ſi mani-
feſta ſit, & parua res illa, qua de
agitur, non eſt vtendum proœ-
mio. Aliæ vero formæ, quibus v-
tuntur, medicamẽta ſunt quæ-
dam, & cõmunia. Ducunturq;
tum ex eo, qui dicit: tum ex au-
ditore: tum ex re: tũ ex aduerſa-
10. rio.* Propoſitio pars neceſſaria
Propoſitio, eſt, quemadmodum dictum eſt.
& narratio. In narratione autem non repe-
Lib.3.ca.15. ritur id, quod bene eſt, ſi ſit bre-
uis, aut cõciſa, ſed ſi moderata.
ſcilicet ſi dicantur, quæcunq; rẽ
perſpicuam reddant, aut quæ-
cunq; efficiant, vt auditores exi-
ſtiment rem factam eſſe, aut no-
uiſſe, aut iniuſtã fuiſſe, aut tan-
tam eſſe, quantam velit orator.
Aduerſarij autẽ contraria ratio
eſt. Ac attexẽda ſunt narrationi,
quæcunq; ad tuam virtutẽ per-
tinent, vt ego admonebam, ſemper iuſta dicens, ne libe-

ἀφαιρεῖσθαι. δεῖ δὲ ἀρχόμενον μὲν λέγειν τὰς ἑαυτοῦ πίστεις πρότερον, ὕστερον δὲ πρὸς τὰ ἐναντία ἀπαντᾶν, λύοντα, καὶ προδιασύροντα. ἂν δὲ πολύχους ᾖ ἡ ἐναντίωσις, πρότερον τὰ ἐναντία. ὕστερον δὲ λέγοντα, πρῶτον τὰ πρὸς τὸν ἐναντίον λόγον λεκτέον, λύοντα, καὶ ἀντισυλλογιζόμενον, καὶ μάλιστα ἂν εὐδοκιμηκότα ᾖ. τὸ δὲ προοίμιον ἐστὶν ἀρχὴ λόγου. τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου, καὶ ἴδιον τοῦτο, δηλῶσαι τὸ τέλος, οὗ ἕνεκα ὁ λόγος· διόπερ ἂν δῆλον ᾖ, καὶ μικρὸν τὸ πρᾶγμα, οὐ χρηστέον προοιμίῳ. τὰ δὲ ἄλλα εἴδη, οἷς χρῶνται, ἰατρεύματα, καὶ κοινά. λέγεται δὲ ταῦτα, ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ τοῦ ἀκροατοῦ, καὶ τοῦ πράγματος, καὶ τοῦ ἐναντίου. πρόθεσις δὲ μέρος ἀναγκαῖόν ἐστι, ὥσπερ εἴρηται. ἐν δὲ διηγήσει οὐκ ἔστι τὸ εὖ, ἢ τῷ ταχὺ, ἢ τῷ συντόμως, ἀλλὰ τῷ μετρίως. τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τὸ λέγειν, ὅσα δηλώσει τὸ πρᾶγμα, ἢ ὅσα ποιήσει ὑπολαβεῖν γεγονέναι, ἢ βεβλαφέναι, ἢ ἠδικηκέναι, ἢ τηλικαῦτα, ἡλίκα βούλει, τῷ δὲ ἐναντίῳ τὰ ἐναντία. παραδιηγεῖσθαι δὲ δεῖ, ὅσα εἰς τὴν σὴν ἀρετὴν φέρει, οἷον ἐγὼ δ᾽ ἐνουθέτουν, ἀεὶ τὰ δίκαια λέγων, μὴ τὰ τέ-

κνα

κνα ἐγκαταλείπειν· ἢ θατέρου κακίαν, ὁ δ' ἀπεκρίνατό μοι, ὅτι οὐ ἂν ᾖ αὐτὸς, ἔσται ἄλλα παιδία, ὁ τοὺς ἀφισταμένους Αἰγυπτίους ἀποκρίνασθαί φησιν ὁ Ἡρόδοτος· ἢ ὅσα ἡδέα τοῖς δικασταῖς. ἀπολογουμένῳ δὲ ἐλάττων ἡ διήγησις. ἠθικὴν δὲ δεῖ τὴν διήγησιν εἶναι. ἔτι ἐκ τῶν παθητικῶν λέγειν, διηγούμενον, καὶ τὰ ἑπόμενα, καὶ ἃ ἴσασι, καὶ τὰ ἴδια ἑαυτῷ, ἢ ἐκείνῳ προσόντα. πολλαχοῦ δὲ δεῖ διηγεῖσθαι, καὶ ἐνίοτε οὐκ ἐν ἀρχῇ. εἰσὶ δὲ τὰ ἐνθυμήματα δικανικώτερα. ἡ γὰρ πίστις δικανικὴ ἐστὶ περὶ τῶν ὄντων, ἢ μὴ ὄντων, οὗ μᾶλλον ἀπόδειξίς ἐστιν, καὶ ἀνάγκη· ἔχει γὰρ τὸ γεγονὸς ἀνάγκην. τὰ δὲ πρὸς τὸν ἀντίδικον, οὐχ ἕτερόν τι εἶδος, ἀλλὰ τῶν πίστεών ἐστι, τὰ μὲν λύσαι ἐν στάσει, τὰ δὲ συλλογισμῷ. ἐπεὶ δὲ τὰ ἐνθυμήματα λέγεται ἐκ τεσσάρων, τὰ δὲ τέσσαρα ταῦτά ἐστιν, εἰκὸς, παράδειγμα, σημεῖον, τεκμήριον, οὐχ ἱκανὸν, ἂν λύσῃ εἰκὸς, ὅτι οὐκ ἀναγκαῖον· ἀλλὰ δεῖ λύειν, ὅτι οὐκ εἰκός. τοῦτο δὲ συμβήσεται, ἐὰν ᾖ ἡ ἔνστασις μᾶλλον, ὡς ἐπιτοπολύ. ἐνδέχεται δὲ εἶναι τοιαύτην διχῶς, ἢ τῷ χρόνῳ, ἢ τοῖς πράγμασι. κυριώτατον δὲ, εἰ ἀμφοῖν. εἰ γὰρ

ros desereret. Aut ad alterius improbitatem, Ille vero respondit mihi, vbi ipse fuerit, alios sibi liberos futuros, quod deficientes Ægyptios respõdisse ait Herodotus. Aut quæcunque iucunda sint iudicibus. Defendenti autem minor est narratio. Atq; oportet moratam esse narrationem. Præterea ex iis, quæ afficiunt, dicere, narrãdo & consequentia, & quæ sciunt, & quæ propria sibi, aut illi adsunt.* Ac multis in locis narrare oportet, & quandoque non in principio. Sunt autem enthymemata maxime accõmodata iudicio. Nam fides iudicialis est de iis, quæ sunt, vel non sunt, cuius rei magis demonstratio est, & necessaria: habet enim, quod factũ est, necessitatẽ. Quæ vero, sunt contra aduersarium, non altera aliqua species, sed fides sunt, quæ partim soluunt obiectione, partim ratiocinatione.* Quoniam vero enthymemata ducuntur ex quatuor, nempe ex verisimili, exemplo, signo, tecmerio, non satis est, si quis ita soluat verisimile, vt neget necessarium esse: sed ita soluendum est, vt ostendat non esse verisimile. Quod ita demum consequi poterit, si id, quod contra affertur, tale erit, vt ipsum potius dicatur plerumque euenire. Atque hoc duobus modis, aut tempore, aut rebus ipsis. Maxime autem, si vtroque. Si enim

11. Fides. Lib.3.ca.17.

Lib.2.ca.25.


plura, & sæpius ita eueniūt, hoc verisimile magis est. eorū autē, quæ ab exemplis ducuntur, eadem solutio est, quæ verisimiliū. Nam &, si dissimile aliquod exemplū afferamus, ostendemus, non esse necessarium: & multo magis, si plura, ac sæpius aliter euenire doceamus. Quod si & plura, & sæpius ita euenire constet, vt aduersarij volunt, pugnādum est, vt ostendamus id, quod agitur, non esse similе, aut non similiter, aut omnino discriminis aliquid esse. Soluuntur autē signa, & quæ ex signo ducuntur enthymemata, etiam si ipsa vera fuerint: omne .n. signū ineptū esse ad conficiendū syllogismū cōstat nobis ex Analyticis. Tecmeria vero, & quæ ex tecmeriis conficiuntur enthymemata, non possumus quidem ita dissoluere, vt negemus necessariam esse argumenti conclusionem. constat autem hoc quoq; ex Analyticis. Quare alia dissoluendi via nulla relinquitur, quā vt ostendamus, verum non esse id, quod dicitur. Sin autem constet & verum esse, & tecmerium esse, hoc iam insolubile euadit. Omnia enim eo perducta sunt, vt certa, & perspicua demōstratio sit.

12. Peroratio. *Peroratio, vt dictū est, ex quatuor cōponitur, tū ex eo, vt erga se ipsum bene auditorē comparet, & in aduersarium male: tum ex eo, vt amplificet, & deprimat: tum ex eo, vt ad affectus auditorē impellat: tum ex memoriæ renouatione.

τὰ πλεονάκις οὕτω, τοῦτ' ἐστὶν εἰκὸς μᾶλλον. πρὸς δὲ τὰ παραδείγματα ἡ αὐτὴ λύσις, καὶ τὰ εἰκότα. ἐάν τε γὰρ ἔχωμεν τι οὐχ οὕτω, λέλυται, ὅτι οὐκ ἀναγκαῖον, ἢ καὶ τὰ πλείω, καὶ πλεονάκις ἄλλως. ἐὰν δὲ καὶ τὰ πλείω, καὶ τὰ πλεονάκις οὕτω, μαχητέον, ἢ ὅτι τὸ παρὸν οὐχ ὅμοιον, ἢ οὐχ ὁμοίως, ἢ διαφοράν γέ τινα ἔχει. λύεται δὲ τὰ σημεῖα, καὶ τὰ διὰ σημείου ἐνθυμήματα εἰρημένα, κἂν ᾖ ὑπάρχοντα· ὅτι γὰρ ἀσυλλόγιστόν ἐστι πᾶν σημεῖον, δῆλον ἡμῖν ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν. τὰ δὲ τεκμήρια, καὶ τεκμηριώδη ἐνθυμήματα, κατὰ μὲν τὸ ἀσυλλόγιστον, οὐκ ἔσται λύσαι. δῆλον δὲ καὶ τοῦτ' ἡμῖν ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν. λείπεται δὲ, ὡς οὐχ ὑπάρχει, τὸ λεγόμενον, δεικνύναι· εἰ δὲ φανερὸν, καὶ ὅτι ὑπάρχει, καὶ ὅτι τεκμήριον, ἄλυτον ἤδη γίνεται τοῦτο. πάντα γὰρ γίνεται ἀπόδειξις ἤδη φανερά. ὁ δ' ἐπίλογος, ὥσπερ εἴρηται, ἐκ τεττάρων σύγκειται. ἔκ τε τοῦ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάσαι εὖ τὸν ἀκροατὴν, καὶ τὸν ἐναντίον φαῦλον· καὶ ἐκ τοῦ αὐξῆσαι, καὶ ταπεινῶσαι· καὶ ἐκ τοῦ εἰς τὰ πάθη τὸν ἀκροατὴν καταστῆσαι· καὶ ἐξ ἀναμνήσεως.

ANTONII RICCOBONI A IOAN. MARIO MATIO BRIXIANO DISSENSIO

De quibusdam locis Quintiliani, quibus probatur Rhetorica ad Herennium esse Cornificij.



ANno post Christũ natum CIↃ. IↃ. LXVII. commentarium Venetiis edidi in vniuersam doctrinam oratoriam Ciceronis. In eo cum de figuris elocutionis agerem, obiter notaui Quintilianum de Cornificio res quindecim conscripsisse, quæ omnes de auctore ad Herennium veræ essent, nihilq; Cornificio tribuisse, quod in Rhetoricis ad Herennium non inuenirentur, atque illas res quindecim ibidem enumeraui. Anno autem CIↃ. IↃ. LXXV. id est, postquam ego scripsissem, octauo, Io. Marius Matius Brixianus, vir eruditus, & disertus, librum annotationum Ticini diuulgauit, & earum capite secundo rationibus allatis demonstrare conatus est, eos, qui ex Fabio Quintiliano putarẽt, se probare, auctorem Rhetoricorum ad Herennium Cornificium esse, eiusdem Fabij testimoniis ad mutandam sententiam compelli posse. Cum ego hominẽ natum esse nescirem, nedũ talia literis consignasse, anno CIↃ. IↃ. LXXXIIII. in secunda earum disceptationũ, quibus de consolatione edita sub nomine Ciceronis a Carolo Sigonio, viro doctissimo atque eloquentissimo, me defendi, quoniam ipse Sigonius exaggerans sic erat argumentatus; si nihil aliud Rhetorica ad Herennium Cornificio tradidit, quam figura Traductio, cuius Quintilianus auctorem Cornificium fecit, multo magis tam multa fragmenta a Lactantio, aliisque prolata, ius constituere Ciceronianæ industriæ, rescripsi, quod antea quoque tradideram, Quintilianum non vnam figuram Traductionem, sed res quin-

decim de Cornificio notasse, quę omnes verę essent de auctore ad Herenium. Cumq; ille negasset, tunc scire se, vbi id tradidissem, tum illas res quindecim Cornificij nomine insigniri, necesse habui anno CIↃ. IↃ. LXXXV. in Defensore meo illum, quem supra nominaui, commentarium meum commemorare abhinc vndeuiginti annos editum; ac simul ostendere, huiusmodi res fuisse Cornificij nomine insignitas. Idq; feci, non, vt Matio cõtradicerem, quem, vt modo dixi, ne noueram quidem, sed, vt priorem sententiam meam confirmarem, multo ante, quam suas ipse annotationes edidisset, prolatam. Itaque ter adhuc Cornificianam caussam egi, & semper obiter, cum leuior mihi videretur, quam vt deberet sola pertractari. Atq; hæc omnia sciuit Matius, quippe qui meum legerat Defensorem, vbi illius commentarij mei, & temporis quoque, cum illum diuulgaui, mentio facta est. Tamen quasi prior ipse hac de re scripserit in epistola missa ad perillustrem Alexãdriæ Episcopum, Octauium Parauicinum, quodammodo cõqueritur, suarum prolationes annotationum a me fuisse tentatas. Verum quid, quæso est hoc ipsum tentare? Vix enim videtur in eos conuenire, qui inscientes aliquid faciunt. Quod si ego fui tentator, qui insciens ea scripsi, quæ eius annotationibus aduersarentur, nonne ipse multo magis nomine tentatoris afficiendus sit, qui nõ solum inscienter meis obseruationibus prius exaratis est aduersatus, verumetiam prudẽs, & sciens me lacessiuit? Magnas vero habeo gratias Horatio Moscheno, iuueni nobili, & generoso, atque egregiis animi bonis perornato, cuius benignitate his vltimis diebus vidi, quod ille superiori proximo anno 10. Kal. Septembris in hominum aspectum lucemque produxit. Graue enim est a viris litteratis prouocari: sed multo grauius, quod non cognoueris, te prouocatũ fuisse, ei, qui prouocauerit, obsistere non posse. Benignissimus autẽ iuuenis effecit, vt me fuisse lacessitum intellexerim. Nec paruas quoque gratias me habere oportere ipsi Matio animaduerto, quod non solum me hominem doctum, & egregie nobilibus artibus excultum aplauerit, verumetiam ea se moderatione in me reprehendendo vsurum esse professus sit, quam, vt ipse ait, a natura

acceptam

acceptam moribus aluit studiose per totam ætatem, & coluit; quamq; ita præ se fert, vt in spem venire se dicat, si nihil aliud, certe modestiam suæ annotationis, & totius disputationis commendatam, & probatam fore; etiamsi fortasse sine vlla necessitate dicere, se tum natū, tum moribus per totam ætatem modestum fuisse, nihilque vnquam facere, nisi modeste, magna modestia non sit. Sed de hoc aliorum sit iudicium. Tantum dicā ego, non potuisse me satis mirari, cur ille, qui tam moderatum se esse professus est, ab illa tamen, quam tantopere ostentare solet, modestia discesserit, vt sæuꝑ adeo, atque impotenti animo nonnunquam aduersum me locutus sit, nec seuera hominum iudicia exhorruerit, qui fictam fuisse, ac simulatam illam moderati hominis personam fortasse possunt existimare, si videant eum non solum in deteriorem partem omnia deprauare, & profiteri fidelius, ac disertius, quam alij omnes faciant, scriptorum verba recensere: verumetiam prouehi in illud exaggerationis, vt dicat, me studio vincendi fucum facere; æquitatem, susque deque habentem scripta antiquorum ex libidine peruertere: vbi est vna vox, facere alteram: expuncta vera & iusta scriptura inducere falsam, & adulterinam: inter bonos non bene agere, contra veterem iuris formulam: quærere victoriam artibus, non virtute: velocitate percurrendi, & oculorum raptim legentium imbecillitate lapsum esse: occupata pluribus cogitationibus mente vnum verbum pro altero accepisse: ductum esse in fraudem a memoria, non sic scripturum profecto, si auctoris locum melius consuluissem: deceptum a memoria perperam legisse, id est, prorsus amentem fuisse. Hæccine est modestia? Iam, cum ille caussam suam accuratissime egerit, & me ad respondendum doctorum hominum quasi iudicio quodam constituto lacessiuerit, decreueram quidem primum nihil respondere, non solum propter caussæ leuitatem, verumetiam quia omnem curā iam meam, cogitationemq; in rebus grauioribus posueram: sed postea, cum cogitassem, posse videri me, si quiescerem, contemnere hominem eruditum, qui honestissimo; me certamine prouocauit; ne superbior existimarer, breuiter respondendum esse censui, & caussam

ter antea tractatam rurſus pertractandam, ita tamen, vt nemo me potuit contentionis ſtudio ductum, quam veritatis amore pertractum, potius ad reprehenſionem exercendam, quam ad diſſenſionem exprimendam iudicare queat. Primum igitur Matij annotationem, deinde annotationis defenſionem perpendam.

MATII ANNOTATIO, ET AD TALEM ANNOTATIONEM RICCOBONI RESPONSIO.

MATIVS. Qui libros Rhetoricorum ad Herennium Cornificio adſcribunt, quo in numero ſunt magni hac tempeſtate nominis viri, ex aliquot locis Fabij Quintiliani, quo auctore ipſi ad ita ſentiendum moti ſunt, facile conuincuntur.

RICCOBONVS. Hanc primum opinionem habuit Raphael Regius in annotationibus ſuis in Quintilianum, vbi ſcripſit ab ipſo Quintiliano complura attributa eſſe Cornificio, quæ in illo opuſculo ad Herennium non inueniuntur. Regium igitur ſequitur Matius, etiamſi ipſum non nominet, ſed vterque decipitur.

MAT. Nam libro 5. cap. 10. in principio ſic ſcribit; Genus quoddam enthymematis a Cornificio appellari contrarium. At vbi id apud auctorem horum Rhetoricorum legimus?

RIC. Lib. 4. ad hunc modum, Contrarium eſt, quod ex rebus diuerſis duabus alterā breuiter, & facile confirmat.

MAT. Eiuſdem Fabij lib. 9. cap. 3. hæc verba ſunt, vbi de figuris agit; Hæc omnia copioſius ſunt executi, qui non vt partem operis tranſcurrerunt, ſed proprie libros huic operi dedicauerunt, ſicut Cæcilius, Dionyſius, Rutilius, Cornificius, Viſellius, aliiq; non pauci. At auctor Rhetoricorum ad Herennium de tota arte Rhetorica, non de figuris tantum tractat. Quod feciſſe Cornificium ſcribit Fabius, quodque feciſſe Rutilium omnes ſcimus.

RIC. Non negat Fabius, aliquos eorum, quos nominat, de tota ratione dicendi conſcripſiſſe: ſed hoc tantum dicit, eos integros libros confeciſſe de figuris elocutionis, vt fecit Cornificius, id eſt, auctor ad Herennium, cuius totus liber quartus eſt de ipſis figuris elocutionis.

MAT. Idem ibidem paulo poſt; Quædā omnino non ſunt

ſunt figuræ, ſicut ordo, dinumeratio, circumſcriptio; ſiue hoc nomine ſignificatur comprehenſa breuiter ſententia, ſiue finitio: Nam & hæc Cornificius, atque Rutilius ſchemata dictionis putant. Atqui in toto eo opere, quod Cornificio vindicant, de his figuris ne verbum quidem.

RICCO. Videtur Quintilianus Ciceronem reprehendere, qui lib.3. de Oratore inter figuras verborum numerat ordinem, dinumeratione͂, circumſcriptionem, quæ tamen ex eius ſententia omnino non ſunt figuræ. Declarat prætcrea, quid per circumſcriptionem intelligi queat, & ait eam eſſe aut comprehenſam breuiter ſententiam, aut finitionem, quas inter ſchemata dictionis Cornificius, & Rutilius ponunt. lib.4. ad Herennium ſic legitur; Sententia eſt oratio ſumpta de vita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breuiter oſtendit. Quam vero Quintilianus vocabulo pauliſper immutato finitionem vocat, eſt apud auctore͂ ad Herennium definitio, de qua ſic, Definitio eſt, quæ rei alicuius proprias amplectitur poteſtates breuiter, & abſolute. Comprehenſa breuiter ſententia apud Rutilium eſt βραχυεπεία: finitio ὁρισμός.

MAT. Idem ibidem; adiicit his Cæcilius περίφρασιν, de qua dixi. Cornificius interrogatione͂; ratiocinationem, ſubiectionem, tranſlationem, occultationem. At vbi de occultatione in eo toto libro?

RIC. Nuſquam de occultatione, quæ ita occulta eſt, vt a nemine vnquam inter figuras fuerit commemorata: ſed de occupatione (nam pro voce occultationem ſine vllo meo dubio legendum eſt occupationem) eodem lib.4. ſic. Occupatio eſt, cum dicimus nos præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus. Tum, cum viderem facilem eſſe mutationem, vt locus corrigeretur, & illam occultationem prorſus ignotam eſſe, occupationem autem notiſſimam, ac alia omnia conuenire; non dubitaui, quin talis vox, quæ de occupatione in occultationem fuit deprauata, corrigenda eſſet, nec putaui eam impedimento eſſe debere, quominus ſum Cornificio opus tribueremus. Accedit quod quamuis certus eſſem, nullum mendum eſſe in voce, & legendum omnino occultationem, non occupationem, ob id tamen tali opere Cornifi-

cium nō priuarem, sed cum ex multis aliis rebus appareat eius auctoritatem a Quintiliano citatam his Rhetoricis conuenire, dicerem potius occultationem, quæ in hoc nō inuenitur, in alio quopiam Cornificij opere fuisse commemoratam. Constat enim ab iisdem scriptoribus eadem de re quandoq; plura opera fuisse conscripta, & absurdum non esse, vt aliquid in vno sit, quod in altero non reperiatur; quemadmodum apud Ciceronem in libro 3. de Oratore aliquæ sunt figuræ elocutionis, quæ in Oratore ad Brutum non inueniuntur. Priori tamen explicationi, quæ mendosam vocem emendat standum esse existimo.

MAT. Idem paulo supra; Equidem tradi inter præcepta miror: eorumq; exempla vitandi potius, quam imitandi gratia pono. Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Auium dulcedo ad auium ducit. & apud Ouidium ludentem; *Cur ego non dicam iuria te furiam?* Cornificius hanc traductionem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum. In libro quidē 4. operis ad Herennium in traductione exemplum illud legitur; Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Cetera vero nequaquam. Immo in figura, quam Agnominationem ille auctor vocat, exemplum illud ponitur; Auium dulcedo ducit ad auium. Vt qui suspensas habent vniuersas suas rationes ex hoc loco, probaturi ex eo, opus illud esse Cornificij, tenui admodum atque adeo nullo filo pendeant, vel etiam suo ipsi gladio confodiantur.

RIC. Non ait omnia exempla esse Cornificij, sed tantum eam figuram, ad quam talia pertinent exempla, apud Cornificium nomē traductionis habere. Vnum igitur exemplum ponit, quo etiam auctor ad Herennium vtitur in figura traductionis; Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Cetera aliunde sumit: non enim necesse habet eadem exempla illius figuræ adhibere, quę ille adhibet: Sed potest vel suis, vel aliorum vti. Vsurpat quoque in declaranda traductione exemplum, quod apud Auctorem ad Herennium Agnominationē declarat, non solum quia vt idem Quintilianus affirmat, Agnominationi confinis est traductio: verum etiam quia idem ad diuersas figuras sub diuersis rationibus potest pertinere. Quatenus enim eadem

eadem vox ab vna significatione in alteram traducitur, & in duabus significationibus vsurpatur, est Traductio, vt dulcedo auium, & ad auium: quatenus vero in eadem voce aliquid mutatur, est Agnominatio, vt cum dicitur dulcedo auium, syllaba, A, est breuis, cum vero ad auium est longa. Iam hic locus traductionis apud Quintilianum de Cornificio tantum habere momenti visus est, vt potuerit vnus non paucis persuadere, libros ad Herenium esse ipsius Cornificij, atq; inter ceteros Carolo Sigonio, viro eruditissimo, qui propter eum vnum talia Rhetorica illi tradita esse argumentabatur.

MAT. Qui vero eosdem libros Ciceroni asscribunt, imperitiam suam cum hebete iudicio ostendunt: nec vident, quam male de Cicerone mereantur, opus illud tanto viro indignissimum illi attribuentes.

RIC. Omitto, quam audacter loquatur de viris doctissimis, iisdemque grauissimis, qui Ciceronem ad Herennium citarunt, quorum in numero fuerunt nô solum Leonardus, Aretinus, Georgius Trapezuntius, & alij recentiores magni nominis viri, verumetiam Priscianus, D. Hieronymus, & eiusmodi scriptores, quibus cum nequaquam Matius est comparandus. Quoniam vero nec probat opinionem illorum, qui talem Rhetoricam Cornificio tribuunt, etiamsi ipsos appellet magni nominis viros, quales fuerunt Petrus Victorius, Paulus Manutius, M. Antonius Maioragius, M. Antonius Muretus, Carolus Sigonius, & alij omnes nostri ordinis viri clarissimi: nec illorum, qui Ciceroni, quos audet imperitos nominare, & hebeti iudicio præditos: sed cunctos sua præclara reprehendit annotatione: mihi videtur profecto esse inter illos enumerãdus, qui propter ambigens disputandi genus σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοὶ dicti sunt. Scis enim, Cosme eruditissime, quatuor fuisse genera differendi, vnum arrogans, alterum modestum, tertium certum, quartum prorsus ambigens. Ac primum quidem fuit Sophistarum, qui poscebant quæstionem, & iubebant dicere, qua de re quisq; vellet audire; quod fecisse Protagoram, Gorgiam, Prodicum, Hippiam, Zenonem, Melissum, alios vetera monumenta testantur. Alterum vero Socraticorum, qui non omnium

ſcientiam inſolentius profitebantur, vt ſophiſtæ, ſed varijs propoſitis ſententiis, & rationibus, atque inter ſe collatis, quod eſſet probabilius, ac veriſimilius eligebant, & rebus probabilibus, ac veriſimilibus, aſſenſum præſtabant. Tertium Peripateticorum, Stoicorum, Epicureorum, qui non æqualiter de rebus omnibus diſputabant, quod proprium fuit ſophiſtarũ, ſed certam aliquam quæſtionis partem diſputando defendebant, & aſſeuerantius agebant, quam ſocratici. Quartum Scepticorum, qui (vt ait Marſilius veſter Ficinus in proœmio libri de voluptate, vbi tantum hæc tria poſteriora differendi genera cõmemorauit) cum omnia indifferentia eſſe putarent, nec certum, aut probabile haberent quicquam, quod ſequerentur, ab excellentioribus quibuſque Philoſophis reiecti ſunt; in eo conuenientes cum ſophiſtis, quod captionibus vterentur, in eo ab iiſdem diſcrepantes, quod illi omnia ſe ſcire profiterentur, hi omnia ſuſpenſo animo conſiderare, ita vt nihil decernerent, nihil conſtituerent, ſed aliorum decreta oppugnarent, & in quærendo ſemper conſiderandoque verſarentur. Qualem quoque eſſe Matium, poſſumus exiſtimare. Sed quomodo in defendenda ſua annotatione ſe geſſerit, operæprecium eſt videre.

DEFENSIO ANNOTATIONIS MATII ET AD TALEM DEFENSIONEM reſponſio Riccoboni.

MAT. Magni in literis patrum ætate, & noſtra viri libros Rhetoricorum ad Herennium ſine vlla dubitatione Cornificio adiudicant adducti aliquot locis Fabij Quintiliani. Pugnat acerrime in hac parte nunc Antonius Riccobonus homo egregie nobilibus artibus excultus.

RIC. Pugnaui anno CIↃ.IↃ.LXVII. antequam Matius annotationem ſuam faceret. pugnaui quoque poſt annotationem editam, nondum tamen a me lectam anno CIↃ.IↃ.LXXXV.

MAT. Ego pridem tradidi infirma eſſe ad obtinendum, quod volunt, argumenta ex Fabio petita. neque adhuc de ſententia decedo, nixuſq; eodem Fabio auctore dico, certo, vt illi affirmant, ſtatui id non poſſe.

RIC. Ante Matium tradiderat Raphael Regius in

Quintilianum, Cornificio complura ab eo attribui, quæ in illo opusculo ad Herennium non inueniuntur. Quod tamen falsum est.

Mat. Atq; vt tota caussa apertius cognoscatur, descripta prius hic vetere nostra annotatione, collatisq; locis vtriusq;, Fabij, & auctoris Rhetoricorum istorum, in quibus quasi firmissimis fundamentis Riccobonus omnem spem obtinendæ caussæ inædificat, etiam Riccoboni verba apponimus, statimq; subiungimus ad singulas eius res rationes, quibus pristinam nostram confirmari opinionem existimamus. Vtri rectius senserint, iudicabunt docti.

Ric. Qualis fuerit illa Matij annotatio, supra expendimus. Sed ad rationes quoq;, quas in hac sua defensione adducit, responsionem nostram adiungemus; virorumq; doctorum iudicium non refugimus.

DE RE PRIMA PROBANTE RHETORICA AD HERENNIVM ESSE Cornificij ex Quintiliano.

Mat. Ex quindecim rebus, quibus Riccobonus in libro, quem Iudicium secundum, & in eo, quem defensorem inscribit, nititur probare librum Rhetoricorum ad Herennium esse Cornificij, vna est figura Traductio, de qua ipsum audiamus. Ex Riccoboni Defensore: Non vna figura Traductio, sed res quindecim a me collectæ hoc effecerunt, &c.

Ric. Non sunt verba mea, sed Sigonij in Accusatore sententiam meam recitantis expressam in secunda disceptatione ad hunc modum; Obiter aduersus Sigonij exaggerationem dico, quod alias quoq; scripsi, Quintilianum non vnam figuram Traductionem, sed res quindecim de Cornificio notasse, quæ omnes de auctore ad Herennium veræ sunt.

Mat. Ex eodem defensore; Me vero, vt ita scriberem, impulit, quod scriptum in Rhetoricis ita videbam; Traductio est, cum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo; Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Apud Quintilianum vero hoc pacto; Aliter quoque voces aut in eadem, aut in diuersa significatio-

ne ponuntur, vt amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Cornificius hanc traductionem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum.

RIC. Hæc quidem verba posita sunt in meo defensore, sed ex accusatore Sigonij, & sub nomine ipsius Sigonij.

MAT. Et paulo post; In eo libro scripsi Quintilianum res quindecim de Cornificio attulisse, quæ omnes de auctore ad Herennium veræ essent, nihilq; tribuisse Cornificio, quod in Rhetoricis non Herennij, vt tu loqueris, sed ad Herennium non inuenirentur, &c.

RIC. Est ille liber, quem in eodem defensore supra notaueram anno CIↃ. IↃ. LXVII. mihi excidisse, vt negare non possit Matius, sciuisse se, cum hæc contra me scriberet, me multo ante ipsum hanc Cornificianam caussam pertractasse.

MAT. Ibidem; Audi, postquam vis, & cognosce, vel potius, quod cognoscis cōfitere, non minus ex aliis, quam ex tua figura traductione colligi, ea Rhetorica esse Cornificij. Age enim declarauit auctor ad Herennium traductionem: Quintilianus eam declarationem tribuit Cornificio, vnde colligis scriptorem ad Herennium esse Cornificium.

RIC. Illud sine dubio exemplum, quod in declaranda ea figura, quam Cornificius traductionem appellauit, Quintilianus affert, est in Rhetoricis ad Herennium, vt recte notauit Sigonius.

MAT. In his verbis pluscula sunt Sigonij, quæ tamen Riccoboni sunt censenda, quoniā si a Sigonio essent prætermissa, Riccobonus eadem fuerat allaturus, siquidem caussam suam voluisset firmare.

RIC. O mirum artificium. Pluscula sunt Sigonij, quæ tamen Riccoboni sunt censenda. Bone Deus, hiccine est ille Matius, qui se prorsus modestum, & moderatum esse profitetur, & tamen suscipit me potius, quam Sigonium refellendum, etiam in iis, quæ ipsius sunt Sigonij? Cur eadem eram allaturus, si necesse non habebam? Sigonius dixerat, vnam figuram traductionem Rhetorica ad Herennium tradere Cornificio: ego vero contendebā, non vnam figuram traductionem, sed res quindecim; ac nomina tantummo-

tummodo figurarum spectabam, non etiam exempla, quæ poterant esse & propria Quintiliani, & vndecunq; sumpta. Tamen iste, si Diis placet, vult illa me fuisse allaturum, quæ nihil caussæ proderant meæ.

MAT. Nos ad vniuersa sic respondemus. Si sola legantur, & pendātur, quæ ab Sigonio, & Riccobono, ex Fabio, atq; ex incerto auctore prolata sunt verba, cadā ego statim: caussa non solum non perorata, sed ne inchoata quidem.

RIC. Illa sola Sigonius protulit verba, quæ sola ad rem pertinebant: cetera non attigit, tanquā præter rem suam.

MAT. Quod ni accidet, fideliter loca vtriusq;, Fabij, & huius incerti auctoris huc transferam.

RIC. Quasi Sigonius minus fideliter illa notauerit; & hoc sit fideliter agere, etiam ea, quæ præter rem sunt, non sine legentium molestia afferre.

MAT. Fabius igitur lib. 9. cap. 3. in figura ἀντανάκλασις (quam tamen P. Rutilius, vnde Quintilianus eam accepit ἀνάκλασιν vocat) sic scribit; Cui confinis est ἀντανάκλασις, eiusdem rei contraria significatio. Cum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem suam expectaret, & ille dixisset, se vero non expectare, Immo, inquit, rogo expectes.

RIC. Quam Rutilius appellauit ἀνάκλασιν, Quintilianus vocauit ἀντανάκλασιν, vel quia ita legendum, vel quia idem esse prorsus arbitraretur, verum hæc superstitio Matij, vel, vt ipse appellat, fidelitas quid ad rem?

MAT. Sequitur Fabius; Non ex eodem, sed diuerso vicinum accipitur, cum supplicio afficiendum dicas, quem supplicatione dignum iudicaueris.

RIC. Hoc quoq; nihil ad rem nostram.

MAT. Idem Fabius; Aliter quoq; voces aut eædem in diuersa significatione ponuntur, aut productione tantum, vel correptione mutatæ, quod etiam in iocis frigidum. Equidem tradi inter præcepta miror; eorumq; exempla vitandi potius, quam imitandi gratia pono. Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Auium dulcedo ad auium ducit. Et apud Ouidium ludentem: Cur ego non dicam furia, te furiam? Cornificius hanc traductionem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum. Hactenus Fabius.

RIC. Vult corrigere locum Quintiliani, & deprauat. Nam in omnibus, quos ego viderim, libris, ita legitur, & bene legitur; Aliter quoq; voces aut eadem, aut diuersa in significatione ponuntur. Et ita legit etiam Sigonius: Duobus igitur modis tradit Quintilianus traductionem vsurpari, primum, cum vox aliqua in eadem significatione ex vno loco in alterum traducitur concinnitudinis gratia. Deinde, cum vox aliqua in diuersa significatione ponitur, non solum si eadem permaneat, sed etiam si paulisper immutetur productione tantum, vel correptione. Iam cum primi modi exemplum nullum afferat, veluti rei notissimæ: alterum exemplis illustrat, non solum cum eadem vox permanet in diuersa significatione, vt amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari: verumetiam, cum paulisper immutatur, productione tantum, vt auium dulcedo ad auium ducit; vel correptione, vt apud Ouidium ludentem. Cur ego non dicam, furia, te furiam? Quorum exemplum primum sumit ex auctore ad Herennium in traductione: alterum ex eodem in agnominatione, cui paulo supra affirmauit esse confinem traductionem; ita vt ambæ in idem recidant, etiamsi aliqua distinguantur ratione, vt supra declarauimus: Tertium ex Ouidio. Addit, a Cornificio hanc vocari traductionem, videlicet alterius intellectus ad alterum, cum vox ab vno ad alterum sensum traducitur. Non ob id tamen negat, apud eundem Cornificium esse etiam traductionem, cum eadem vox in eadem significatione ab vno loco in alterum traducitur, & crebrius ponitur; nec priorem modum ab auctoritate Cornificij excludit, etiamsi eam in posteriori tantum consideret, ad quem solum allata exempla referuntur. Cum enim tantum posterioris modi exempla attulerit, hunc vnum spectans, tradit, eum ad traductionem Cornificij pertinere. Nec idcirco sequitur, si hic auctor talem modum ad talem figuram retulit, eum nomen traductionis priori modo abstulisse. Sigonius autem ex illis tribus exemplis vnum commemorauit, nempe illud, quod ex auctore ad Herennium sumptũ erat in traductione, quia illud vnum ad rem suam attinere intelligebat: alia omisit, quia rebus superuacaneis implere scripta sua nolebat, vt supra quoq; notaui.

MAT.

Mat. Verba vero auctoris ad Herennium hæc sunt; Traductio est, quæ facit, vt, cum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto; Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Item; Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petiisset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic vlcisci voluit, vt ipse sibi reperiretur inimicus? Item, Diuitias sine diuitum esse; tu vero virtutem præfer diuitiis. Nam si voles diuitias cum virtute comparare, vix satis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pedissequæ sint. Ex eodem genere exornationis est, cum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo; Cur eam rem tam studiose curas, quæ multas tibi dabit curas? Item; Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Item; veniam ad vos, si mihi Senatus det veniam.

Ric. Idem hic auctor tradit, quod Quintilianus, duplicem esse vsum Traductionis; vnum, cum idem verbum crebrius ponitur, & concinniorem orationem reddit: alterum, cum idem verbum modo ponitur in hac, modo in alterá re. Quem duplicem vsum significat Quintilianus, cum ait, per hanc figuram voces aut eadem, aut diuersa in significatione poni, etiam si primum nullo exemplo declaret, alterũ tribus exemplis ornet, vt supra quoq; notatum est. Cum autem in genere eadem sit vtriusq; doctrina, illud tamen est differentiæ, quod in secũda specie auctor ad Herennium exempla affert tantum, cum eadem vox nulla ex parte immutata in diuersa ponitur significatione: Quintilianus vero etiam, cum vox mutata aut productione, aut correptione. Id quod ex agnominatione sumit propter affinitatem, quam ei dixit esse cum Traductione.

Mat. Riccobonus, & ceteri, qui ab hac parte stant (neque enim hodie, aut heri, vt diximus, hęc mota est controuersia) sic colligunt; Quintilianus figuram hanc, Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari, a Cornificio Traductionem appellari tradit: Est autem sic apud hunc auctorem librorum ad Herennium. Ergo Cornificius est horum librorum auctor.

RIC. Non huiusce controuersiæ auctorem, sed primum me fuisse profiteor, qui res quindecim de Cornificio a Quintiliano citatas collegerit, vt ex eius appareret auctoritate, quis illos scripsisset libros. Illarum autem rerum prima est figura Traductio.

MAT. Duobus modis hic respondeo.

RIC. Sed ad hos duos modos postea alios duos adiungit, quos singillatim numerabo, & refellam.

MAT. Primo concedere me Cornificium confecisse Rhetorica, in quibus sic scripserit, vt Fabius tradit: negare tamen hæc Rhetorica esse ea, quippe multa Fabius scribit, a Cornificio tradita, quæ tamen in his libris non leguntur. Ergo hæc Rhetorica Cornificij non sunt.

RIC. Assumptio est Raphaelis Regij, vt supra notaui: sed falsissima. Omnia enim, quæ Cornificio Fabius tribuit, in his libris reperiuntur.

MAT. Altero modo eludi, atque adeo reprimi posse aduersariorum argumẽtum arbitror sic; Fabius eodẽ loco dicit, hanc figurã, Auium dulcedo ad auium ducit, a Cornificio Traductionem appellari. Hoc autem in hoc libro non fit. neque enim in Traductione hic incertus auctor meminit huius exempli, Auium dulcedo ad auium ducit. Ergo horum auctor Rhetoricorum ad Herennium non est Cornificius.

RIC. Non satis eluditur, aut reprimitur aduersariorum argumentum. Nam Fabius eodẽ loco dicit figuram, quam ipse illo exemplo declarat, a Cornificio Traductionem nominari. Hoc autem in hoc libro fit, vbi talis figura vocatur Traductio, etiamsi in Traductione hic certus auctor illius exempli non meminerit, quod ne Fabius quidem dicit, allatum fuisse ab eo ad explicandam Traductionem, sed ipse affert arbitratu suo. Ergo horum auctor Rhetoricorum ad Herennium est Cornificius.

MAT. Imo auctor hic incertus hanc figuram, auium dulcedo ad auium ducit, agnominationem, non traductionem facit.

RIC. Ex eo loco Quintilianus sumpsit exemplum traductionis, quia prius affirmauit agnominationi traductionem esse confinem.

MAT,

MAT. Quid hic dicent Cornificiani?

RIC. Idem exemplum posse pluribus figuris seruire, quippe quæ sint, vt ait ille confines; cum tamen in eodem exemplo, vt supra ostendi, facili ratione distingui queant.

MAT. Certe non æqui tantum iudices, quos semper appello, sed paulo etiam in caussam Cornificianorũ propensiores, quiq; eosdem sartos, & tectos velint, aut amplius pronunciabunt, aut iuris idem Attij, quod Titij statuent.

RIC. Iste, vt verum fatear, mihi videtur nugari.

MAT. Quid? quod Fabius, cum dicit Cornificium appellare hanc figuram traductionem, sic exponit, videlicet alterius intellectus ad alterum, id est, (vt ego verbis eiusdem Fabij interpretor) eiusdem verbi contraria significatio: & eædem voces in diuersa significatione positæ, aut productione tantum, vel correptione mutatæ. At hic auctor multo magis traductionem facit, cum eædem voces crebrius repetitæ idem significant, non autẽ contrarium? Quod apparet illis exemplis, quæ subiungit; Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Item; Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquã tam crudeliter vitã hominis petiisset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic vlcisci voluit, vt ipse sibi reperiretur inimicus? Item; Diuitias sine diuitum esse: tu vero virtutem præfer diuitiis. Nam si voles diuitias cum virtute comparare, vix satis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pedissequæ sint.

RIC. Hæc est tertia Matiana responsio, quæ cuiusmodi sit, perpendendum est. Non est quidem dubium, quin Fabius figuram a Cornificio traductionem appellatam exponat, videlicet alterius intellectus ad alterum: sed cum ἀντανάκλασιν interpretetur eiusdem verbi contrariam significationem, non est tamen ob id restringenda traductio ad solas contrarias significationes, quod facit Matius; quia sat est aliquo modo diuersas esse; alioquin nec illud pertineret ad traductionem, amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari: nec illud, auium dulcedo ad auium ducit: nec illud Ouidij ludentis, Cur ego non dicam furia te furiam? Talia enim inter se non sunt contraria, sed di-

uersa. Præterea superius ostendi, Matium mendose leger verba Quintiliani; Aliter quoque voces aut eædem in di uersa significatione ponuntur; pro, Aliter quoque voce aut eadem, aut diuersa in significatione ponuntur. vbi ex primuntur illa duo genera traductionis, quæ leguntur a pud auctorem ad Herennium, cum idem verbum crebriu ponitur, & cum idem verbum modo ponitur in hac, mod in altera re.

MAT. Cum igitur longe alia sit traductio hæc incert auctoris ab illa, quam Fabius Cornificio attribuit; non au sim ego certe, puto nec quemquam alium ausurum affir mare, colligi ex hac figura traductione ea Rhetorica certo esse Cornificij.

RIC. Immo, cum eadem prorsus sit traductio auctoris ad Herennium, ac illa, quæ a Fabio asscribitur Cornificio, & Sigonius, & ego, & alij quamplurimi ex hac ipsa re con iecturam fecerunt, illum auctorem esse Cornificium.

MAT. Immo in multo diuersissimam sententiã ab hac traductione traducor.

RIC. Et quidem ineptissimam.

MAT. Sed, quoniam dictum est, quæ exempla & quas rationes tribuat Fabius traductioni Cornificianæ, ea esse agnominationis apud auctorem Rhetoricorum ad Herennium, ne forte quis me hæc putet somniasse, verba illius audiantur, agnominatio est, cum ad idem verbum, & idem nomen acceditur, commutatione vnius literæ, aut literarum, syllabæ, aut syllabarum: aut ad res dissimiles similia verba accommodantur. Ea multis & variis rationibus conficitur. Attenuatione, aut complexione eiusdem literæ, sic; Hic, qui se magnifice iactat, atq; ostentat, veniit a te, antequam Romam venit. Ex contrario; Hic quos homines alea vincit, eos ferro statim vincit. Productione eiusdem literæ hoc modo; Hunc auium dulcedo ducit ad auium. Breuitate eiusdem literæ hoc modo. Hic tametsi videtur honoris cupidus, tamen non tantum Curiam diligit, quam curiam. Addendis literis hoc pacto; Hic sibi posset temperare, nisi amori mallet obtemperare. Demendis literis sic; si lenones tanquam leones vitasset vitæ se tradidisset. Transferendis literis sic; Videte iudices, vtrum homini

mini nauo, an vano credere malitis. Item; Nolo esse laudator, ne videar adulator.

Ric. Certe somniauit de ceteris omnibus exemplis præter illud, auium dulcedo ad auium ducit. Sed supra satis aperui, quomodo idem exemplum tum ad traductionem, tum ad agnominationem possit pertinere.

Mat. Addam etiam hoc: deinde finem huic parti imponam. Auctor ad Herennium fingit ex se ipse omnia figurarum omnium exempla. At Fabius testatur, versum illum Ouidij, Cur ego non dicam furia te furiam? apud Cornificium esse quod haud scio, an sit ad infringendam aduersariorum causam firmissimum argumentum.

Ric. O miram hominis audaciã, ne dicam stultitiam, in hac quarta responsione. Fabius id testatur? Minime vero: sed, quam figuram exemplo Ouidij illustrauit, appellari a Cornificio traductionem docet.

DE RE SECVNDA PROBANTE RHEtorica ad Herennium esse Cornificij ex Quintiliano.

Mat. Auctor (inquit Riccobonus) ad Herenniũ scripsit integrum librum de elocutione, qui est quartus Rhetoricorum: Quintilianus lib. 9. ait; Hæc omnia de elocutione copiosius est executus Cornificius, qui proprie librum huic operi dedicauit. Est vero sic apud Fabium? Immo sic, vt ego diserte describam.

Ric. Superius fidelem scriptorẽ experti sumus, quamuis fortasse superuacanea vsum opera: nunc disertum experiamur, &, vbi etiam minus est necesse loquentem.

Mat. Hæc omnia copiosius sunt executi, qui non vt partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicauerunt, sicut Cæcilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius, aliiq; non pauci.

Ric. Nonne in his verbis id continetur, quod de Cornificio notaui? Quid opus erat alia addere, quæ ad rem non pertinebant? An vero in huiusmodi rebus modestia Matij nomen affectat diserti? Fuit hæc consuetudo veterum scriptorum, quos mihi proposui imitandos, vt in scriptis suis id tantum citarent, quod sibi esset accommo-

datum, alia vero omitterent breuitatis caussa, non solum ex soluta oratione, verum etiam ex versibus. Quod testatum quoque reliquit de Aristotele vir præclarissimus, & doctrina, eloquentia, probitate præstantissimus, Petrus Victorius, in sextum librum Ethicorum; vbi cum citata sit auctoritas Euripidis, quantum proposito Philosophi esse satis visum est, explicans illum locum vir grauissimus, & præcellentissimus, ac nunquam satis laudatus, leguntur, inquit, hi versus Euripidis apud Plutarchum: nec tamen existimandum est, tertium ipsorum mutilatum esse; atque ideo supplendum: sumpsit enim inde Aristoteles id tantum, quod sententiæ suæ accommodatum erat breuitatis caussa: vt fecit alio in loco eiusdem poetæ, quem citauit initio octaui libri, in quo pro vno & dimidiato versu eadem de caussa vnam tantum vocem vsurpauit.

MAT. Quorum verborum sensus hic est. Copiosius hi de figuris tractauerunt, quoniam in hac parte Rhetorices tantum occupati fuerunt: solum in figuris tradendis operam suam collocauerunt: reliquas Rhetoricæ partes non attigerunt. Id autem ita esse, probat liber P. Rutilij, vbi tantum de figuris agitur. Idem fecisse Coraificium significauit Fabius. At hic incertus auctor de tota arte Rhetorica, non de figuris solis tractat.

RIC. Quod fecit Rutilius, idem fecisse auctor ad Herennium videtur in lib. 4. Rhetoricorum, qui totus est de figuris elocutionis. Nec egit de tota Rhetorica in eo libro, sed de ea tantum parte.

MAT. Quod si intelligamus, Fabium hoc sentire, Cornificium ex quatuor libris quartum integrum elocutioni dedicasse, aliis tribus libris in reliquis Rhetoricæ partibus consumptis; non ridiculus sit Fabius? quasi nō & ipse idem fecerit, qui librum integrum, imo libros integros, octauum, & nonum elocutioni dedicauit?

RIC. Tametsi scripsit Quintilianus duos de elocutione libros: tamen de figuris verborum, & sententiarum copiosius non pertractauit, quam illi videntur fecisse. cui rei dedit non integrum librum, vel libros, sed duo tantum capita libri noni.

DE NO-

DE NOVEM ALIIS REBVS PROBANTIBVS RHETORICA AD HERENNIUM esse Cornificij ex Quintiliano,

MAT. Ille (pergit Riccobonus) inter figuras verborum numerat interrogationem: hic eodem libro testatur, Cornificium numerasse. Ille nominat inter easdem figuras ratiocinationem. hic dicit etiam Cornificium nominasse. Ille membrum figuris verborum aggregat: hic quoque tradit Cornificium aggregasse. Ille articulum figuram verborum facit: hic affirmat Cornificium fecisse. Ille inter easdem figuras vult esse subiectionem: hic aperit Cornificium idem voluisse. Ille simul occupationem collocat: hic declarat Cornificium collocasse. Ille inter eas recipit interpretationem: hic exponit Cornificium recepisse. Ille in ipsis commemorat conclusionem: hic ostendit Cornificium commemorasse. Ille in eisdem posuit translationem: hic meminit Cornificium posuisse. Ego ad nouem has res interrogationem, ratiocinationem, membrum, articulum, subiectionem, occupationem, interpretationem, conclusionem, & translationem in vniuersum sic respondeo σῦκα μερίζειν, id esse, tantulam, id est, vnam rem, in tot partes, id est, in nouem res secare, quod faciunt parci, ne dicam sordidi.

RIC. Bone Deus, fierine potest, vt iste, quamuis senior, nesciat numerare, & videre, sitne res vna, an nouem? Equidem non ignoro ex ijs, qui in dando deficiunt, & vt minus dent, rem paruam in plures particulas secant, quosdam appellari ab Aristotele φειδωλοὺς & parcos, qui in seruandis rebus suis nimis excedunt: alios γλίσχρους, & tenaces, ac minutos, qui vix dant, & difficulter: nonnullos κίμβικας, & retractos, ac sordidos, qui vi quadam mouentur ad dandum, & impelluntur; quales esse solent pleriq; senes: sed simul scio, aliquos vocari κυμινοπρίστας, & cuminisectores, qui cumini granum secant, ne integrum concedant; quibus fortasse iste similis videri potest, qui res nouem ita secat, & diminuit, vt ad vnam, & quidem minimam redigat.

MAT. Atq; etsi de consilio cuiusquam iudicare non debeo; tamen existimo Riccobonum conantē probare, Cor-

nificium fuisse auctorem horum Rhetoricorum, maluisse dicere, se ex quindecim rebus, quam locis, quo, fabij loco vno in res nouem dissecto caussam faceret, ostentatis adiumentis tot probationum, speciosiorem, & pulchriorem; & numeris addendis soritem Chrysippi tumidiorem, non tamen pleniorem, aut ampliorem redderet; alioqui minore opera, minori impendio chartæ, atq; chalcanthi vniuersa hæc absolui poterant.

RIC. Operæ precium est animaduertere admirabilem hominis perspicacitatem de aliena mēte ratiocinantis, cur scilicet quindecim res, quam locos dicere maluerim. Quasi vero non constet, me res quindecim dixisse, quia vere tā multæ erant, non quindecim locos, quia nonnullis superstitiosis falsum fortasse dicere visus essem, etiamsi singuli loci appellari posse videantur, vbi singula verba immo vero etiam singulæ syllabæ, & singulæ litteræ sint collocatæ. Sed hanc reprehensionem Marianæ tribuo modestiæ, satis superq; ostentatæ; quemadmodum quoq; illam alteram, quòd sóryte Chrysippi vsus fuerim, captiosissimo genere argumentationis. Nam fuit quidem mea diligens illarū rerum enumeratio, sed non captiosa. immo vero fuit talis, vt patere sensui prorsus posset. Cum enim tradat Aristoteles lib. 1. Topicorum, quosdam, qui dubitant, indigere ratione, vt quibus minus certa est animorum immortalitas: alios pœna, vt qui ambigunt, an Deos colere, & parentes diligere oporteat: nonnullos sensu, vt qui niuem esse albā non vident; mea dinumeratio ad tertium referebatur hominum dubitantium genus, vt sensu ipso dignosci posset, vtrum ille Quintiliani locus rem vnam, an nouem contineat. Id quod profecto non argumentatione, sed mediocri animaduersione, atq; admonitione indiget, non secus ac calere ignem, niuem esse albam, dulce mel. Interesse enim tradit Cicero lib. 1. de finibus sub persona L. Torquati inter argumentum, conclusionemq; rationis, & inter mediocrem animaduersionem, atq; admonitionem; altera occulta quædam, & quasi inuoluta aperiri: altera prompta, & aperta iudicari. Marij vero ratiocinatio est prorsus sophistica, & Chrysippæa in hunc modū; Quidquid in vno loco est vnum est. Res nouem in vno Quintiliani loco sunt. Ergo res

res nouem tantula, id est, vna res sunt; cuiusmodi argumento probari quoq; posset, omnes homines, quotcunq; in Patauij vnum hominem esse, quia in vno sint loco. Non ne hæc argumentatio eiusmodi est, quales erāt Chryppi argumentationes κεϱατίδες, καὶ κϱοκοδειλίδες, id est, vt Quintilianus appellauit, Ceratinæ, & Crocodilinæ; Accedit, quod bonus senex ad senum naturam reuocatus & auaritiæ fere in senibus insitæ recordatus, me amanter admonet parsimoniæ, vt rationem habeam chartæ, & chalcanthi. quod monitum mihi haudquaquam necessarium ipse fortasse debebat ante oculos habere, cum in tantula scriptione tam multa supervacanea interponebat, & collocabat, vt verba auctorum minus necessaria, exempla prioris modi Traductionis X. auctore ad Herennium frustra repetita, locum eiusdem auctoris de agnominatione, & multa alia, quæ sequuntur, quibus commode vacare eius poterat disputatio.

MAT. Sed recitemus nos verba Fabij ex cap. 3. lib. 9.

RIC. Illud nos cum maxima emphasi prolatum est.

MAT. Cornificius adijcit interrogationem, ratiocinationem, subiectionem, translationem, occultationē, præterea sententiam, membrum, articulum, interpretationem, conclusionem.

RIC. Legendum est, vt supra notaui, occupationem, loco illius vocis, occultationem. Facilis autem fuit deprauatio de occupatione in occultationem, & econuerso facilis est correctio: atq; occupatio est figura notissima, occultatio vero occultissima, cuius alibi apud magistros dicendi mentio non inueniatur: cumq; res aliæ quatuordecim de Cornificio conueniant, hæc quoq; tam facili mutatione sine vllo meo dubio cum illis est coniungenda

MAT. Verba hęc Fabij aperte ostendūt, locum vnū esse.

RIC. Quid ni?

MAT. Sed sint res nouem.

RIC. An vero iste loco beneficij id vult concedere, quod est tam verum, quam quod verissimum?

MAT. Etiamne, vt caussæ seruiamus, studio vincendi fucum faciemus?

RIC. Hæccine est modestia?

MAT. Et æquitatem susq; deq; habentes scripta an quorum ex libidine peruertemus?

RIC. Hoc mirabiliter quadrat in Matium, qui Fabij Traductione locum, vt supra ostendi, ex libidine peruert

MAT. Cur vbi est occultatio fit occupatio?

RIC. Exposui iam caussam.

MAT. Expunctaq; vera, & iusta scriptura inducitur fa sa, & adulterina?

RIC. Immo expuncta falsa & adulterina inducitur vera, & iusta.

MAT. Inter bonos bene agier, admonemur vetere iuris formula.

RIC. Facile paterer me à sene moneri, si ipse prius moneret.

MAT. Vincamus virtute non artibus, in certamine præsertim nobili, & generoso, vbi etiam vinci lucro est.

RIC. Hoc potissimum curo; sed video ab aduersario aliter prorsus fieri, qui scriptores mendose legit, captionibus vtitur, bonas correctiones minime recipit, cumque se omnino modestum esse profiteatur, profusa quadam, & immodesta modestia aduersus me vtitur.

MAT. At fortasse velocitas percurrendi oculos raptim legentis fefellit, & occupata pluribus occupationibus mēs pro occultatione occupationem accepit. malo enim de tali viro hæc suspicari. Attamen, quos ego legi libros, vniuersi occultationem habent, de qua occultatione quando hic auctor nusquam egit (egit autem Cornificius id testante Fabio) conuincitur hæc Rhetorica a Cornificio non fuisse conscripta.

RIC. Pro hac amabili excusatione ei gratias agerem, si ipsa esset necessaria. Nec satis firmum est illud, quos Matius legit libros, Vniuersi sunt deprauati. Ergo alius melius legere nō potuit. At vel repugnantibus omnibus libris, legendum arbitror Occupationem. Nec, si concederem recte legi, Occultationem, conficerem illud, quod Matius conficit, huiusmodi Rhetorica, vbi occultationis nulla fit mentio, a Cornificio non fuisse conscripta, præterea quod fieri posset, vt illa esset tradita in aliis libris ipsius Cornificij, quemadmodum supra respondi ad Matij annotationem.

nem. puto tamen, quemadmodum auctor ad Herennium de occultatione non egit, sic ne alibi quidem Cornificium de ea egisse, de qua nemo alius dicendi Magister mentionem fecit. De occupatione autem in his Rhetoricis est pertractatum, quæ apud Quinctilianum occultatione fuit diutius occultata.

MAT. Quod ad reliquas octo pertinet, interrogationem, ratiocinationem, membrum, articulum, subiectionem, interpretationem, conclusionem, & translationem, aduersarij sic pugnant: Scribit Fabius has omnes figuras tractatas esse a Cornificio. Reperiuntur autem vniuersæ apud hunc auctorem. ergo is auctor est Cornificius. Respondetur; si hic auctor de his figuris tradidit, fecit, quod omittere omnino non potuit, sine nota insignis imperitiæ. pleræque enim hæ figuræ in ornatu orationis principem locum tenent. Itaque Cicero (neque enim Græcos nominare est necesse, quando de verbis, quibus a nostris appellatæ sint eæ figuræ, sermo est) cum alibi tum in oratione, quouis de articulo, membro, & translatione agitur. Itaq; si affirmemus hunc librum esse Cornificij, quod ibi tractatas esse eas figuras legimus, quas a Cornificio traditas scribit Fabius; eodem argumento Orator Ciceronis erit Cornificij, quoniam ibi has figuras tractatas, & quidem sæpius videmus.

RIC. Longe alia ratio est eius libri, qui inscribitur Orator Ciceronis, & horum Rhetoricorum. Tantum enim abest, vt de illo dubitetur, vt potius certissima habeantur argumenta ipsum esse Ciceronis. Quamobrem argumentum, de articulo, membro, & translatione nihil valeret ad illum librum Cornificio tribuendum. De his autem quoniam maxima est orta dubitatio, merito valere coniectura debet, vt non Ciceronis, quo Marius affirmat esse indignissima, sed Cornificio tribuantur. Accedit quod in Oratore quidem fit mentio articuli, membri, translationis, sed non inter σχήματα λέξεως, quemadmodum in Rhetoricis, ita vt, quod dicit Quinctilianus de Cornificio, his possit, non illi conuenire.

MAT. Iuuant igitur & hæ octo res Cornificianos ne hilum quidem.

Ric. Immo plurimum.

Mat. At Fabius sic scripsit, At ego hic adiutor, defensorque sum caussæ meæ, non Fabij patronus, aut etiam interpres.

Ric. Quasi Fabius indigeat patrocinio aut interpretatione senis, vt more Plauti loquar, cæcutientis.

DE RE DVODECIMA, ET DECIMATERTIA PROBANTE RHETORICA AD Herennium esse Cornificij, ex Quinctiliano.

Mat. Ille (inquit Riccobonus) sententiam, & definitionem ponit inter schemata λέξεως. Huius verba hæc sunt; Cornificius, atque Rutilius sententiam, & definitionem schematà λέξεως putant. Respondeo ductum esse in fraudem Riccobonum a memoria, non sic scripturum profecto, si Fabij locum, cum hæc commentaretur, consuluisset. Qui locus sic habet lib. 9. cap. 3. Quædam omnino non sunt figuræ, sicut ordo, dinumeratio, circumscriptio, siue hoc nomine significatur comprehensa breuiter sententia: siue finitio. Nam & hæc Cornificius, atque Rutilius schemata λέξεως putant.

Ric. Quod sine magna iactura efficere potui, pro vocabulo minus vsitato finitionis, quo vsus est Quinctilianus hoc in loco, & alibi quoque, vt lib. 5. cap. 13. vsitatius definitionis vocabulum vsurpaui in recensenda auctoritate ipsius Quinctiliani. Sed in re ipsa nullum erratum commisi, cum idem prorsus significetur per finitionem, quod per definitionem, & eadem figura per vtranque vocem denotetur: traxique illius verba ad veritatem, cum reuera auctor ad Herennium definitionem nominet, quam ille vocabulo paullisper immutato finitionem vocat. Quod ad memoriam attinet meam, fateor equidem me parum memoria valere: sed hic memor esse minime studui, vbi vno, vel altero modo dicere, parum interesse videbatur.

Mat. In quibus Fabij verbis duæ illæ voces sententia, & finitio (finitio inquam, non definitio, vt deceptus a memoria Riccobonus perperam legit.)

Ric. Quid opus erat ista iterata reprehensione, nisi vt modestus senex magis suam immodestiam declararet!

Mat. Non sunt figurarum nomina: sed exponunt, & quasi definiunt, quid sit circumscriptio.

Ric. Hoc verissimum: illud falsissimum. Explicatur enim quid per circumscriptionem intelligi queat; & per eam significari dicitur, aut breuiter comprehensam sententiam, aut finitionem, quas inter schemata λέξεως & Cornificius & Rutilius ponunt; siquidem ille ad .... enumerat sententiam, & definitionem: hic vero βραχυεπείαν, καὶ ὁρισμόν. Horum igitur sensum Quinctilianus suis propemodum exprimit verbis.

Mat. Quod licet ex ipsis Fabij verbis apparet satis.

Ric. Immo apparet contrarium.

Mat. Tamen elucet etiam melius ex Cicerone pluribus locis, sed maxime in oratore, quando de circumscriptione loquitur. Sed (inquit) vniuersa comprehensio, & species orationis clausa, & terminata est. & paullo post; cadere tantum numerose oportere, terminarique sententiam. Ibidem; Illa circumscriptione, ambituque vt tanquam in orbe conclusa currat oratio, quod insistat in singulis perfectis, absolutisque sententiis.

Ric. Vult probare sententiam, & finitionem non esse nomina figurarum, sed valere ad explicandam circumscriptionis naturam, quæ ponitur inter figuras verborum ac valde errat. Nam primum rem a veritate alienam conatur confirmare, vt ex ipso auctore ad Herennium, & Rutilio apparet. Deinde vel non intelligit, quid agat, vel sophistice agit, dum sic argumentatur: Sententia, & finitio in oratore Ciceronis exponunt, & quasi definiunt circumscriptionem, ergo non sunt figurarum nomina. Itaq; aut decipitur, aut vult decipere ambiguitate vocabulorum, cum alia sit sententia terminata, vel sententiæ finitio, & circumscriptio, de qua agitur illis in locis Ciceronis, & alia, de qua in figuris verborum. Illa nihil aliud est, nisi periodus vniuersæ orationi communis, nedum figuris, de qua sic legitur in Oratore ad Brutum; In toto circuitu illo orationis, quem Græci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem,

aut circumſcriptionem dicimus. Hæc vero eſt figura ab aliis diſtincta, ſiue, vt ait Quinctilianus) hoc nomine ſignificetur comprehenſa breuiter ſententia, ſiue finitio, quarum vtramq; Cornificius, & Rutilius inter figuras ponunt. Meminerit Matius, quod ipſe dicebat; Inter bonos bene agendum: Vincendum virtute non artibus, in certamine præſertim nobili, & generoſo, vbi etiã vinci lucro eſt.

Mat. Atque (quod rem iuuat) vt ſileam, paullo poſt Fabium ſententiam ſoli Cornificio vindicare, illis verbis ſupra citatis; Cornificius adiicit interrogationem, &c. præterea ſententiam, membrum, &c. non facturum, ſi prius eandem vtrique, Rutilio, & Cornificio tribuiſſet; vt, inquam, illud ſileam, quo pacto hoc quamuis in annotatione noſtra etiam dictum, ſilere, & præterire poſſim ſine certo præuaricationis crimine! Fabius, vt ex eius verbis prius allatis vidimus, aperte teſtatur, Cornificium inter figuras ponere ordinem, dinumerationem, & circumſcriptionem. At apud hunc incertum auctorem vbi leguntur? Vt ſolo hoc teſtimonio cogantur, velint, nolint, Cornificiani fateri, nequaquam hos libros a Cornificio cõſcriptos fuiſſe, neque omnino verum eſſe quod ſcribunt, nihil tribuiſſe Fabium Cornificio, quod in Rhetoricis ad Herennium non inueniretur.

Ric. Quod ait rem iuuare, id ne hilum quidem Plauti iuuat. Nam & prius tribuit Fabius ſententiam vtrique; Cornificio, & Rutilio, cum interpretatur circumſcriptionem eſſe vel ſententiam, vel finitionem, & poſterius quoque tribuit (dicat quidquid velit Matius) cum docet, Cornificium inter alias figuras adiecisse ſententiam; & Rutilium inter illa, quæ apud alios quoque ſunt ſchemata, βραχυλογίαν, quæ eſt eadem, ac illa, quæ apud Rutilium dicitur βραχυέπεια: aliorum enim, vel ſuo ipſius vocabulo ſenſum ipſius Rutilij expreſſit, quemadmodum etiam Cornificij definitionem finitionem nuncupauit. Quod affirmat Fabium aperte teſtari, Cornificiũ inter figuras ponere ordinem, dinumerationem, circumſcriptionem; næ cuilibet vel mediocriter litteris tincto contrarium apparuerit. Etenim, vt verba Fabij repetamus, ea ſic ſe habent; quædam omnino non ſunt figuræ, ſicut ordo, dinumeratio,

tio, circumſcriptio. ſiue hoc nomine ſignificatur comprehenſa breuiter ſententia, ſiue finitio. Nam & hæc Cornificius, atque Rutilius ſchemata λέξεως putant. Supra expoſui videri Ciceronem reprehendi a Quinctiliano, qui lib. 3. de Oratore inter figuras verborum numerat ordinem, dinumerationem, circumſcriptionem, quæ ex eius ſententia omnino non ſunt figuræ. Illud autem, & hæc, refertur ſine vllo meo dubio ad ſuperiores proximas duas figuras, ſententiam, & finitionem, non etiam ad ordinem, dinumerationem, & circumſcriptionem, vt falſo vult intelligi Matius; cum præſertim conſtet Iabium tribuere vocabulum periphraſis, quæ eſt eadem ac circumſcriptio Ciceronis, non Cornificio, nec Rutilio, ſed Cæcilio; etiamſi ante dubitanter proferat, per tale vocabulum intelligi aut ſententiam, aut finitionem ipſius Cornificij, & ipſius Rutilij. Verba Fabij ſunt; Adiicit his Cæcilius περίφρασιν, de qua dixi, id eſt, quam dixi cum ordine, & dinumeratione omnino figuras non eſſe, & vocabulo Ciceronis vocari circumſcriptionem, & notaui ſignificare, vel quæ eſt apud Cornificium, & Rutilium comprehenſa breuiter ſententia, vel quæ finitio. Quemadmodum autem vocabulum circumſcriptionis non ponitur a Cornificio inter figuras, ſic nec ordo quidem, nec dinumeratio, vt putantibus Rhetorica ad Herennium eſſe Cornificij, neceſſe non ſit, oſtendere eas in ipſis Rhetoricis, tanquam a Cornificio enumeratas, quæ enumeratæ non ſint. Quare quod diſputatione ſua conficit Matius, prorſus abſurdum, atque ridiculum eſt.

DE RE DECIMAQVARTA PROBANTE RHETORICA AD HERENNIVM eſſe Cornificij, ex Quinctiliano.

MAT. Ille (ſcribit Riccobonus) tradit contrarium idem fere eſſe, quod contentio eſt, & cõtrarium eſſe, quod ex rebus diuerſis duabus alteram breuiter, & facile confirmat: hic lib. 5. ſcribit, Enthymema, quo pugna conſtat, contrarium a Cornificio appellari. Ego vero ex hoc Fabij loco, qui integer a me ponetur, dico, & prædico, quæren-

dum esse alium Cornificium, cui vindicetur incerti auctoris liber, quando nullæ vindictæ isti possunt afferere.

RIC. Istis se nugis tanquam disertum venditat.

MAT. Verba Fabij lib.5.cap.10. vbi agit de argumentis, sunt hæc; Nam enthymema, &c.

RIC. Cogitur, velit, nolit, quædam relinquere minus necessaria, etiamsi se integrum locum descripturum esse, professus sit. Sed fortasse parsit chartæ, ac chalcantho, de quo ipse supra me admonebat.

MAT. Vnum intellectum habet, quo omnia mente concepta significat: sed nunc de eo non loquimur. alterum, quo sententiam cum ratione: tertium, quo certam quandam argumenti conclusionem vel ex consequentibus vel ex repugnantibus. quamquã de hoc parum conuenit. Sunt enim, qui illud prius Epicherema dicant.

RIC. Me enecat hac sua superuacanea recitatione, sed illud excusationis habet, quod vult videri disertus.

MAT. Pluresq; inuenias in ea opinione, vt id demum, quo pugna constat, enthymema accipi velint. & ideo illud Cornificius contrarium appellat.

RIC. Tandem aliquando ad rem venit.

MAT. In verba Quinctiliani nunc nihil inquiro, neq interpretem ago.

RIC. Recte facit, quia ipse indiget interprete.

MAT. Sed proferatur mihi locus ex his libris, quos Diis, atque hominibus inuitis Cornificio ascribunt, vbi legatur, Enthymema, quo figura constat, contrarium appellari. Tunc stet, qui proferat, Coronatus in Olympia: tunc manum tollo. Nam quæ de contrario semel, & de contentione bis agit hic auctor lib.4. pertinent ea ad figuras verborum, & sententiarum, non ad argumenta.

RIC. Neque Dij sunt inuiti, qui id, quod verum est, amant: neque homines, nempe plerique eorum, qui præclaris litterarum studiis excellunt, & clarissimi sunt; non enim valde curandum est, quid sentiant, qui in tenuissimis grammaticæ rationis quisquiliis versantur, inanes litteratores. Quod autem Matius quærit, vbinam apud auctorem ad Herennium illa leguntur verba; Enthymema, quo pugna constat, contrarium appellari; inaniter quærit.

Cum

Cum enim Fabius suis ipsius verbis, quemadmodum solet, tradat, illud argumentum, quo pugna constat, a pluribus enthymema intelligi, & ideo ipsum a Cornificio contrarium appellari, satis esse debet, si tale argumentum, cuius ille naturam suo expressit arbitratu, in Rhetoricis ad Herennium nominari contrarium demonstretur. Nam quod addit, quæ de contrario semel, & de contentione bis agit hic auctor lib. 4. pertinere ea ad figuras verborum, & sententiarum, non ad argumenta; id parum refert: propterea quod non defuerunt, vt testatur idem Quinctilianus, qui etiam, quæ sunt argumentorum, figuris ascripserint; adeo vt enthymema, quo pugna constat, quod sine dubio pertinet ad argumenta, potuerit a Cornificio ad figuras traduci, & contrarium vocari.

MAT. Describere libet, quoniam mirifice ad rem faciunt, verba Ciceronis ex Topicis, quibus lectis Cornificiani etiam, atque etiam videant, quisnam primus enthymematis quoddam genus contrarium dixerit.

RIC. Mirifice ad rem faciunt, vt ostendatur, hoc quoque à Matio præter rem fuisse tractatum.

MAT. Cic. in Top. Ex hoc illa Rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi enthymemata appellant: non quod nō omnis sententia propriò nomine enthymema dicatur: sed, vt Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Græcos suum; Sic, cum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiatur, acutissima, sola proprie communè nomen possidet. eius generis hæc sunt,

Hunc metuere, alterum in metu non ponere?
Eam, quam nihil accusas, damnas.
Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri.
Id, quod scis, prodest, nihil id, quod nescis, obest.

Hoc differendi genus attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes, sed philosophorum magis, quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio, quæ a Dialecticis tertius modus, a Rhetoricis enthymema nuncupatur.

RIC. Matius contra Quinctilianum probare vult, Cornificium non fuisse primum, qui enthymematis quoddam

genus contrarium appellauerit: & citat auctoritatem Ciceronis, docentis, non genus quoddam Enthymematis appellari contrarium, quod susceptum est probandum, sed e conuerso, illa, quæ ex contrariis conclusa sunt, enthymemata vocari. Hoccine ad rem pertinet? Constat igitur adhuc, Cornificium primum talia enthymemata appellare contraria, vt in Rhetoricis ad Herennium appellantur,

DE RE DECIMAQVINTA PROBANTE RHETORICA AD HERENNIUM esse Cornificij, ex Quinctiliano.

MAT. Auctor denique (hæc est vltima res Riccoboni) ad Herennium præcipit, licentiam esse, cùm apud eos, quos aut tueri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure nostro dicimus. Quinctiliani verba sunt; Idem dictum sit de Oratione libera, quam Cornificius licentiam vocat, Græci παῤῥησίαν. Nonne certo certius apparet (si Quinctiliano fides habenda est) Rhetorica ad Herennium esse Cornificij? Hæc ille. Quod ad Fabium pertinet, telum arripio, & retorqueo.

RIC. Videamus, quid iste proficiat.

MAT. Fabius scribit, enthymema, quo pugna constat, appellari a Cornificio contrarium. Id ab hoc auctore Rhetoricorum ad Herennium non fit.

RIC. Immo vero fit, vt satis est confirmatum.

MAT. Fabius scribit, ordinem, dinumerationem, circumscriptionem, occultationem inter figuras adnumerari a Cornificio. Id ab hoc auctore Rhetoricorum ad Herennium non fit.

RIC. Neque id scribit Fabius de ordine, dinumeratione, circumscriptione, vt iam probaui; neque recte legitur apud eum occultationem, sed legendum est occupationem, quam Cornificius, id est, Auctor ad Herennium inter figuras numerauit.

MAT. Ergo nonne certo certius apparet (si Quinctiliano fides habenda est, vt certe est, sic enim loquitur Riccobonus) Rhetorica ad Herennium non esse Cornificij?

RIC.

RIC. Quam absurda sit hæc conclusio, ex superioribus patet.

MAT. Hoc, quod sequitur, non dico ego; tueri enim, & laudare scriptorem optime meritum, non criminari debeo.

RIC. Fingit alium criminari, ne ipse videatur criminosus, & tamen aperte criminatur, & immerito.

MAT. Fabius scribit tractatas esse a Publio Rutilio figuras ἠθοποιίαν, χαρακτηρισμὸν, dinumerationem, circumscriptionem; quæ tamen apud Rutilium non reperiuntur. apud quem si cæteræ, quas Fabius Rutilio tribuit, leguntur, cur non & hæ?

RIC. Respondet pro me Raphael Regius in Quinctilianum sic; Huius Rutilij Lupi opusculum de vtrisque figuris adhuc extat, dimidiatum, vt puto quoniam non omnes, quas Rutilio Fabius ascribit, in eo figuræ inueniuntur. Addo, quod vel pro voce ἠθοποιίαν apud Quinctilianum legendum est ἠθολογίαν, vt est apud ipsum Rutilium: vel dicendum est, quam hic appellauit ἠθολογίαν, illum vocabulo proprio, vt sæpe solet, nominasse ἠθοποιίαν: vel existimandum est, ipsum sumpsisse talem vocem ab aliis, quam a Rutilio, etiamsi re ipsa idem expresserit, quod Rutilius. Inquit enim; Item Rutilius præterea, quæ apud alios quoq; sunt schemata. Quæ vero figura apud hunc est χαρακτηρισμὸς, apud illum est, χαρακτηρισμός. Esse autem eandem, Raphaeli quoq; Regio probatur, qui illum huius verbis explicat. De dinumeratione errat Marius, quemadmodum etiam de circumscriptione, quam Quinctilianus Cæcilio, non Rutilio tribuit.

MAT. Complexionem argumenti, quæ fortasse duplex esse potest, ego non infero. Concludat, cui libeat. At fortasse Fabius alium Rutilium citat. At respondeo ego, fortasse, ac ne fortasse quidem Fabius alium ab hoc incerto auctore Cornificium citat, a quo postea hic incertus auctor didicerit, huic figuræ licentiæ nomen dare.

RIC. Meræ nugæ.

MAT. Certe agens de hac figura, nullis indiciis significat, a se primo licentiam appellatam. immo iam illi tale nomen fuisse aperte ostendit, sic scribens; Ergo hæc exor-

natio, cui nomen licentiæ est; dicturus profectò, Cui nos licentiæ nomen dedimus, si huius ipse verbi auctor fuisset.

Ric. Extorta diuinatio. Ait ille auctor, licentiam esse, cum apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure nostro dicimus. Addit licentiæ exempla. Scribit quoque, Eiusmodi licentiam, si nimium videbitur acrimoniæ habere, multis mitigationibus leniendam esse, vt quod erit commotum licentia, id laude mitigetur. Tradit esse quoddam genus licentiæ in dicendo, quod astutiore ratione comparatur, cum aut ita obiurgamus eos, qui audiunt, quomodo ipsi se cupiunt obiurgari, aut id, quod scimus facile omnes audituros, dicimus nos timere, quomodo accipiant, sed tamen veritate commoueri, vt nihilo secius dicamus. Horum amborũ licentiæ generum exempla subiicit. Denique illud sua conficit traditione: Ergo hæc exornatio, cui licentiæ nomen est, sicuti demonstrauimus duplici ratione tractabitur. id est, quam superius licentiam appellauimus. Neque vero ait, se primum appellasse: sed nihil obstat, quominus id intelligamus, cum ab aliis παῤῥησίαν nominatam esse licentiam minime constet.

Mat. Quod quidem alibi fecit, nimirum lib. 1. his verbis; Nisi quia de insinuatione noua excogitauimus, quod eam soli præter cæteros in tria tempora diuisimus.

Ric. Si hoc verum esset, quod ibi tradit ille auctor; existimari profectò posset, ipsum esse Ciceronem, qui de illis tribus insinuationis temporibus lib. 1. de inuentione memorauit. Sed id Cornificij arrogantiæ tribuendum est. In meo autem de oratoria Ciceronis doctrina commentariolo scripsi, merito accidisse ipsi Cornificio, vt suus liber amiserit nomen suum, alterique tributus sit, quod non solum plurima ex libris de inuentione compilauerit, verumetiam se solum præter cæteros insinuationem in tria tempora diuisisse scripserit, cum lib. 1. de Inuent. eadem tempora de insinuatione memorẽtur, vt qui aliorum verba, & opiniones sibi tribuerit, ei merito titulum operis fuisse ereptum, possit existimari. Voluit igitur de insinuatione gloriari, tanquam de re præcipua; & quidem immerito. De licentia autem gloriari minus dignum iudicauit,

etiamsi eam fortasse primus sic appellauerit.

MAT. Atque nemo est, in scriptis Rhetoricis Ciceronis vel mediocriter versatus, quin sciat, multo maximam partem illarum figurarum, quæ apud hunc incertum auctorem sunt, iisdem nominibus a Cicerone prius esse insignitas, quas persequi nunc occupato homini, non est otium, nec consilium. Vt necesse sit fateri ea nomina non a Cornificio, sed multo ante eum natum facta fuisse.

RIC. Si id fatendum est de multis figurarum nominibus, non certe de omnibus.

MAT. Atque vt alia adiumenta addamus, cum Fabius scribat sic; Quod idem dictum sit de oratione libera, quam Cornificius licentiam vocat, Græci παῤῥησίαν; cumq; apud Iulium Rufinianum legam, parrhesia oratio libera, quam Cornificius licentiam vocat: venit in mentem suspicari, magnam partem horum verborum a libro Rufiniani esse in librum Fabij translatum. Scilicet, quod fortasse aliquis (quod fit frequenter ab iis, qui loca auctorum ex aliis scriptoribus vel exponunt) vel aliquo modo iuuant, in oræ area libri Fabij, verba Rufiniani, quæ ibi quadrarent, asciripserit, quæ postea imperitus librarius de margine in ordinem verborum Fabij transtulerit. Quod quidem animaduersum est a doctis nostra ætate hominibus, libris Ciceronis contigisse plurimis in locis.

RIC. Hæc Matij suspicio est prorsus inanis de verbis Rufiniani in verba Fabij translatis; de quibus nemo vnquam dubitauit; & omnes libri veteres, ac noui conueniunt; nec dubitandum est, quin tam Fabius, quam Rufinianus citare Cornificium potuerit.

MAT. Ad quam censuram fortasse vocari possunt etiam verba hęc in figura contrarium; Contrarium idem fere est, quod Contentio. Certe cum bis agat idem auctor de figura contentione, neque tamen mentionem faciat affinitatis, quæ sit illi cum Contrario; cumque nullam afferat rationem, quare contrarium idem fere sit, quod contentio, si etiam ordinem, quem in reliquis omnibus figuris exponendis seruat hic auctor, acres Iudices animaduertant; periculum est, ne censeant, ea omnia expungenda, vt de margine in librum transcripta.

RIC. Hoc obiter, & præter caussam, sed parum admodum videtur referre, itane sit, vt suspicatur Marius, an aliter.

MAT. Ego autem interim ne censeo quidem; tantum abest, vt iudicem. doctiorum sententiam audiam, & sequar.

RIC. Recte facit, vt tandem aliquando vera, non ficta præditus esse modestia videatur: sed rectius quoque faceret, si de eo, de quo suspicandum non est, quodque ad rem parum pertinet, ne suspicaretur quidem.

MAT. Ergo cum suspectus sit locus Fabij.

RIC. Ergo cum suspectus nemini, præterquam Mario sit locus Fabij, fortasse non quod ita sentiat, sed vt caussæ seruiat suæ.

MAT. Cum non constet hunc auctorem ipsum huic figuræ nomen dedisse licentiæ.

RIC. Cum ex eo constet hunc auctorem ipsum huic figuræ nomen dedisse licentiæ, quoniam Fabius, & Rufinianus Cornificio vocabulum licentiæ tribuerunt, quod reperitur in Rhetoricis ad Herennium; nec talem figuram ante ab aliis fuisse sic appellatam inuenitur.

MAT. Cum declaratum sit alium ab hoc auctore horum Rhetoricorum a Fabio Cornificium significari, a quo hic incertus auctor nomen figuræ licentiæ acceperit.

RIC. Cum declaratum sit, nullam esse caussam, cur de alio Cornificio cogitemus.

MAT. Cum Fabius tribuat multa Cornificio, quoe in hoc auctore non legatur.

MAT. Dicimus, neque hanc quintamdecimam rem quidquam efficere, propter quod de opinione pristina discedere debeamus.

RIC. Dicimus, hanc quoque decimamquintam rem multum valere ad id, vt qui opinantur auctoritate Quinctiliani minime probari, Rhetorica ad Herennium esse Cornificij, de opinione sua, quamuis opiniosissimi, & pertinacissimi, debeant dimoueri.

EPILOGVS.

MAT. Et quamquam tot, tantisque rationibus, quæ firmissimæ sunt, fulcitur caussa annotationis nostræ.

RIC.

RIC. Et cum annotatio Matij nullis firmis rationibus fulciatur.

MAT. Tamen quoniam sua sponso sponsa pulchra est, suumq; coruo ouum placet.

RIC. Quoniam sua sui sucula pulchra est, suumque œstro murmur placet, immo vero etiam suum Corniculam Horatianam furtum delectar.

MAT. Cum mihi sensum retineo meum, cuique relinquo suum.

RIC. Mirum non est, si suum sibi sensum retineat Matius, eaque opinione oblectetur, quam Raphaeli Regio, tamquam Ioui ignem de cœlo Prometheus; est suffuratus.

MAT. Qui si diiudicari controuersiam velint, ego vero vel ipsos aduersarios Iudices sumo: illis ipsis disceptatoribus vtar.

RIC. Equidem, cum quid mihi in primis sentiendum sit, iudicem, de meo tamen Iudicio senrentiam viris doctis relinquo.

MAT. Sin a sua ipsi liberali verecundia non impetrant, vt iudicandi partes suscipiant, ego nihil aliud contendo, nisi vt iudicent docti.

RIC. Mihi igitur hoc conuenit cum Matio, vt non amplius caussa comperendinetur, sed de allatis nostris rationibus a doctis sententia feratur.

MAT. Quibus spero si nihil aliud, certe modestiam nostræ annotationis, & totius huius disputationis commendatam, & probatam fore.

RIC. Quibus spero & nihil aliud de captionibus Matij, & ne modestiam quidem commendatum, & probatum iri, nisi falsitas nomine veritatis, & immodestia nomine modestiæ ornetur.

FINIS.

INDEX IN RHETORICORVM ARISTOTELIS LIBROS SVCCINCTVS.

Adiun-

D.

Impe-

Loci

M.

S.

INDEX GRÆCVS.

Errata sic corrigito.

Pagina 5. linea 71. teque. p.7. l. 24. clarissimus. p.31. l. 15. nutriri in salo. p. 35. l. 5. ambigui. p.4. l.19. vnciæ. p. 52. l.23. opificia. p. 55. l. 14. dono quod. & l.vlt. pro auliis. p.57. l.30. Tegeatem. & l.33. chalcidem. p. 62. l.25. quod. p. 66. l. 29. vacuitatem. p. 68. l.34. in Cumanum. p.76. l.11. iustitia. p.80. l. 33 inscium. & ead. l. percunctatione. p.85. l. 34. Cincinnatum. & l. 36. Cincinnatus. p. 90. l.29. Habeo, inquit. & l. 37. quintus dactylus. p. 94. l.29. iudicare. p.96. l.30. curisq;. p. 98. l.38. logi. p.100. l.25. commemorantur. p.101. l.18. Thesei. p.102. l. 34. hirundinem, p. 104. l.16. Piso. p.109. l.vlt. in aliquem. p.117. l.33. iucundus. p.127. l 16. Tib. p.141. l.34. Bactrianis. p.145. l. 13. Vestæ. p.174. l.30. quas non. p.178 l.33. mouetur. p.179. l.23. hanc verò. p.180. l.10. existimemur. p.190. l.31. scilicet. & l.32. regnum. p.196. l.1. rogatus. p. 201.

l.13. quam immanissimus. p.204. l.33. dare. p.212. l.33. cedere. p.217. l.16. comparat. p.225. l.19. sint. p.227. l. adinuentis. p.228. l.2. modis. p.230. l.19. cæptum. p.232. l. vt vno connumerato. p.233. l. . sentatus. & l 19 bellua inciderit in foueam. p.238. l 3. quartus. p. 240. l.28. venum. p.244. l.5. vna, quæ. p.245. l.23 optimatum. p.249. l.10. incendenda. p.252. l.3. Aruntii. & l. 6. Venusiæ. p.255. l.24 populus Rom. p.256. l.12. ad lacum. & l. 20. par infimis. p.257. l.25. congruenter. & l. 37. prudentia. p.259. l.8. iracundia. p.266. l.37. regis. p.268. l.2. in Naupactea. p.277. l.30. ficte. p.281. l.8. medio p.284. l. . ægtum ab eo. p.294. l.19. vel per energiam. p.300. l.18. . . . dæ. p.306. l.vlt. vi numinis. p. . l. . deuouit. p. . l.31. adhibentur. p.345. l.6. vobis. p. . l. 34 iucundæ. p. . l.6. iniuria. p.400. l.19. prosperitatem. p. 415, 416, 41 , 4 , 419. vnam. p.446. l.36. secundi. p.460. l.pen. conti- . p.463. l. . factas. p.467. l.5. fauebat. p.472. l.29. Pompeiam. p.476. l.28. eunti. p.482. l.31. Cæstibus. p.488. l.3. motu. & l.7. eam p.490. l.7. dubitaui. p.498. l.19. Cordubæ. & l.20. Corduba. p.510. l.4. successorem Lucullo. p.517. l.9. Medeæ. p.522. l.9. se eum. p.526. l.7. luminibus. p.531. l.18. nationibus. l.31. pietas. p.533. l.21. centum. p.543. l.1. pertractatum. p.570. l.23. ouatio. p.593. l.35. dolent. p.623. l.22. impurus. p.629. l.1. firma. l. 6. conclusionem. l.7. & ornat. l. 37. excogitauit. p. 670. l. 2. potius. p. 689. l. 18. in Oratore quoque. & l.19. agit. p.700. l.27. multa Cornificio. Ricc. Cum Fabius tribuat nihil Cornificio, quòd, &c.



S.

Zamol-

INDEX GRÆCVS.

Errata sic corrigito.

Pagina 5. linea 71. teque. p.7. l. 24. clarissimus. p.31. l. 15. nutriri in salo. p. 35. l.5. ambigui. p.4. l.19. vnciæ. p. 52. l.23. opificia. p. 55. l. 14. dono quod. & l.vlt. pro auliis. p.57. l.30. Tegeatem. & l.33. chalcidem. p. 62. l.25. quod. p. 66. l. 29. vacuitatem. p.68. l.34. in Cumanum. p.76. l.11. iustitia. p.80. l.33 inscium. & ead. l. percunctatione. p. 85. l. 34. Cincinnatum. & l. 36. Cincinnatus. p. 90. l.29. Habeo, inquit. & l. 37. quintus dactylus. p. 94. l.29. iudicare. p.96. l.30. curisq;. p. 98. l.38. logi. p.100. l.25. commemorantur. p.101. l.18. Thesei. p.102. l. 34. hirundinem. p. 104. l.16. Piso. p.109. l.vlt. in aliquem. p.117. l.33. iucundus. p.127. l 16. Tib. p.141. l.34. Bactrianis. p.145. l. 13. Vestæ. p.174. l. 30. quas non. p.178 l.33. moueetur. p. 179. l.23. hanc verò. p.180. l.10. existimemur. p.190. l.31. scilicet. & l.32. regnum. p.196. l.1. rogatus. p. 201.

l.13.quam immanissimus. p. 204. l.33. dare. p. 212. l.33. cedere. p. 217. l.16. comparat. p.225. l.19. sint. p.227. l.8. adinuentis. p.228. l.2. modis. p.230. l.19. cæpium. p.232. l. vlt. vno connumerato. p.233. l.2. senatus. & l. 19 bellua incidentin foueam. p.238. l.3. quartus. p. 240. l.28. venum. p.244. l.5. vna, quæ. p.245. l.23 optimatum. p.249. l.10. incendenda. p.252. l.3. Arunt... & l. 6. Venusiæ. p.255. l.24 populus Rom. p.256. l.12. ad lacum. & l. 20. par infimis. p.257. l.25. congruenter. & l.37. prudentia. p.259. l.8. iracundia. p.266. l.37. regis. p.268. l.2. in Naupactea. p.277. l.30. ficte. p.281. l.8. medio. p.284. l.4. ægtum ab eo. p.294. l.19. vel per enargiam. p.300. l.18. cognoscendæ. p.306. l.vlt. vinum ... deuouit. p. ... l.31. adhibentur. p.345. l.6. vobis. p.3... l.34 iucundæ. p.3... l.6. iniuria. p.400. l.19. prosperitatem. p.415. 416. 4... 41... 19. vnam. p.446. l.36. secundi. p.460. l.pen. conti... p.463. l.8. factas. p.467. l.5. fauebat. p.472. l.29. Pompeium. p.476. l.28. eunti. p.482. l.31. Cæstibus. p.488. l.3. motu. & l.7. cum. p.490. l.7. dubitaui. p.498. l.19. Cordubæ. & l.20. Corduba. p.516. l.4. successorem Lucullo. p.517. l.9. Medeæ. p.522. l.9. se eum. p.526. l.7. luminibus. p.531. l.18. nationibus. l.31. pietatas. p.533. l.21. centum. p.543. l.1. pertractatum. p.570. l.23. ouatio. p.593. l.35. dolent. p.623. l.22. impurus. p.629. l.1. firma. l. 6. conclusionem. l.7. & ornat. l. 37. excogitauit. p. 670. l. 2. potius. p. 689. l. 18. in Oratore quoque. & l. 19. agit. p. 700. l.27. multa Cornificio. Ricc. Cùm Fabius tribuat nihil Cornificio, quòd, &c.





